BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, rue des Quatre Fils, n° 16, au Marais.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, F^{bg} St-Germ.
DE BURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
JUL. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Italien, n° 10.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

CAII PLINII SECUNDI

HISTORIÆ NATURALIS

LIBRI XXXVII

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,

REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

CAII PLINII SECUNDI

HISTORIÆ NATURALIS

LIBRI XXXVII

CUM SELECTIS COMMENTARIIS J. HARDUINI AC RECENTIORUM INTERPRETUM
NOVISQUE ADNOTATIONIBUS

PARS PRIMA CONTINENS COSMOLOGIAM

CURANTE C. ALEXANDRE

RHETORICES PROFESSORE IN REGIO S. LUDOVICI COLLEGIO

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXVII

DE NOVA C. PLINII EDITIONE

AD LECTOREM BENEVOLUM

NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE.

PLINIANI operis rursus in lucem edendi, perpetuisque commentationibus adornandi, arduum sane et audax consilium erat, præsertim intra modici temporis angustias, quas instituti mei ratio lectorumque voluntas mihi circumscribit. Itaque quum nec vires, nec otium unius hominis huic labori sufficere possent, ac nemo se tanti vadimonii sponsorem desideranti mihi præstaret, nimiæ provinciæ onus inter plures dividi oportuit. Viri litterarum amantes, antiquitatis curiosi, rerum naturalium periti, operam suam contulerunt: quibus tamen ut una præesset ratio et commune institutum, ut omnia vasti corporis membra in eamdem formam coirent, neve partium discordia totius rei summa laboraret, singulari cura videbatur esse præcavendum.

Hæc igitur inter me et illos qui se proposito meo volentes adjunxerunt, prævia quasi stipulatione et quodam societatis ineundæ fœdere decreta sunt: Harduini textum, plerumque optimum, nisi quum paucissimis in locis melior aliqua lectio e codicibus oriretur, incorrupta manu expressum proponere; varias cæterarum editionum lectiones, et utramque veterem ac novam capitum divisionem

simul exhibere; Harduini commentarium pæne integrum servare, falsis tantum superfluisve rejectis; cæterorum interpretum notas, si qui præsertim meliores aut recentiores exstiterunt, Gronovii, Rezzonici, Broterii, Durandi, Falconeti, aliorum, non avara quidem, sed nec prodiga manu excerptas, præsertim quum Harduino aliquid derogarent, adjicere; quæ ad textum intelligendum desiderarentur, omnia aut undequaque petitis auxiliis, aut ex novis conjecturis supplere; Plinii errores, sæpius ævi sui tenebris imputandos, hodiernæ scientiæ face collustrare; rursus ipsum, ubi falso erroris arguitur, novarum observationum patrocinio tutari; facere denique, id quod in omnibus hujus nostræ Collectionis partibus tentatum est, ut nova editio quum præteritarum omnium gerere vicem, tum nullius plenioris desiderium posset relinquere.

Hoc enim mihi semper ob oculos, hoc in mente et in animo fuit: qua professione abunde refelli puto nonnullorum criminationes, qui opera quædam a nobis edita commentationibus et excursibus in nimium excrevisse queruntur; non satis attendentes, illos præsertim libros, Virgilii dico et Taciti, omnium doctorum adnotationibus conjecturisque maxime fuisse obvios, et in tanta commentariorum silva, quos omnino præterire non licebat, multo plura fuisse a nobis neglecta quam electa.

Quoniam tamen, quo propius ad metam accedimus, eo magis properamus, otium post laborem anhelantes; curabimus ut materiam frustra se diffundentem arctiores intra limites coerceamus, neque semper quantum res feret exspatiemur; et magna spes animum subit, editionem nostram Plinii, Franziana illa feliciorem, infinito plura lectu digna intra voluminum minorem vel certe non ma-

jorem numerum, ipsis cum indicibus, qui in illa desiderantur, esse complexuram. Indices vero omnes revisere jamdiu cœpimus; et quos ne Harduinus quidem ipse in justum ordinem redigere, immensæ molis opus, aggressus est, sed confusos indigestosque reliquit, nos tam accurate perfectos, tamque omnibus numeris absolutos exhibebimus, ut nostris ad Virgilium, Ovidium et Martialem indicibus nihilo sint inferiores.

Nec vero illud omittemus, quod in plerisque ante nos editionibus perperam neglectum est, ut singulæ Pliniani operis partes, physica, geographica, zoologica, botanica, etc. tanquam distincta totidem opera, certo quodam voluminum numero comprehensæ prodeant, atque ita cum majore lectorum commoditate separatim volvi ac pertractari possint. Primo quidem tomo præfationes notitiæque complures non vestibulo tantum decorando, sed illustrando ædificio necessariæ, tanquam in ingressu ac limine collocatæ sunt. Sequitur Plinii ipsius præfatio, primus liber, sive Elenchus, adjuncto qui ad eum pertinet Auctorum Catalogo, et secundus, id est, Pliniana Cosmologia, cum erudita de antiquis ventorum nominibus disputatione, quam pro sua egregia in me voluntate communicavit doctiss. et celeberrimus Gossellin, Academ. Inscript. et Litt. (Vide ad calcem hujus Tomi, p. 471.)

Nec solus ille incœpto nostro favet, auxiliaturque; sed præter illos qui specialem huic editioni operam condixerunt, alii doctrina insignes viri dissertationes suas, ad Plinium illustrandum utiles, in singula pæne volumina promiserunt; nec invidebit suos ad Plinium labores vir in omnibus quæ attigit studiis, verius dicam in nullo non eruditionis genere princeps, Carolus Cuvier.

His auspiciis difficillimam fortasse partem totius instituti mei aggredior, prius professus, nec mihi nec egregiis adjutoribus iisdemque amicis meis illud unquam fiduciæ venisse in mentem, ut speraremus in tanto mari, quantum remis velisque enavigare contendimus, omnes evitari posse scopulos. Sed periti rerum æstimatores magis quid profecerimus, quam ubi offenderimus, reputabunt: et si mihi publicus, ut opto, favor, quemadmodum antea semper, aspiraverit, Deo juvante, brevi me spero hanc quoque navem, sive potius classem, omnigenis antiquæ doctrinæ copiis gravem, egregiis vero armamentis instructam, et optimorum gubernatorum arte munitam, ad optatos portus feliciter esse deducturum.

N. E. L.

HARDUINI PRÆFATIO.

LECTORI.

FESTIVUM illud quidem, sed et verissimum eruditorum effatum est, in Plinianum opus cadere illum aptissime de nave ac muliere comici vatis jocum[1]:

> Negotii sibi qui volet vim parare,
> Navem ac mulierem, hæc duo comparato.
> Nam nullæ magis res duæ plus negotii
> Habent, forte si occeperis exornare:
> Neque unquam satis hæ duæ res ornantur,
> Neque ulla eis ornandi satis satietas est.

Annon enim prodigii simile est, rem tot tractatam curis ac vigiliis, minimam usque adhuc consummationem habuisse? Ut quamvis priorum interpretum nonnulli tersum se et integrum exhibere Plinium jactitarint, Lucinam eos, quod ille ait, inclamasse fœtu nondum concepto eventus edoceat? nihil ut ad hunc diem opere illo depravatius, nihil inquinatius in lucem exierit; et in Pliniano adhuc agro,

> Interque nitentia culta,
> Infelix lolium, et steriles dominentur avenæ[2]?

Quare Pliniani operis emaculandi explanandique provincia deposita fere ab eruditis est, quorum in animis scilicet insedit penitus ea persuasio, vel quantacumque

1. Plaut. in Pœnulo, Act. I, Sc. 2.
2. Virg. Georg. I, v. 153.

diligentia, vel quam longissimo ævo, vel quam diuturnis vigiliis, exhauriri vix unquam hunc laborem posse.

Nos igitur si, quod ambustum hactenus, truncum, mutilumque exstitit, nunc id tersum opus omni ex parte ac nitidum, atque integritati suæ post tot sæcula, post tot eruditorum sudores, veluti postliminio restitutum; si emendatissima, quæ mendosa hactenus; si explanata omnia, quæ tetris adhuc obducta tenebris credebantur, hoc operis hujusce limine profitemur; quis non arrogantius ambitiosiusque dictum, quam verius, putet? Atque id tamen ipsum nisi maxima ex parte sit præstitum, quis non nostram inaniter collocatam operam, ac spem deinde eruditorum delusam exclamet? Plane ut si plura polliceri videar, quam tot ingeniorum lumina videre potuerint, fides; vel si minus præstem, quam sit hominum exspectatio, fama hic nostra periclitetur, existimatioque operis.

Dicam tamen, nihil reprehensionem veritus, aut jactantiæ notam, quanto sum illis, qui ante me in hac arena desudarunt, ingenio industriaque inferior, tanto me plus laboris et diuturnæ curæ, quæ in hoc studiorum genere potissimum dominatur, tanto plus adeo opis ad operis hujus absolutionem attulisse. Facere itaque id sum aggressus, quod ante me nemo, ut silvam hanc litterariam, quanta quanta est, totam percurrerem, lustra scrutarer, monstraque errorum omnia, quibus ea scateret, minora quidem quam Herculea, sed multis longe partibus plura, profligarem.

Debet hujus operis suscipiendi expoliendique consilium litterarum respublica excellentissimo viro Carolo Sanctamauræo, Duci Montauserii[1], non civili modo milita-

1. Ille est *virtutis veræ custos rigidusque satelles* non immerito vocatus, cujus laudationem olim a Flexerio institutam in Oratione funebri, rursus litterario certamine æmulandam proposuit Academia Gallica anno 1781. Is cum Huetio præcipuus auctor fuit edendorum *ad usum Delphini* clas-

rique prudentia inclyto, qua præter claritatem generis viam sibi ad gratiam Principis et summos honores fecit, sed litteratæ etiam sapientiæ alumno ac patrono: cui se ille sic addixit, ut jam studia et humanitatis artes per ipsum in Gallia patriam, sanguinem, spiritumque receperint: qui quum esset ab Christianissimo Rege LUDOVICO MAGNO Serenissimi Delphini institutioni præpositus, ut ei Veterum monumenta omnia pernoscendi cupiditatem afflavit, sic privata illius studia ut in publicam simul orbis totius redundarent utilitatem, auctor fuit. Accessit etiam viri illustrissimi JACOBI BENIGNI BOSSUETII, Condomensis olim, nunc vero Meldensis Episcopi, auctoritas: quem virum quum divinis pariter humanisque litteris perpolitum inter doctissimos eloquentia, inter eloquentissimos doctrina excellere toties LUDOVICUS MAGNUS per se didicisset, quoties e sacris pulpitis perorantem audierat, Gallia interim universa non concionibus modo, sed scriptis quoque plurimis ad coercendam hæresim voluminibus applaudente, cum LUDOVICO filio Præceptorem adscivit. Nec minus fovit industriam nostram humanitate sua Vir clarissimus PETRUS DANIEL HUETIUS, Alnetanus Abbas, quem singulare acumen ingenii, mira suavitas morum, omne doctrinarum genus, librorum, quos publici juris fecit, copia et eruditio, commendavit orbi et, qui maximum orbis judicio calculi sui pondus adjecit, intelligentissimo Regi LUDOVICO MAGNO, a quo vocatus in partem tanti muneris est, moderandorum Serenissimi Principis studiorum.

Nos igitur tantorum virorum, quibus suas publicasque spes LUDOVICUS MAGNUS commisit, auctoritati paruimus, consiliis morem gessimus: ut quantum id oneris

sicæ latinitatis scriptorum, quorum collectio chartæ nitore, typorum elegantia, et in plerisque voluminibus eruditionis copia commendabilis, non inter ultima magni illius sæculi monumenta reputanda est. ED.

est in Plinio illustrando, fidenti animo subiremus, et spartam hanc, quanta quanta est, exornandam aggrederemur.

Non fraudabimus tamen merita laude priores, quorum aliquæ fuere in hoc ipso negotio partes : et quanquam haud tritæ ab ipsis orbitæ insistimus, singulos tamen cum honoris præfatione juvat hoc operis aditu appellare ; ut quid ab illis primo præstitum, quid a nobis deinde sit adjectum operæ, quibus gradibus ad hanc operis absolutionem perventum sit, palam fiat. Sunt videlicet Veterum scriptorum libri, ac Plinii in primis, eodem quo arva fato; nisi cura versentur sæpius diligentium virorum, sentes alunt et monstra, quibus tollendis e medio Hercules non unus sit satis. Itaque quid illi primum, quid nos deinde profecerimus, et quibus usi simus adjumentis, breviter commonstrandum.

Ut primum divino munere typis edendi libros ars est concessa mortalibus, publicandi statim Pliniani operis mentem viris quum nobilitate, tum omni virtutum ac doctrinarum genere clarissimis Numen injecit. Quanquam alias nemo tam obscurus fuit, quin illustris esse cœperit, posteaquam huic operi manus admovit. Vulgavit igitur illud omnium primus[1] Joannes Andreas, Aleriensis Antistes in Corsica. Hunc ille primus omnium agrum aravit; sed sentibus, ut ita dicam, adhuc reliquit, rubisque plenissimum : quos exstirpare deinde conatus est, nec infelici omnino exitu, vir genere, opibus, dignitate, ingenio, eruditione insignis, Hermolaus Barbarus, Patriarcha Aquileiensis, idemque postea in numerum Purpuratorum Patrum adlectus. Is quidem anno MCCCCXCII primum, iterumque adjectis anno subsequente castigationibus secundis[2], lucubratione viginti duorum fere mensium, cir-

1. Non primus ille, sed secundus; verum ignorabat Harduinus priorem uno anno editionem Venetam a Joanne Spirense prolatam an. 1469, de qua fusius sub hujus editionis finem ad Plinianarum editionum Indicem disseretur. Ed.

2. Hermolai castigationes sine Pliniano contextu prodierunt, ut ei

citer quinquies mille crassiora sanasse se vulnera gloriatur [1]. Sed post messem adeo uberem, prædiviti adhuc et amplissimo spicilegio locum reliquit, si qui sagacius indagare vellent : et ipse in iis quæ attigit, sæpe nimium conjecturæ, memoriæ etiam plus, quam hominem deceat, tribuit : uti paulo acerbius eam ob rem invectus in eum Pintianus olim exprobravit [2]. Sed concessa facile venia μνημονικῶν ἁμαρτημάτων, quod minus mirum sit memoriam excidere aliquarum rerum, quam constare omnium ; at non venia dignus æque, quum neglectis veterum exemplarium vestigiis, et priscarum ante se editionum securus, plurima pro arbitrio, erudite magis quam caute ac verè, mutavit, vel plane pessumdedit : quum plurima ex iis quæ castigavit, non errata illa sint, sed parum intellecta. Tantum nihilominus auctoritati BARBARI subsecuta ætas, eruditionique tribuit, ut conjecturas illius, ceu totidem κυρίας δόξας, in contextum inseruerit, unde eliminandæ a nobis variis argumentis fuere. Sensit jamdudum hanc labem operi Pliniano illatam auctor Epigrammatis alias haud perelegantis, in Commentarios a Stephano Aquæo editos, de quibus agendum mox erit. Sic enim ille :

> Dum facere Hermolaos medicinam Barbarus optat
> Non paucis lacero vulneribus Plinio,
> Perlæsum gravius conjecta vulnerat arte ;
> Nec minus incauta plurima turba manu :
> In tantum, ut Latio jam deploratus abiret
> Ob multa in Stygias vulnera fessus aquas, etc.

Felicior aliquanto SIGISMUNDUS GELENIUS, qui uno duntaxat archetyporum præsidio, collatis inter se exem-

Gelenii Pintianique, de quibus mox fiet mentio : plus tamen per istos profecit Plinius quam per universos editores. Maxima laus post illum triumviratum Dalecampio debetur, quem frustra mox deprimere tentabit malo æmulationis studio Harduinus. ED.

1. In Epist. ad Alex. VI, Pont. Max.
2. In Observ. Plinianis, lib. XXII, cap. 2.

pluribus, non pauca restituit, quæ Hermolaum latuerant, edidítque castigationum volumen haud contemnendum, anno MDXXXV. Vetustorum is auctoritati codicum ac fidei tantum tribuit, quantum detrahere iisdem visus est Hermolaus. Hic enim sua profert in medium, ductis ex multigena lectione conjecturis: Pliniana Gelenius ex conditivis duobus libris revocata affert, nec multa illa tamen, sed satis proba.

Gelenii methodum ac rationem imitatus deinde anno subsequente RHENANUS, cui prænomen BEATO, vel BILDIO fuit. Is e mendis pariter et ruinis veterum exemplarium germanam eruere scripturam quibusdam in locis conatus est, hoc est, aurum colligere ex stercore: atque in Pliniana præfatione, prioribusque libris quatuordecim, opellam suam quantulamcumque passim commodavit.

Quadriennio post STEPHANUS AQUÆUS (vulgo apud suos *De l'Aigue, de Beauvais,*) Biturico Galliæ agro oriundus, vir nobilis in primis, ac militia quoque exacta egregie sordidus, Commentarios scripsit in omnes libros: sed mole magis quam eruditione insignes. Nec vero emendationes ullas habet, quam quas a Rhenano mutuatus est: et ea fere in quibus salebrarum est aliquid aut ambagis, solet is, ceu foveam, securus prætergredi.

Anno MDXLIV, FERDINANDUS NUNEZ DE GUZMAN, ex perillustri Guzmanorum familia, patre Præfecto ærario Regis Hispaniarum, PINCIANUS a patria Salmantica scilicet, quæ et Pincia dicta, cognominatus, Observationibus suis, qua MSS. codicum ope, qua veterum auctorum lectione universum Plinii opus, præter librum postremum, reddere limatius aggressus est: ac si Lipsio credimus, « per Plinii sexcentas salebras et æstuantia vada pervasit, felici quodam ingenii et judicii vento. » Usus est MSS. duobus, Salmanticensi, et Toletano: probatis illis quidem, sed mutilis magna ex parte, ac truncis. Contulit cum Pli-

nio e priscis auctoribus aliquos: sed ita ut neque Græcos sua lingua consuluerit (id quod de Dioscoride in primis animadvertimus), et ad cæterorum mentem Pliniana sæpe scripta torqueat, textumque plane invertat, quum expedire se aliter nequit, nodumque scindat, cui solvendo se non esse parem intelligit, audaci magis quam laudando conatu. Fateri tamen illum necesse est, vel paulo, quam BARBARUS fuit, religiosiorem fuisse[1], qui conjecturas suas Pliniano operi sponte non inseruerit: vel haud æque instructum ab amicis, quibus inventa sua sic probaret, ut ea in contextum adderent.

Fuit modestiæ aut sortis non omnino absimilis JACOBUS DALECAMPIUS, Cadomensis e Neustria, non infimæ notæ ævo suo medicus: qui quum duplicis generis notas in Plinium ederet, alteras emendandi causa, alteras illustrandi, priores margine libri coercuit, jussitque intra eos fines continere sese, nec irrumpere in contextum. Et sunt sane omnes audaciusculæ conjecturæ, nec ullæ omnino sat felices. « Dalecampius, aiebat olim nonnemo[2], vir alioqui bene doctus, Plinium emendandum et excudendum suscepit: sed qua est audacia, omnia invertet et corrumpet; quia, quod multi solent, si hoc illudve vocabulum non arridet, statim immutat, ac sæpe in deterius. » Vates fuit, nec pauciores idcirco cum eo fere, quam cum amanuensibus qui Plinium corrupere, conserendæ nobis pugnæ fuerunt. Animadvertimus etiam postmodum, quas ille, tanquam ex *Vet.* seu vetere exemplari, vel ex *M.* hoc est, manuscripto codice profert varias lectiones, non aliud

1. Quis ferat Hermolao temeritatem imputari, quæ si qua fuit, non ejus fuit, sed posteriorum editorum? Isti enim conjecturas ab illo verecunde propositas festinantius fortasse receperunt: quanquam non extemplo damnandi, si doctissimi viri opiniones plerumque rectas vulgatæ lectioni sæpius adulteratæ prætulerunt. ED.

2. Scaliger in Scaligerianis.

eas jure videri, quam eruditi cujuspiam unius alteriusve ad oram libri appositas conjectationes [1].

Quod ad posterioris generis Notas ab eo editas attinet, nec perpetuas illas fecit, nec satis argumento accommodatas, et plerasque etiam plenas inanitatis ac falsitatis. Nam neque Cosmographica omnino, nec Geographica fere attigit, quæ pars operis istius haud minima, nisi ut corrumperet obiter falsis oppidorum ac regionum interpretationibus. Ex Hadriano Junio deinde, Cælio Rhodigino, Alexandri ab Alexandro Genialibus diebus, atque istiusmodi sectæ hominibus, ubi se vel minima aura offert, multa congerit et confercit, quæ ad eruditionis famam aucupandam valeant aliquid sane, sed sint eadem a Pliniani operis illustratione aliena quam maxime. In re deinde herbaria, vir alioqui in eo genere, ut præ se tulit, exercitatus, qui volumina duo ingentia hoc de argumento effudit, mirum quot in errores ipse inciderit, quot Plinio idem objecerit, quorum expertem eum et immunem esse suis locis docturi sumus. Sed incredibile dictu est, quot in re medica, hoc est, in ea arte in qua excellere potissimum illum decuit, σφάλματα admiserit: sive quum medicamenta a Plinio proposita perperam accipit; sive quum allatis variorum codicum lectionibus, incerta ea remedia facit; sive quum ex iisdem correcto, vel corrupto potius Plinii contextu medicamenta falsa pro veris obtrudit; sive denique quum præpostera interpretatione Pliniana placita ad genus morbi transfert plane diversum ab eo quem Plinius intellexit, et interpunctione perversa remedia permiscet per-

1. Parvi sunt æstimandæ lectiones quæ generatim his verbis indicantur: *M. Vet.* aut *Alii*; illæ enim solæ fidem faciunt, quæ certi cujusdam ac bene noti codicis auctoritatem præ se ferunt. Nobis tamen optimum visum est, ne dubias quidem abjicere, nisi quum in mendo manifesto cubarent; nec quidquam Dalecampio relinquere voluimus quod in nostra editione desiderari posset. Ed.

mutatque, nimium sane quam periculose. Atque hæc tamen opera est, in qua sudasse se et anhelasse, ærumnamque decennalem perpessum esse, in præfatione operis contestatur.

At non omni ex parte nihilominus aspernandus viri labor. Debemus enim ei antiquissimi codicis, qui Chiffletii fuit, medici Vesontini, varias lectiones, quas summa fide ac diligentia margini suæ editionis attexuit: alteriusque, qui Cujacii fuit. Et ambos utique, ubi opus erit, in testes advocabimus adstipulatoresque emendationum nostrarum.

Hi fere sunt qui totum opus percurare quoquo modo aggressi sunt: cæteri, quorum est ingens turba, vel locos duntaxat aliquos saltuatim ex toto opere delibatos, ac veluti in transcursu, attigere; vel particulam aliquam ex tam immani corpore resectam delegere, in qua elaborarent.

Priorum e numero familiam ducit PHILIPPUS BEROALDUS, qui notulas breves editioni Parmensi subjunxit, tribus ferme pagellis comprehensas.

Annotationum Centurias duas, paucissimis quibusdam librariorum mendis velut in transcursu subnotatis, concripsit M. ANTONIUS COCCEIUS SABELLICUS, Bibliothecæ, quam Venetiis BESSARION publicarat, Præfectus: in quibus sunt admodum pauca scite animadversa; cætera conjecturæ omnino infelicis.

ROBERTUS DE VALLE, Rotomagensis, Compendium, sive Excerpta e Plinio, et Plinianorum difficilium in Naturalis Historiæ libris expositionem, ad Renatum Carnutensem Episcopum inscripsit, anno MD, opus nullius eruditionis, nulliusque fructus, aut pretii.

Adde his RAPHAELEM VOLATERRANUM, in libris de Geographia; GUILLELMUM BUDÆUM, in libris quos de Pandectis inscripsit, et quos de Asse; HADRIANUM TURNEBUM, in Adversariis, aliosque Criticos, qui suas animadversiones, miscellaneas observationes, racemationesque, vel una ali-

qua in Plinium obiter adjecta nota nobilitari, symbolamque suam dare in hanc veluti cœnam, decori sibi esse duxerunt. Adde iterum, si lubet, ANTONIUM NEBRISSENSEM, quem in obscuriora Plinii loca; et JOANNEM ANDREAM STRANEUM, quem in omnes Plinii libros; et CHRISTOPHORUM LONGOLIUM, quem in undecim priores exarasse Annotationes aiunt: sed eas hactenus ineditas, ut quidem remur: uti et DIGUILI Grammatici excerpta ex Solino et Plinio, quæ in membranis exstare Salmasius ait, in Exercit. ad Solin. pag. 4. D. DE AYLVA similiter (forte, DE SYLVA) Frisii medici, Commentarios in Plinium, quos laudat Muntingius, opere singulari de herba Britannica, pag. 121, nec vidimus, nec vulgatos putamus. Denique Nicolaum Beraldum, sive BERAUD, quem nonnemo nuper prodidit aliquid in Plinium exarasse, prorsus nec vidimus, nec novimus [1].

Jam qui partem hujus operis aliquam sibi sumpsere, ut in ea potissimum elaborarent, hi fere sunt:

In præfationem ad Titum. MARINUS BECICHEMUS Scodrensis, anno MDXIX. NICOLAUS PEROTTUS, Episcopus Sipontinus, auctor Cornucopiæ: quo opere ea elucubratio continetur, p. 1033, cum CORNELII VITELLII in eamdem Plinii Epistolam annotationibus. FRANCISCUS DE VILLALOBOS, Glossam Naturalem edidit in Plinii Historiæ Naturalis primum et secundum librum, Compluti, apud

1. De Christophori Longolii laboribus in Plinium multa reperiri dicuntur in vitis philosophorum a Melchiore Adamo collectis, laudanturque Gesnero ejus commentarii in Biblioth. Universali. Jacobi quoque Susii et Brugensium notas prædicavit Andreas Schottus in epistola ad Ortelium quæ Pomponio Melæ subjecta est. Petri Ciacconii Toletani Vigiliæ Plinianæ; Petri Pieril Smensæ cujusdam patria Schotani, necnon Roberti Constantini emendationes in Plinium a nonnullis citantur. Octavius Ferrarius commentationem Pliuianam instituerat, quam ad librum duodecimum provectam mors abrupit. Plura de iis vide apud Fabricium. ED.

Mich. DE EQUIA, MDXXIV, *in-folio.* Nec scriptoris hujus, nec trium subsequentium lucubrationes in manus nostras adhuc pervenere. MARTINUS DE FIGUEREDO, Commentum in Plinii Natur. Hist. Prologum, Olisipone MDXXIX, *in-folio.* ANTONIUS FERRARIENSIS, laudatus a Pictorio in scholis ad Marbodei librum de gemmis, fol. 38, quem librum Pictorius edidit, anno MDXXXI. ANTONIUS FLAMINIUS (sunt qui Lucii prænomen fuisse ei velint) in Plinii Proœmium Naturalis Historiæ commentariolum scripsisse perhibetur. HADRIANUS TURNEBUS, qui suas in præfationem Plinii notas debere se viro Cl. Guillelmo PELLICERIO Monspessuli Episcopo profitetur. POLYCARPUS PALERMUS Veronensis, libros tres, De vera C. Plinii Secundi patria, eaque Verona scilicet, scripsit, ad eum præfationis Plinianæ locum, *Catullum conterraneum meum ;* quibus PAULI CIGALINI medici Novocomensis, et aliorum, sententia confutatur[1]. Veronæ, MDCVIII, 4°.

In librum secundum. GEORGIUS VALLA, Venetiis MDII, in-4°. Neque hujus Commentarium videre adhuc licuit. JACOBUS ZIEGLERUS Bavarus, Basileæ MDXXXI, *in-folio.* Addita eodem volumine GEORGII COLLINUTII, et JOACHIMI VADIANI in eumdem librum secundum scholia quædam. JACOBUS MILICHIUS, Mathematum Professor, in schola Wittembergensi, anno MDXXXIV, in-4°. RODOLPHUS GOCLENIUS, Marpurgi Cattorum, MDCXII, *in-folio*[2].

In librum septimum. EDUARDUS FERNANDEZ paraphra-

1. Addere potuerat Harduinus Philippi Melanchthonis Plinianæ præfationis paraphrasim, quæ cum duabus Demosthenis orationibus in latinum versis Hagenoæ prodiit anno 1527. Item Antonii Fabri in eamdem præfationem commentarium, Romæ 1510; item Leodigarii a Quercu, Parisiis 1556 et Heidelb. 1600. De controversia inter Palermum et Cigalinum, vide nos infra, excurs. I ad Plinii vitam. ED.

2. Præterea in libros I et II, Francisci de Villalobos exstat Glossa naturalis, Compluti 1524; in librum IV, Massarii castigationes, Basil. 1537, in-4°. ED.

sin edidit Hispali ad hunc Plinii locum, cap. 50: *Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori.* Et Apologiam deinde pro sua illa paraphrasi, adversus Joannem de Luna Vega, doctorem medicum. FRANCISCUS XIMENEZ GUILLEN, *Quid sit per sapientiam mori apud Plinium*, Hispali quoque publicavit, cum Apologia pro sua expositione, adversus Joannem de Luna. JOANNES DE PINEDA, S. J. *De C. Plinii loco inter eruditos controverso: Atque etiam morbus est aliquis per sapientiam mori* [1].

In librum nonum. FRANCISCUS MASSARIUS Venetus, in librum Plinii nonum Naturalis Historiæ, de natura aquatilium Commentarium edidit. Prodidit Basileæ primum anno MDXXXVII, 4°. Scholia in Plinium et Oppianum de Piscibus CÆSARIUS edidit Argentorati, MDXXXIV, 4°.

In librum undecimum. NICOLAUS RIGALTIUS, in laudem Card. Barberini, cujus in stemmate gentilitio visuntur apes, hujus libri particulam eam quæ de apum natura agit, ad fidem MSS. codicum emendatiorem edidisse perhibetur, haud illa tamen adhuc visa nobis [2].

In librum decimum tertium. Caput illud quod in papyri Ægyptiacæ explicanda natura ac forma est, singulis commentariis MELCHIOR GUILLANDINUS et JOSEPHUS SCALIGER prosecuti sunt, inter se conviciis etiam digladiantes de vero loci ejus intellectu: quem neuter plane est assecutus, ut suo loco dicemus [3].

1. Totum hunc septimum librum interpretatus est Guglingerus, Cracoviæ 1526. *De morte per sapientiam* sæpe et ab aliis disputatum est, inter quos Beverovicius Quæst. epistol. et Wedelius Centur. I, Diss. medicophilolog. X, 10, Fabricio laudantur. ED.

2. Ad eumdem librum Antonii Vallisnerii dialogos inter Plinium et Malpighium legas in Musæo Minervæ Venetæ (*Galleria di Minerva*), tom. I, pag. 297, et tom. III, pp. 297, 353, quibus ingeniose refellitur generatio per putredinem. Ad librum vero XII pertinet Nicolai Maronceæ commentarius in Plinium et Dioscoridem de amomo, Basil. 1600, in-4°. ED.

3. Guillandini papyrus seu commentarius in tria Plinii de papyro

In librum decimum nonum et subsequentes, de re herbaria. NICOLAUS LEONICENUS libellum edidit de falsa quarumdam herbarum inscriptione a Plinio, Argentorati MDXXXVI. Quo volumine comprehensa quoque PANDULPHI COLLINUTII defensio adversus Nicolaum Leonicenum Pliniomastigem.

In librum vicesimum cæterosque subsequentes libros. JOANNES FREDERICUS GRONOVIUS in aliquot posteriorum librorum loca Notas edidit anno MDCXLVIII, orsus a libri vicesimi capite decimo sexto : miscellaneas quoque fere duodenas animadversiones in libros priores. Sunt omnes eæ numero quidem paucæ, aliquanto etiam prolixiores : at pleræque certe felici conjectura, quibus nostras esse similes universas optamus. Quanquam nec consuluisse fontes Græcos fere is videtur, in quibus singulare subsidium inesse ad hoc opus, lectori non omnino harum rerum rudi palam fore confidimus [1].

Sed vicisse omnes existimari voluit vegrandi mole duorum voluminum, quibus Plinianarum Exercitationum in Solinum nomen fecit, CLAUDIUS SALMASIUS. Quo in opere ut sint quam plurima sane dicta erudite (quis enim id negat?) at sunt aliena tamen ab instituto, hoc est, a Plinio illustrando pleraque; et quæcumque in Plinio sunt difficilioris paulo explicatus, quæ sunt propemodum infinita, prætermissa interim ab eo, ac ne leviter quidem delibata : quidquid demum boni ac probabilis, quod ad Plinium quidem attineat, ea lucubratione continetur, id fere totum est ex alienis hortis subreptum, quos suis

capita, Venetiis prodiit an. 1572, iterumque Amberg. 1613, in-4°. Scaligeri vero animadversiones in hoc opus, Francof. 1612, in-8°. ED.

1. In libri XXX, capita 1 et 2, commentarius argutissimi scriptoris, id est Johannis Trithemii, complectens magiæ naturalis rationem, prodiit Herbipoli 1548, in-4°, quo difficultates Plinianæ præsertim de magia explicantur et tolluntur, monente qui nobis facem in his omnibus prætulit Fabricio. ED.

locis indicabimus; quidquid de suo primum excogitavit ac protulit, quod eodem spectet, ei fere oportuit theta nigrum a nobis præfigi : id quod sine ulla tamen acerbitate facturi sumus, a qua longissime nostri mores absunt.

Libellum is præterea edidit, quem inscripsit *De Plinio Judicium*, et *De Homonymis* : ubi Plinio dicam scribit, quod sub diversis nominibus easdem omnino plantas diversis locis describat : perinde quasi non idem Galenus usurparit, libris de facultate simplicium medicamentorum inscriptis, in Astero Attico, et Bubonio, aliisque. Sed sunt et alia ejus libri παροράματα, quæ suis locis notabuntur [1].

Itaque post tot summorum virorum lucubrationes, si quis roget quid ab iis effectum sit tot curis, tot vigiliis, tot sudoribus, quid deinde laboris supersit; dicam audacter, quod est apud eruditos in confesso, plus uni mihi deinde superfuisse, quam quantum a singulis jam exhaustum sit, plus etiam quam quantum ab omnibus. Nam et vix partem operis millesimam attigere universi : et retractandæ nihilominus singulorum lucubrationes, discrepantes codicum lectiones simul excutiendæ, ut quæ sinceræ forent dijudicaremus, quæve adulterinæ.

Γεωγραφικὰ, ut appellant, hoc est, terrarum situs, quam in partem maxime negligentia librariorum atque imperitia carnificinam exercuit, restituendus ac sanandus fuit : truncata, divulsa, confusa, conflataque nomina, quæ tamen fere, ceu genuina, Ortelii Lexica cæterorumque admisere, suo primum nitori, suoque deinde loco ac situi, unde perversa interpunctione exciderant, reddenda : quod quanti fastidii fuerit, vix ii intelligent, ad quos nulla pars tædii, sed operis utilitas una perveniet. Historicas deinde narrationes, placitaque propemodum innumera,

1. Non locis indicatis tantum, sed et in notis ad Hist. Aug. scriptores Salmasius complures Plinii locos attigit; quod etiam fecerunt Budæus in Asse, Scaliger uterque passim, et alii minoris famæ. Ed.

in quibus lapsum errore Plinium vulgus credit, idoneis probatissimorum scriptorum testimoniis constabilienda: discutiendæ item curationes medicæ, et suis quæque aptandæ morbis, non alienis adscribendæ, quibus præpostera interpunctio remedia sæpe aliena affinxit: fides denique integerrimo ubique restituenda scriptori, fama ejusdem et existimatio sarcienda. Quod quidem quibus adjutus præsidiis præstare sim conatus, qua tandem via et arte id effecerim, quod spondeo, ut non multo emendatior modo prodeat, quam hactenus fuit, sed et politior, nitidior, integrior, quam cæterorum ullus Latinorum scriptorum, nunc tandem aperire operæ pretium est.

Accurata primum ac diligens MSS. codicum collatio adhibita, et quidem plurimorum. E Bibliotheca primum Regia, cui nunc vir clarissimus nobisque conjunctissimus amicitia, THEVENOTIUS præest, duos præsertim utendos habuimus: alterum annorum octingentorum; quingentorum alterum, qui fere cum Chiffletiano superius laudato a me codice congruit. E Bibliotheca deinde Viri illustrissimi JOANNIS BAPTISTÆ COLBERTI, qui nuper in Suprema Ærarii Regii Præfectura obiit, omnino quatuor: quorum perhumaniter, ut solet, copiam nobis fecit Vir Cl. STEPH. BALUZIUS. In his codicibus quatuor, Thuanæus est, quem Salmasius sæpe testem advocat in Exercitationibus Plinianis. Itaque usi sumus iis exemplaribus, quæ tam publici juris esse possunt, quam nostri fuerunt: ne publicæ credulitati ignota laudando, nec satis certo loco delitentia, imponere videremur.

Usi præterea et altero optimæ notæ codice, quem Parisiensem nuncupamus, quod sit in ea urbe in qua sumus, et in Bibliothecæ, quam curamus, scriniis reconditus.

Advocavimus interdum in partes Chiffletiani exemplaris fidem, et Fuxensis, vetustique item alterius, quorum discrepantem ab aliis scripturam Dalecampius in sua edi-.

tione exhibuit. Item Toletanum et Salmanticensem, quos Pintianus laudat. San-Victorinum quoque, etsi nunc amissum audio : cujus lectiones variæ in libros Plinii aliquot, eruditi cujuspiam viri manu exaratæ in Bibliotheca nostra asservantur.

Fecit et amicorum comitas, ut aliorum præterea exemplarium fidem atque auctoritatem, etsi procul abessent, in consilium adhibuerimus interdum de difficilioribus locis. E septem Vaticanis codicibus sumpta testimonia PETRO POSSINO debemus, qui tum Romæ agebat, viro e Societate nostra, editorum operum copia et multiplici doctrina celebratissimo. E Lugdunensi, P. CHARONERIO, Bibliothecæ ejus Collegii Præfecto. Ex alio denique, qui olim sancti Michaelis fuit, nunc est Cœnobii Rhedonensis, P. MAURO AUDRENIO, e Benedictina familia.

Contulit præterea nonnihil opis, etsi perpusillum, Illustrissimi Viri GUILLELMI PELLICERII Episcopi Monspeliensis, qui litterarum ævo suo, et idem ordinis sui decus atque ornamentum fuit, gemina lucubratio, manu ipsius exarata, qua Bibliothecam ipse nostram donavit : altera, quæ constat variantibus, ut aiunt, lectionibus plurimorum codicum, ad oram libri adnotatis; altera prolixior paulo[1], notis et conjecturis in libros Geographicos, tum sparsis subinde veluti flosculis in librum octavum, qui de animalium natura agit, tum nonnulla quoque ex parte in librum septimum, et nonum, ubi facto demum fine conquiescit. Verum in Geographicis ille, conjecturis modo et MSS. non utique probatissimis utitur : Græcum scriptorem, qui de situ terrarum egerit, laudat sequiturque neminem : in octavo, Aristotelem unum. Quoties tamen ex eo profece-

1. Nimirum is est codex, quem inter Regiæ nostratis Bibliothecæ libros manuscriptos N° 6808 inscriptum referemus. Habuimus et nos ad manum, sed sine fructu : quantulum enim præsidii ex illo sperari potuit, jam præoccupaverat Harduinus. ED.

rimus, non solum confitebimur, sed et prædicabimus, hominem, ut par est, cum honoris præfatione appellantes: atque ubi refellere opus erit, id salva tanti viri reverentia pariter facturi sumus, sæpe etiam ne nomine quidem tum appellato.

Posteriores hasce Pellicerii observationes, marginalesque alias ejusdem manu scriptas in decem priores libros, de quibus inferius dicturi sumus, vidit Nicolaus Rigaltius, selectasque ex iis quamplurimas in oram libri sui transvexit. Inspectæ illæ sunt enim obiter a nobis et cursim, ante annos quinque, facta vix ejus libri quasi per transennam inspiciendi copia. Vidit et Rondeletius, qui suum de Piscibus librum ex iisdem annotationibus concinnavit, Thuano teste, libro XXXVII.

Verum nec unicum fuit, nec præcipuum in codicibus MSS. ut pristinam ad speciem nitoremque Plinii scripta revocaremus, subsidium præsidiumque: nedum ad illustrandum. Codices manuscripti, sive quos ipsi tractavimus, sive unde ad nos missæ sunt variæ lectiones, reipsa non excedunt annos sexcentos. In his malitia describentium notæ chronologicæ plurimæ sunt corruptæ, nec una ratione, dissentientibus inter se velut ex composito exemplaribus. Non habet hoc opus, ut alia plurima, lacunas aliquas, quæ suppleri debeant conjectura: integrum ad nos pervenit: nec detrahendo, sed addendo potius quædam, grassata in eo interpolatorum audacia est: at sunt ea perpauca; et a nobis quidem aut aperte reprehendentur, et certis rejicientur argumentis, aut quibusdam signis appositis esse ea temere infarta admonebit ipse orationis contextus.

Evolvenda vero fuere volumina sexcenta, tum prisca, tum recentia, tum Græce scripta, tum Latine: neque evolvenda solum, sed et diligenter conferenda alia cum aliis, cum Plinio singula: ut vel sic sincera loci emenda-

tio, germanusque intellectus non pateret modo, sed et ita communiretur, ut convelli deinceps non posset ulla vi criticave censura. Et illustrando quidem Pliniano operi, cætera; emendando vero, eorum inprimis scripta profuere, vel per quos profecisse se Plinius fatetur, qui sunt numero propemodum infiniti, mole librorum ac difficultate insignes; vel qui Plinium transcripsere ipsi olim; vel denique qui ex iisdem fontibus hauserunt, unde suos Plinius hortos rigavit.

Hic demum Lydius lapis est, hæc obrussa: ad horum scripta Plinianæ scripturæ veritas metienda: quid in eo mendosum tinniat, quid subæratum, quid adulterina forma percussum. Nam si in vetustis exemplaribus hæreas modo, quum ipsa inter se sæpe dissideant, quum sint inquinata æque eruditorum conjecturis atque librariorum inscitia, quum verbis alioversum acceptis pro genuino auctoris sensu falsam ac depravatam interpretis sententiam recipere sæpe cogamur: quis demum litium finis est futurus, nisi probatissimis codicibus adstipulatorem quempiam e gravissimis auctoribus adhibeas, calculumque ejus adjungas, cujus ope sua demum orationi Plinianæ sententia integritasque constet?

Horum nos testimonia si proferimus sæpe in medium, si consensum proponimus antiquitatis totius cum Plinio, si rempublicam ingeniorum vadem pro eo sistimus; ut minus jucundum id nonnullis esse videatur, quis utile inficietur? aut quis jure succenseat, quum justi commentarii vice ea ipsa loca sint, quibus Plinii sententia emendatur, defenditur, intelligitur? Emendatur porro sic, ut nullus deinde supersit alteri conjecturæ locus; ita defenditur, ut tot suffragiis auctorum communitus nihil jam extimescat, sed sit extra maledicentiæ tela positus; sic demum intelligitur, ut ne nostræ quidem interpretationis lucem fere desideret. Sed quantæ præter hæc voluptatis fore putan-

dum est, deprehendi statim, quæ et unde mutua Plinius acceperit, expressis indicatisve locis, quæ secutus sit? ejusdem simul errata coargui, si quæ sunt, iisdem inter se collatis? Interdum in Dioscoridis concedere sententiam (placet enim in hoc exemplum statuere), ne mentitus; alire nonnunquam diversum, ne mutuatus ab eo quæ affert, existimetur. Potuisse enim equidem non diffiteor eum appellare inter cæteros per quos profecit (si tamen, quod multi verius negant, vetustior Plinio Dioscorides fuit[1]): noluisse autem, tum quod ipsos præ manibus auctores haberet, ex quibus suam Dioscorides epitomen consarcinavit; tum quod jure aspernari potuit Dioscoridem Plinius, hoc est, homo Romanus externum hominem, quem sui quoque populares vel inscitiæ sæpe coarguant, ut is, qui post annos aliquot vixit, vir judicii in eo genere limatissimi Galenus[2], ac deinde Photius; vel certe negligunt, ut Athenæus, qui quum in Græcis auctoribus appellandis minime alias parcus sit, Dioscoridem ne semel quidem laudarit.

Hæc igitur subsidia, hæc laboris nostri adjumenta fuerunt, quibus in singulis conquirendis quantum laboris insumptum sit, facile ii æstimaturi sunt, qui hoc genus studiorum quam sit fastidii tædiique plenum per se ipsi norunt. *Veneficia mea, Quirites, hæc sunt*[3], inquiebat ille, qui quum in parvo admodum agello largiores multo fructus perciperet, quam ex amplissimis vicinitas, in invidia magna erat, ceu fruges alienas pelliceret veneficiis: *nec possum*, adjecit idem, *vobis ostendere, aut in forum adducere lucubrationes meas, vigilias, et sudores.*

Ne vero inaniter nostra collocata opera existimetur, scito

1. Melius ad Broterii præfationem, mox subsecuturam, hanc nos disputationem aggrediemur, ubi vide Excursum II. Ed.

2. Galenus, lib. VII, de Fac. simp. medic. pag. 194, et lib. XI, pag. 301; Photius, cod. 178.

3. Apud Plin. lib. XVIII, sect. 8.

bis mille amplius a nobis sublata flagitia, propter quæ eximium opus non pauci, tanquam senticetum, aut pestilens lemuribusque infame domicilium, devitabant. Horum præcipua tum ex eorum Indice[1] intelliges, tum ex Emendationibus fusioribusque Notis[2], quas Lipsium imitatus ad Tacitum, in calcem cujusque libri conjeci, ubi plenis velis vectus omnia latius inflatiusque exponerem, totosque, ut ita dicam, rudentes laxarem, ac stylo liberius indulgerem. Quod in multis fieri fuit necesse: nam et emendationum ratio pluribus verbis reddenda, et altercationes dirimendæ, et innumera uberius explicanda, quæ vel difficultatem haberent, vel novitatem. Fuit illud interim simplicis ingenii, quod menda multa sine ullo verborum fuco expunximus, procul omni pompa ac venditatione[3], præfationibus summotis omnibus, dissimulatoque etiam in plerisque rebus inveniendis labore, ne mirari nostra videremur, ac legentem defatigare prius, quam pascere:

> A nostris procul est omnis vesica libellis:
> Musa nec insano syrmate nostra tumet[4].

Juvabit interim scriptorum veterum menda plurima, quæ nos primi sustulimus, animadvertere: recentium vero, qui de situ terrarum (Geographos appellant), quique de animalium, piscium, aviumque natura, et qui de re herbaria medicaque, volumina concinnarunt, errata non pauca, quæ nos indicabimus, intelligere. Neque enim nos diffitemur ab Ortelio, Holstenio, Aldrovando, Bellonio, aliisque, a Lexi-

1. Omisimus illum, ut inutilem, quum priscarum editionum lectiones sub recentiore textu accurate designemus. Ed.

2. Excerpsimus ex iis quod inesse visum est optimi, cæterisque notis inseruimus. Ed.

3. Præclare; sed et admonendus erat lector, et auctoritates producendæ: quod passim omisit Harduinus, nos in primis curæ nostræ duximus. Ed.

4. Martial. lib. IV, Epigr. 49, 7 et seq.

cographis quoque ipsis sæpenumero dissidere, in locorum, et animalium, herbarumque vernaculis nominibus signandis : sed gravissima fuere dissentiendi argumenta, ingentesque causæ, de quibus judicium faciet omnis eruditorum senatus.

In Geographicis quidem vetustos auctores, Tabulas nauticas, Itineraria veterum recentiumve scriptorum, Inscriptiones antiquas, Notitias Ecclesiasticas Græcas pariter ac Latinas, veteres nummos, aliaque similia adjumenta adhibuimus, quæ prioribus aut latuere omnino, aut difficilioris visa sunt explicatus, molestique fastidii. Sed et viros præterea, qui loca ea lustrarunt, Asiæ maxime Græciæque, Syriæ ac Mesopotamiæ, in hac parte, indices locorum habuimus, et operis adjutores.

In animantium deinde natura explicanda, quantum est auctorum veterum ac recentium, qui sint in eo argumento versati, adscivimus. In re herbaria, non eos modo qui de ea commentati sunt, sed et eam, quæ hic maxime ac prope sola dominatur, αὐτοψίαν : quod et Plinius in suo hoc opere concinnando fecisse gloriatur. Paucæ sunt enim ex herbis iis, quas Plinius attigit, quæ non fuerint a nobis in Horto Regio animadversæ diligenter, tum maxime quum singulari cura is coleretur, et totidem fere herbarum genera reapse exhiberet, quot in Indice typis edito, anno MDCLXV, continentur. Sunt singulæ, inquam, ibi præsertim, aliisque in hortulis, a nobis exploratæ, omnibusque fere notis congruere cum Pliniana delineatione deprehensæ.

Denique in re medica, et eos diligenter cum Plinio scriptores contulimus, a quibus ille mutuum accepit, et qui ab eodem deinde pariter mutuati. Horum autem omnium, ubi res poscit, verba proferimus : iisdem interdum, brevitatis studio, supersedemus, designari locum satis esse rati, tanquam si non doceamus ibi, sed admoneamus docturos.

Ut multa vero sint ea quæ animadversuri sumus in Notis, non est verendum tamen, uti renur, ne prolixiores videamur iis, qui nihil de fæce, quod aiunt, haurire nos facile paterentur. Neque enim trita aut ante pedes posita afferemus : non congeremus fere præmissa a cæteris, nec hortum quem colimus, alienis irrigabimus rivulis : nec denique, quod noster monet, diligentiam affectabimus in supervacuis. Quamobrem si diffusum id nimis opus cuipiam nihilominus videatur, id responsi feret, quod reposuisse acute Plinius alter[1] perhibetur, quum villam aliquam perelegantem particulatim amico depingeret : « Non epistolam, quæ describit, sed villam quæ describitur, magnam esse. Brevem esse, qui facit quod instituit : si materiæ immoratur, non esse longum : non excursum hunc, sed opus ipsum esse. »

Ac frontem quidem ipsam Pliniani operis multo politiorem nitidioremque, quam fuit hactenus, exhibemus : priore libro integro, qui cæterorum index est, quem priorum editorum negligentia abdicarat, ad fidem MSS. codicum, Reg. 1, 2, Colb. 2, et Thuanæi, nunc primum in lucem prolato ; ablegato interim altero[2], quem imperiti audaculique viri ex officina sua, et ex lemmatibus capitum, quæ confinxerant ipsi quoque pro arbitratu, pro vero ac genuino, concinnatum obtruserant. At ubi nihilominus in eo ipso quem repræsentamus, qui nec Plinium ipsum fortassis auctorem sapit, excidisse quidpiam licuit suspicari, lacunam ibi ex conjectura supplevimus : diversoque, hoc est, Italico pingendi charactere edi curavimus. Additi denique numeri, qui sectionibus[3] responderent, in quas singulorum librorum postea esset subsecanda materia.

1. Plin. lib. V, Epist. 6, 44.

2. Quem nos, ut habentem suas etiam e codicibus auctoritates, non omnino abjiciendum, sed inter generales indices sub totius operis finem removendum esse duximus. Ed.

3. Sive capitibus : vide infra, p. XXVIII, not. 1. Ed.

Subjunximus deinde Auctorum Syllabum, qui toto opere a Plinio appellantur. Horum plerisque non sua modo nomina, detrita ante, truncata, corrupta, ignota, sed et famam quoque suam restituimus: ut jam et ipsi qui sint, et quæ ætas, quæ patria, quæ scripta denique (non omnia quidem: id enim nec nostri est instituti persequi, et est infiniti laboris; sed ea modo per quæ profecisse videri Plinius noster possit) manifesta sint. Quoties autem appelletur eorum quisque a Plinio, ex Indice singulari, quem in calce operis subteximus, nullo negotio statim constabit.

E reliquo opere titulos [1] seu lemmata capitum plane sustulimus: et quod Plinium ea non habent auctorem; et quod nihil insulsius dici aut videri potest, quam præposterus plurimorum lemmatum situs, ut suis locis commonstraturi sumus. Quid quod et recepta hactenus capitum sectio, qua totum Plinii opus divisum ac dissectum est, in antiquioribus paulo ac melioris notæ libris nulla est: et alia in pervetustis editionibus, in sequentibus alia, in utrisque sæpe digna risu: ubi multa perperam distracta a superioribus, quibuscum ea cohærere oportuit; divulsæque sæpenumero sententiæ integræ, parte sua præcedenti capiti hæreant, altera faciant subsequentis initium? Atqui veterum quicumque lectos a se Plinii libros commemorant, Tertullianus, Augustinus, Gellius, Macrobius, aliique, librum quidem ii indigitant, designantque; minutias capitulorum, nemo. Singulis enim libris continuata rerum series continetur, quamobrem et historia vocitatur: sic ut aliæ res nexæ ex aliis, narrationis serie copulatæ, et omnes inter se aptæ colligatæque sint, nullum ut pateat interstitium, fallente transitu, ut in historiarum Herodoti, Thucydidis, et Livii libris. Nos nihilominus in totidem particulas secui-

1. In antiquis editionibus singula capita titulos suos inter ipsum contextum distributos præferebant, quibus Plinianum opus non in membra, sed in frusta misere discerptum fuerat. Ed.

mus, quas sectiones[1] eam ob causam libuit appellare, quot signatas ab ipso Plinio in Indice intelligere licuit: et priscos tamen numeros capitum, qui fuere in usu hactenus, asservari in margine[2] voluimus, ut citata in libris ad hunc diem Plinii loca per capita, in hac quoque editione nostra vel sic occurrant.

Indicis[3] denique facta accessio, non qualis primum a Joanne Camerte, e sacra Minorum familia, viro religioso et erudito, concinnatus est olim Viennæ Pannoniæ, anno MDXIV, etsi is deinceps in omnibus fere Plinii editionibus est adoptatus: sed verborum plane singulorum: quoniam bona pars Latinæ linguæ hoc uno continetur opere, in quo et vocum occurrit propemodum copia infinita, et significatio singularis.

Hanc porro rationem in explanando tam erudito tamque diffuso opere secuti sumus, ut ne sæpius a nobis eadem dicerentur; ut semel tantum, propter institutam rationem brevitatis, abstrusiores paulo voces, et propriæ locorum, animalium, agricolationis, vindemiæ, morborum, herbarum, cæterorumque ejusmodi, explanarentur: quo autem loco, intelligendum ex Indice: priore enim fere loco ac numero res ea deciditur; de qua, si quoties occurrit ea, disceptandum foret, in ingentem molem commentariorum istud volumen excresceret. Sic tamen interim habeto, nullam a nobis esse prætermissam voculam, cui difficultatis aliquid subesse suspicio foret; nullam intentatam, indictamve: sic ut quum paucæ quædam incerti nobis significatus essent, quas in tanta rerum bonarum copia præterire, non modo sine ullo famæ dispendio liceret, sed etiam tutum es-

1. Passim eas in nostris adnotationibus nunc *sectiones*, nunc *capita*, nullo discrimine vocabimus, quum manifestum sit, ubi Plinii locum aliquem indigitamus, nos ad nostrum, i. e. ad Harduini textum respicere. Ed.

2. Ex margine in ipsum paginæ corpus transtulimus illos, minore litterarum forma et intra parenthesim expressos. Ed.

3. Invenietur sub nostræ editionis finem, magna ex parte correctus. Ed.

et, vel dictante proverbio, *Quæ dubites, ne feceris* : maluerimus tamen id ingenue profiteri, ac minus callidi in nos existimationemque nostram, minusque astuti videri, quam minus ingenui ac simplices.

Quanta nihilominus rei litterariæ ex hisce nostris lucubrationibus utilitas accessura sit, aliis æstimandum relinquimus : quanta vero ex hoc singulari opere, nunc scilicet ad amussim emendato castigatoque, emolumenta speranda sint, fecere jampridem judicium eruditi viri. In infinita prope veterum librorum non jactura, sed naufragio, non clade, sed interitu, « Non sumus omnino superis odiosi, inquiebat olim Hermolaus ad Picum Mirandulæ Comitem, quando superstes est Plinius. Sustentat ille nos utcumque mutilus, decurtatus, lacer. Nisi exstaret, actum esset, tunderemus aquam omnes : si eadem, quæ cæteros, ademisset eum nobis calamitas, profligata spes omnis esset Latinæ rei constituendæ. Nunc eo duce, quanquam semianimi et exsangui, vivimus : et nisi ipse mihi blandior, videtur in dies proficere, habetur in manibus, celebratur, colitur. Censetur indoctus, qui Plinium non legit : indoctior, qui lectum contemnit : indoctissimus, cui non sapit. Debet ætati nostræ plus, quam suæ, Plinius : sed nos ei magis, qui per illum maxime subsistimus. Alii rem Latinam juverunt, ille ipse nobis est Latium. » Atqui id eo ævo pronunciare si vere licuit; si in uno hoc libro Latinæ rei puppis et prora versari merito existimata est, quum tot adhuc salebris horreret, tot mendis scateret, seu verius monstris : quid iis feliciter profligatis, quid deterso eo opere, perpurgatoque jam, uti confidimus, ac resplendescente, sentiendum, aut quid omnino non sperandum putemus?

Est operis certe per se ipsius susceptio, dispositio, conformatioque, grandis et capacis ingenii opus : idque eo grandius et magnificentius existimari par est, quod nemo unquam ex omni ævo præter eum repertus est, ne apud

Græculos illos quidem loquaces et otiosos, qui universam Naturæ historiam unius laboris et operis monumento consignarit. Ex orbe doctrinæ, quam ἐγκυκλοπαιδείαν vocant, quam sibi quisque particulam delegerit, Auctorum Index, quem subtexemus, priori libro declarabit. Nemo unus attigit universam. Nemo, ut noster, thesaurum, vel mundum verius rerum omnium cognitu dignarum, spirans ingenii sui monumentum, reliquit. Quare Plinium haud immerito, etsi novo more loquendi, *Naturæ Bibliothecarium* Langius, Heinsius *Primum omnium Secundum, et secundum nemini*, appellarunt; cæteri eruditi opus hoc unum cæterorum e Latio scriptorum, si ita necesse sit, jactura emendum pronunciarunt; civitates ipsæ nobilissimæ, Brixiensis Joanni Taberio anno MDVIII, Salmanticensis Pintiano, aliæque aliis, Plinii in publico Gymnasio interpretandi provinciam imposuerunt, salario etiamnum largissime ex ærario persoluto. Ut jam suæ petulantiæ pudere necesse sit eos, qui puerili παρωνυμίᾳ Plinium Planium hactenus appellarunt (quod viri nomen est apud Ciceronem, lib. IX Famil. Epist. XIII), planum, hoc est, mendacem volentes intelligi.

Nam quod multa Plinium attulisse in medium criminantur aliqui, quæ falsa sint, quæ commenta sapiant Magorumque vanitates, nihil id utique habet justæ reprehensionis. Nam quo eum argumento mendacii arguas, qui nihil comminiscatur, nihil afferat quod haberi pro certo ac confesso velit, quin sit illud idem ab aliis scriptoribus, extra omnem mendacii suspicionem positis, quos quidem suis locis appellaturi sumus, proditum similiter? qui dubia se suis reddere profiteatur auctoribus, quorum ad fidem provocat, ac legentes ablegat? qui denique Magorum commenta eo recitat, quod præ se fert ipse haud obscure passim[1], ut eorumdem obiter coarguat vanitatem:

1. Lib. XXVII, sect. 14, et alibi passim.

quæ sub Nerone Principe, quod is hanc exercuerat artem, videri poterat in ipsa Urbe auctoritatem accepisse?

Fuit auctori prænomen Caius, nomen Plinius, cognomen Secundus: *Plinius*, ex patre; *Secundus*, ex matre[1]: quamobrem Pomponius Secundus vates affinis ei fuit, natus similiter ex Pomponio patre, et matre Secunda[2], Plinii Secundi matertera. Et ea causa fuit, cur Plinius Pomponii Secundi vitam retulerit, ut ipse prodidit, lib. xiv, sect. vi. Patria Pliniæ genti proinde, ut Pomponiæ, Roma fuit. Enimvero se ipse Romanum ubique fere profitetur, *Urbemque nostram* Romam, *Leges nostras*, quæ sunt xii tabularum, *Annales nostros*, quos Romani scripsere, *conditores nostros* Romulum Remumque, *avos majoresque nostros*, *et magistratus nostros* passim Romanos appellitat, *et nostrum mare*, quod Campaniam alluit. Nec temere sane in Campania villam ei fuisse ex eo colligas, quod libro xv, sect. xxx, *duracena cerasa Campaniam* dicit *Pliniana appellare*. Denique, libro xxii, sect. xix: *Nos ista*, inquit, *Romana gravitate, non ut medici*, *sed*

1. Levissime dictum. Maler enim Plinii quæ fuerit, ignoratur; nec matrum, sed patrum cognomina vulgo transferebautur ad filios. Secundi vero cognomen in quibusdam familiis natu minori filio imponi solebat: unde apud antiquos satis frequens occurrit. Sed patet ad distinguendas gentes familiasve, nibil certi ex hoc indicio argui posse. Cæterum quæ de Plinio ejusque vita hic aguntur, nullius pretii sunt et prorsus Harduino indigna. Longe rectiora pete, si libet, ex Broterii præfatione, quam nostris adnotationibus auctam paulo infra exhibebimus. Ed.

2. L. Pomponius Secundus, Q. frater, cujus vitam Plinius noster scripserat, ipso teste l. XXIV, 4, et Plinio juniore, Ep. 5 tertii libri, vir insignis, et idem poeta, consul, triumphalisque fuit, præstanti apud Romanos gente ortus, Pliniis vero nullateuus affinis, quod ipsa Junioris verba satis innuunt; libros enim ab avunculo scriptos ait *de vita Pomponii Secundi duo*, *a quo singulariter amatus*, *hoc memoriæ amici quasi debitum munus exsolvit;* vides affinitatis nullam fieri mentionem. Pomponii matrem Secundam somniavit Harduinus, quam quidem Nostri materteram fuisse fingit, alias nobis incognitam. De L. Pomponio passim mentio apud Nostrum. De ejus consulatu rebusque gestis vide Dionem, Tacitum aliosque Historicos. De scriptis ab ipso tragœdiis, Quintil. lib. X. De Quinto fratre, Tac. Anu. VI, 18, et alibi. Ed.

ut judices salutis humanæ, diligenter distinguemus. Et libro XXV, sect. CVI: *Nos eam Romanis experimentis digeremus.* Alibi etiam: *Noster Sulpicius: Seneca apud nos, apud nos Cicero.* Quid est Romanum se profiteri, si hoc non est[1]? Novocomensem quidem eum Hieronymus facit, sed a scriptore vitæ Plinianæ impulsus in fraudem, quem Tranquillum esse Suetonium vulgus, sed falso, putat.

Ex eadem Pliniorum gente fuit is, qui Byzantii scriba fuit, temporibus Severi Alexandri Imperat. teste nummo antiquo, qui fuit in cimelio D. FOUCAULT, hac epigraphe: ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ ΓΡ. ΠΛΙΝ. ΣΕΚΟΥΝΔΟΥ. Γραμματέως Πλινίου Σεκούνδου. *Byzantiorum* nummus, sub *Scriba Plinio Secundo*[2].

1. Has omnes Harduini cavillationes probe confutat vel unus Ciceronis locus l. II de Legg. « Omnibus, inquit, municipibus duas censeo esse patrias, unam naturæ, alteram civitatis, ut ille Cato quum esset Tusculi natus, in populi Romani civitatem susceptus est; itaque quum ortu Tusculanus esset, civitate Romanus, habuit alteram loci patriam, alteram juris. » Ita Cicero, quamvis ortu Arpinas, civitate Romanus fuit; ita Plinius, quamvis Novocomensis, Romam patriam appellare poterat. Vide quæ in hanc rem disseruntur a Rezzonico, lib. VI, p. 105. Ed.

2. Numeratur etiam inter Græcos Plinius Secundus Atheniensis, fabri filius, unde et Ἐπίθυρος cognominatus est: quem Herodis Sophistæ præceptorem fuisse narrat Suidas (quamvis apud eum male Ἐπίουρος pro Ἐπίθυρος et Ἡροδότου pro Ἡρώδους legitur). Scripserat ille declamationes oratorias. De illo quoque mentio apud Philostratum et alias, sed vulgo Σεκοῦνδος tantum nuncupatur. Græculi isti Romano nomine insigniti poterant ab aliquo Pliniorum liberto stirpem duxisse: nec mirum, quum et illorum utriusque non mediocris fortuna fuerit; junioris vero etiam ingens opulentia, ac familia numerosissima, ut ex ejus litteris constat, nec minus ex elogio Mediolani asservato. Latini autem quos ante Græcos citare debuerat Harduinus, multi ejusdem nominis, sed variis cognominibus insignes, quorum quidam in municipiis suis magistratus gesserant, inter inscriptiones Comi, Mediolani, Bilaei, et in aliis Italiæ partibus repertas (vide nos ad Broterii præfationem) cum honore citati reperiuntur. Ex quibus unum C. Plinium Faustum Nostri patrem fuisse suspicatur Rezzonicus, fratremque natu majorem L. Plinium Fausti F. Sabinum, qui circa duodecimum vitæ annum mortuus in elogio legitur. Quæ si pro veris habenda essent, Secundus ab ordine nascendi dictus fuisset Plinius noster, idque cognomen sororis ejus filius per adoptionem sibi adscivisset. Ingeniosas Rezzonici conjecturas vide apud ipsum, Disquis. Plin. lib. V, p. 134, ex apud nos infra, pag. LIV. Ed.

Fuit et alter, C. PLINIUS SECUNDUS CÆCILIUS[1], scriptor epistolarum, et panegyrici Trajano dicti. Ex geminis unicum viri alias eruditi conflarunt[2], Eusebius in Chronico, Hieronymus in Isaiam et Ezechielem, Vincentius Bellovacensis, et Antoninus. Quin et tertium ab utroque, vel cum seniore certe perperam nonnulli confundunt, qui de re medica volumen scripsit, quinque omnino libris comprehensum, cui cognomen VALERIANI[3] fuit, patria Comum, uti vetustæ aliquot inscriptiones docent. Sed is multo recentior exstitit, quippe qui Galenum aliosque laudet inferioris ævi.

De reliquo genere vitæ ejus, et obitus, de scriptis ab eo voluminibus, quæ scire licet, ea cognosces ex unius Plinii junioris epistolis duabus, quas huic Præfationi subtexemus, cum Notis[4]. Vir fuit hic noster sane magni laboris et studii, quod ejus opera arguunt; sed magister idem ἀθεότητος, cæcitate ingenti: quod mirere, quum fuerit is, ut scripta testantur, castis integerrimisque moribus; dum penitius Naturæ scrutatur arcana, Naturæ ipsius auctoris oblitus.

1. In nostra Plinii junioris editione, quæ jam prodiit, accuratam ipsius vitam operumque descriptionem cum judiciis doctorum hominum reperies. ED.

2. Confer paulo infra Excursum I ad Broterii præfationem, pag. XLVI et seqq. ED.

3. Plura de illo, pag. LIV et seq. ED.

4. Duas illas præclarissimas epistolas, cum tertiæ fragmento, inter testimonia Veterum edemus, pag. LXXVII et seq. Notas tamen omittemus, ex ipsa Plinii Cæcilii editione repetendas. ED.

EX

BROTERII PRÆFATIONE

C. PLINII VITA ET SCRIPTA.

Maximum Naturæ opus, cælum, terras, homines hominumque ingenia, infinita animalium, herbarum, medicinarumque genera, vitales aquarum fontes, metallorum opes, lapidum varietates, artium miracula, gemmarumque decora complexum, edere[1] eo libentius aggredior, quod, quum in Corn. Tacito[2], quid Romanorum prudentia illustrius ac splendidius habuerit, ostenderim, in C. Plinio, quid eorum eruditio scientiaque Historiæ Naturalis uberius atque magnificentius collegerit, sum propositurus. Certus quoque in his duobus potissimum libris contineri, quæ mores instruant, et vitam erudiant.

Caius Plinius Secundus, tanti operis scriptor, natus est C. Asinio Pollione et C. Antistio Vetere consulibus, anno Urbis conditæ DCCLXXVI[3], Jesu Christi 23. De ejus nata-

1. Broteriana Plinii editio prodiit Parisiis anno 1776, *sex vol. in*-12, interque classicos a typographo Barbou collectos insignem locum occupat : de qua plura dissereotur in Catalogo editionum. Ed.

2. Quantum operæ Tacito illustrando contulerit immensa Broterii eruditio ac perelegans ingenium, ex nostra Taciti editione discet qui egregia librorum deperditorum supplementa et confertos in ultimis voluminibus annotationum thesauros adire ac pervolvere voluerit. Ed.

3. Hunc annum ipse Plinius, de nova equestris ordinis constitutione loquens, lib. XXXIII, cap. 2, Tiberii Cæsaris nonum appellat, Urbis

lium gloria certant Novocomenses et Veronenses : nobili quidem studio, et virtutis laudisque æmulatione semper excusato. At quum Plinius ipse Catullum conterraneum suum esse fateatur, antiquique quidam libri, quos inter MS. Reg. 6801, nomen *Plinii Veronensis* ; præferant, nulla penes eruditos viros, quos partium vanitas non exagitat, suboriri debet difficultas [1]. Primos pueritiæ ac juventutis annos egit per fœda Tiberii, et insana Caii Cæsaris tempora. Haud melior affulgebat spes sub Claudio hebete, muliebribus aut servilibus imperiis. In hac temporum nequitia, juvenilis animus, publicis privatisque vitiis, quæ in urbe in qua fuit institutus continuo observabantur, intactus, id arripuit quod optimum supererat, totumque se vertit ad litterarum studia. Ne quis etiam foret otio aditus, omnigenæ eruditionis immensitatem amplexus est.

Eo tamen scientiæ impetu haud retardata civis officia. Ubi militiæ tempus affuit, in Germania [2] ita se approbavit

conditæ DCCLXXV, Fastorum scilicet æram secutus : nos Varronianam cum Harduino, Brotero, et editorum vulgo, sequimur. Cæterum natalis Plinii annus conjectura tantum elicitur ex ejusdem pereuntis ætate: obiit enim anno Titi principis primo, LVI annos natus, auctore sororis filio, qui fere solus de avunculi vita et operibus aliquid certi protulit, duabus illis ad Macrum et Tacitum epistolis, quas adeas necesse est inter testimonia Veterum. Ed.

1. Acriter diuque agitatam controversiam tandem aliquando conquiescere tempus esset. Excursum vide ad hunc locum, p. XLVI, ubi Novocomensibus omnino assentiendum esse demonstrabimus. Ed.

2. Anno U. C. DCCXCIX, quum annos 23 natus esset Plinius. Stipendia prima quo anno fecerit incertum, quanquam sub Claudio Cæsare necessario facta sunt : paucula nec manifesta indicia multo labore collegit Rezzonicus, quibus suspicio firmaretur, primam operam navali disciplinæ dedisse Plinium. Certum est illum in Africam navigasse ex ipsius verbis, lib. VII, cap. 4 : « Ipse in Africa vidi; » et l. XVII, c. 5 : « In Byzantio Africæ... vidimus. » Quod autem prodigium in Africa se vidisse testatur, virginis in virum mutatæ, M. Vicinio et T. Statilio coss. accidisse testatur Phlegon Trallianus, de Mirabil. cap. 6 : anno igitur urbis Romæ DCCXCVIII; Plinii, 22. In Africa ergo prius quam in Germania militaverat. Ed.

L. Pomponio Secundo[1] legato, ut, quem sortitus erat ducem, amicum semper sit expertus. Ex ingenita autem litterarum cupidine, ipsæ castrorum artes in studia cessere, librumque de *Jaculatione equestri*[2] composuit, quum ipse esset alæ præfectus. Devictis interim Cattis, Pomponius triumphalem honorem assecutus est. At, gloriæ suæ non diu superstes, novam Plinio scribendi materiem obtulit. Hæc, vel in ipso luctu, tanto gratior accidit, quod in scribenda *Pomponii vita*[3], ducem fortissimum, poetam carminum laude præcellentem, spectatissimumque amicum celebraret.

Tum in urbe e castrorum tumultu ad fori strepitum accesserat: quam tuendæ patriæ armis, eamdem defendendis eloquentia civibus operam impensurus. His curis intento alacritatem addebant haud illæta Neronis initia: in principe, qui sub Burri et Senecæ disciplina adoleverat, litterarum splendorem ominatus, tres libros, *Studiosorum*[4]

1. L. Pomponius Secundus, quem Plinius consularem poetam vocat, lib. VII, c. 8, vatem civemque clarissimum, l. XIII, c. 26, perperam a multis cum fratre Quinto confunditur, qui, Caligula pereunte anno DCCXCIV, consulatum gerebat. Hic Lucius, Caio imperante, incertum quo anno consul videtur suffectus fuisse, vel fortasse consularia tantum ornamenta acceperat; quem longe antea, ut suspectum Sejani amicitiæ, carceri mancipatum et in fratris custodiam fuisse traditum, ex Tacito discimus. Post Caligulæ mortem, a Claudio principatum adeunte Germaniæ præpositus est cum legati titulo; et aliquanto post, auctore eodem Tacito, de Cattis triumphavit. Cujus vexilla quum sequeretur Noster, se ad Chaucos usque penetrasse innuit, libro XVI, capite 2; Danubii vero fontem accessisse affirmat, lib. XXXI, cap. 19. ED.

2. Post L. Pomponii triumphum, reverso Romam Plinio, vulgatum fuisse reor id volumen. Meminit auctor ipse, lib. VIII, c. 42. Narrat Rezzonicus, qua lætitia exsultaverit, quum in quadam Romæ Bibliotheca Plinianos codices recognoscens, initio chartacei voluminis, post geminas Plinii Cæcilii epistolas quæ avunculi scriptis præmitti solent, verba hæc omnibus litteris exarata reperisset: *Incipit liber de jaculatione equestri Plinii Secundi;* sed reliqua desiderabantur. ED.

3. « Hoc memoriæ amici, quasi debitum munus, exsolvit. » Plin. Cæcil. epist. ad Macrum. ED.

4. Ad hos præcipue libros respexit Quintilianus ejusdem ferme argu-

inscriptos, et in sex volumina propter amplitudinem divisos, edidit, ut oratorem ab incunabulis instituerct ac perficeret, eruditumque informaret illustribus exemplis ad declinandas controversiarum fraudes, in forum cuncta audendi libidine et præmiis sub prioribus principibus invectas. Simul *Germanica bella*[1], quæ jampridem componere erat aggressus, viginti voluminibus comprehendit: nobilissimum quidem historiæ argumentum, quo non modo immortalem Drusi ac Germanici memoriam revocabat, sed cum clarissimorum ducum gloria stipendia sua victoriasque connectere haud erat ingratum.

At nec solitariæ, nec inertes erant apud Romanos litteræ: sua laude inclytos ad publica munera promovebant. Hæc Plinius per Hispaniam obivit; et, quæ equestris fuit nobilitas, res Cæsaris ibi procuravit[2]. Publicas inter occupatio-

menti materiem tractans, Institut. III, cap. primo, et XI, ultimo. Item Aulus Gellius, lib. IX, cap. 17: quorum testimonia vide. Ed.

1. Illa scribere cœpisse arbitror, quum prima Germanica stipendia mereretur, necdum alæ præfectus sub Pomponio militaret..... Ideoque prius de his bellorum historiis quam de jaculatione equestri et Pomponii vita cogitasse; postea vero digesta, atque in lucem edita verisimilius crediderim. Rezzon. — Hujus operis consilium a Druso, in somnis viso, fuisse avunculo suo suggestum narrat Cæcilius, loc. cit. Exstare manuscriptum in Germania crediderunt, Augustæ Vindelicorum Conradus Gesnerus, alii Termoniæ in Westphalia, sed sine auctoritate ac sine spe. Symmachi certe sæculo, post Christum quarto, ægre jam inveniebatur, ut ex ipsius testimonio mox afferendo constat. Habuerunt illud ob oculos, nec semper cum laude citant Tacitus Suetoniusque, quorum vide testimonia. Ed.

2. Neronem Plinio procuratoris sui officium demandasse, et quidem in Hispania, circa hujus principis obitum res Cæsaris procurasse, nobilique in munere usque ad secundum Vespasiani imperantis annum perseverasse statuimus. Quo officio Cæsaris procuratores in provinciis fungerentur, pluribus persequuntur eruditi. Catanæus illorum munus definit; ut rationes omnium redituum, qui ad principem spectarent, diligenter procurarent, cum facultate deferendi, et acquirendi, non alienandi aut distrahendi. Hos primum ab Augusto in provincias missos, ut publicos reditus colligerent, testatur Dio, lib. III. Verum non civiles tantum, sed militares quoque curas procuratoribus Cæsaris in-

nes, litterarum nunquam immemor, immo eis deditus, ne unum quidem effluere sinebat temporis momentum, quo non aliquid vel legeret, vel audiret, vel scriberet, vel enotaret[1]. Illa sciendi aviditate in tantam molem famamque excrevere ejus adversaria (*Electorum commentarios*[2] appellabat), ut ea Lartius Licinius CCCC millibus nummorum, *Gallicæ monetæ libris* 77,812[3], in Hispania emere percuperet. At cætera omnia sint auro venalia. Venale non est ingenium; unumque fortunam supereminet.

junctas fuisse ostendam... Strabo ad rem nostram opportune scribit, lib. III, pag. 115, in Hispania suo quoque ævo procuratores equestris ordinis exstitisse, qui militibus pecuniam ad vitæ necessitatem suppeditabant. REZZON. — Initio quidem ad privata duntaxat Cæsaris negotia pertinebat hoc munus, ex Taciti Annal. IV, 15, affirmante ibi Tiberio, se Lucilio Asiæ procuratori jus non dedisse, *nisi in servitia et pecunias familiares*. Postea vero Claudius senatusconsulto cavit, ibid. XII, 60, «parem vim rerum habendam a procuratoribus suis judicatarum, ac si ipse statuisset,» inversa jam omni rerum ratione : sic enim fiscales homines judiciis præpositi sunt, quos postea difficile fuit a publicis magistratibus distinguere; quanquam non in omnibus provinciis ita constitutum fuisse crediderim, sed in minoribus tantum, et quæ præsidibus carerent. Vide Lipsii Excursum ad Taciti nostram editionem, tom. IV, pag. 504. Cæterum militari imperio caruisse illos satis constat, nisi quod fortasse provincialibus præsidiis ad tuendam publicam quietem aut judiciorum exsequendorum causa utebantur. Rezzonicum igitur in hoc munere extollendo nimium fuisse arbitror. Libentius illi assentior satis probabilibus argumentis colligenti, Tarraconensis Hispaniæ, in qua Lacetania est, procuratorem fuisse nostrum, non Bæticæ, ut quibusdam placuit. De Hispania certe consentiunt Cæcilius, epistol. ad Macrum, et Suetonius, vel quicumque alius brevem Nostri vitam antiquitus concinnavit. Equestrem fuisse hujus officii dignitatem, monet inter cæteros Tacitus, Agricolæ Vita, cap. IV. ED.

1. Cuncta ex Plinii Cæcilii epistola ad Macrum. ED.

2. Rudis videtur et indigesta fuisse excerptorum moles, et materia potius quam ædificium; excrevisse novis semper aonotationibus auctos per totam Plinii vitam hos commentarios, et plusquam CLX libros implesse docet Cæcilius loco citato; nec verisimile est unquam in lucem prodiisse. ED.

3. Immo potius 66,170 fr. ex accuratis doctissimi LETRONNE tabulis, quas ultimo Livii nostri tomo, p. 113, pro sua benignitate adjecit. ED.

Tantis auctus opibus, Plinius in Urbem reversus [1], cuncta in pejus ruisse reperit. Quanto diutius coercitæ Neronis libidines, tanto acrius efferbuerant; et ubi eruperunt, cuncta perditum ire : immanis statim foret visus, ni ipse singulos in dies fuisset atrocior. Accedebant cælestes iræ; Urbsque et Italia portentis pestibusque exagitatæ : sed portentum majus majorque pestis Nero. Opes, fama, nobilitas, virtus exitio vertebantur. Ne litterarum quidem perfugium, sapienti semper obvium, manebat apud principem litteraria etiam invidia ferocem. Nosci erat intutum, nec tutum latere. Prudenti celebritatem inter et obscuritatem temperamento, Plinius octo libros *Dubii sermonis* [2] edidit. Tenuitate quidem operis, quod abstrusos verborum sensus scrutabatur, principem adversus altiora erectum elusit : at vix ef-

1. Probare conatur, sed argumentis minime certis, Rezzonicus, Plinium ex Hispania non ante Vespasiani tempora rediisse. Broterius alteram opinionem amplexus, nimis fortasse pueriliter declamandi occasionem inde capit Ed.

2. *Studiosorum* libros Neronis principatu medio Plinium scripsisse conjecimus : illius vero novissimis annis *Dubii sermonis* opus, quod octo libris conclusum per id temporis invulgasse certo scimus... Opus hoc utique grammaticum atque in illo de vocum differentia, generibus, pronunciatione, scribendique methodo disseruisse ultro fatemur. Ita tamen ut plura ad alias quoque facultates spectantia attigerit, quum diversæ adeo hæreseos philosophorum rabiem et dentes exacuerit, ut auctorem post decimum etiam annum inani morsu oppetierint. Rezzon. — Sæpe profertur a veteribus grammaticis Prisciano, Diomede et Charisio, librorum istorum auctoritas; in quibus multa e Virgilio annotasse Plinium Charisius præcipue ostendit. Alludit ad eos auctor ipse, Historiæ Naturalis præfatione, et libellos vocat, *quos de grammatica edidi*. Hunc profecto secundarium titulum gessisse illos oportet et de *Grammatica*, vel potius *de Arte grammatica* inscriptos fuisse : nam Priscianus, memoria lapsus, ut opinor, *Artium* vocat; Gregorius autem Turonensis, loco mox proferendo : «Plinius, inquit, auctor in tertio *Grammaticæ* libro.» Desiderandum quocumque sub nomine prodierit opus, aliquando fortasse felici fato emerget; siquidem quinto decimo adhuc sæculo Tortellius Arretinus Nicolao papæ V opus suum de Orthographia dedicans, *quatuor Plinii libris de Arte grammatica* usum se profitetur, locum citante Rezzonico. Ed.

fugit superciliosas grammaticorum minas, quas contemptu castigandas [1] censuit.

Dum illi infremebant, Nero scelerum suorum conscientia publicoque odio invisus ac miser, supremo scelere vitam sibi finivit : pacem terrarum orbi daturus, nisi ejus mortem excepissent bella civilia. Assiduis per tot annos malis tandem subvenit salutaris Vespasiani exortus. Fatiscentem imperii molem sustinuit princeps priscæ et majoribus laudatæ virtutis ac parcimoniæ. Mores, leges, artes, litteræ revaluere : Plinius, qui interim Africam [2] lustraverat, in Urbem rediit, publicæ pacis et securitatis admiratione et laudibus præcipuus. Iis condecoravit XXXI *Historiæ libros*[3], quos a fine Aufidii Bassi [4] orsus, ad hunc resurgentis

1. Sub præfationis finem, quæ Naturalis Historiæ quasi vestibulum pandit. Ed.

2. Non eo tempore, sed quum adolescentior stipendia faceret, fuisse in Africa Plinium cum Rezzonico censemus. Vide supra, pag. XXXV, not. 2. Ed.

3. Hoc quoque opus Tito inscriptum fuisse suspicatur Rezzonicus ex initio Plinianæ præfationis : « Simul ut hac mea petulantia fiat, quod non fieri questus es *in alia procaci epistola nostra*. » Nondum tamen in lucem prodiisse, quum Historia Naturalis ederetur, ex eadem præfatione patet : atqui quum biennio post interierit Plinius, aut illo intervallo editos esse hos libros, aut post ejus mortem Cæcilii cura posthumum opus exstitisse crediderim. Cujus publicationem ideo dilatam a se scribit in præfatione Plinius, et hæredi suo mandatam, ne vivus ambitionis argueretur. Suspicionem adulationis ne sic quidem effugit : nam ad illum respicere videtur hæc Taciti sententia, Hist. lib. II : « Scriptores temporum, qui potiente Flavia domo monumenta hujusce belli composuerunt,... corruptas in adulationem causas tradidere. » Aperte vero hanc historiam designat, Histor. lib. III, cap. 28. Ed.

4. Aufidius Bassus (filius aut nepos ejus, quem ætate cassum et luminibus, se adhuc puero, græce scripsisse docet Cicero in Bruto) annales videtur de bellis civilibus scripsisse ; quippe Ciceronis morientis constantiam laudasse dicitur a Seneca, Suasor. VI. Quodnam vero ad tempus historiam suam deduxerit, incertum : fortasse ad Neronis tempora, certe non ultra ; jam enim admodum senio quassum depingit hunc Seneca, Epistola 30 ; et Plinii, qui ab ejus fine orsus est, testimonium haud semel adducit Tacitus de Neronis temporibus scribens. Ed.

Romæ splendorem deduxerat. In Vespasiani familiaritatem adscitus, quum per diem publica implevisset officia[1], noctu adibat principem[2], qui et ipse diurna imperii negotia indefessus sustinebat, noctibus sibi amicisque et litteris utebatur.

In hac dulcissima principis societate, quam Titi Cæsaris humanitas exhilarabat, meditatum opus, præsenti temporum felicitate dignissimum. Vi eloquentiæ et carminum gloria supra æmulationem evecta fuerat Roma. Una supererat Natura, Romanis pæne intacta[3], quam noscere commune est votum, describere opus difficillimum. At arduo opere mens Plinii excelsior, non partes tantum, sed rei immensitatem amplexa est. Illam quoque ut præstantiorem atque utiliorem faceret, singularum rerum naturas earumque utilitates persecutus est, artes eum ipsa natura certantes mira dexteritate descripsit, et inter tot naturæ artiumque miracula hominem per virtutes et vitia miraculum majus semper exhibuit. Opus, cui par rerum amplitudine, doctrinæ copia, eloquii facilitate anteacta ætas non tulerat, post tot sæcula nondum superatum, nec forte unquam superandum, sub auspiciis Titi Cæsaris in lucem prodiit, Vespasiano Augusto VIII et Tito Cæsare VI consulibus[4], anno Urbis conditæ DCCCXXX.

1. Quænam officia, vel cujus generis, plane incertum. Urbana fuisse, et ad ærarium pertinuisse Rezzonicus non immerito suspicatur. Ed.

2. Ante lucem, ut ait Plinius Cæcilius ad Macrum; salutandi causa, ut opinor: nam matutinæ admodum erant aulicorum visitationes, donec evigilaret princeps, in vestibulo exspectantium: nec diu exspectabatur Vespasianus, solitus maturius semper et de nocte vigilare, Sueton. in ejus vita. Hæc sane assiduitas Plinii gratiam apud Vespasianum et Titum adjuvit; nec in gratiam tantum, sed in amicitiam receptus est, ipso teste in præfat. et Cæcilio epist. cit. Ed.

3. Id ipsum præ se fert Plinius noster in præfatione *Naturalis Historiæ*, neque in laudem tantum, sed etiam in excusationem, adversus eos qui vitia ejus carpere malunt quam virtutes agnoscere. Ed.

4. De numerandis Vespasiani et Titi consulatibus non semper con-

Biennio post[1] pulcherrima terrarum Campania, furentibus intus ignibus, concussa est tremoribus, mirumque in modum ardere cœpit Vesuvius. Plinius, Misenensis classis præfectus, præsens tum aderat. Ut amicis cæterisque periclitantibus opem ferret, ipse quoque naturam inter incendia explorandi avidus, montem adiit inter depluentes cinerum et pumicum turbines. Dum propius succedit, flammis et flammarum prænuntio odore sulphuris exanimatus est, anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. Non, ut mortalium vulgus, ignava morte periit; sed, ut populi, ut urbes, magna clade, et inter humanitatis naturæque studia occidit: in hominum fama æternum victurus. Tantum quoque felicitatis assecutus est, ut sororis suæ filium[2], quem adoptaverat, nominis sui hæredem reliquerit, litterarum et virtutum gloria simillimum.

Historia Naturalis, quæ e tot Plinii operibus una nunc

venisse video inter doctos. Plerique tamen hodie Rezzonico et Broterio consentiunt, Vespasianum VIII, Titum VI consules hoc anno facientibus, qui Fastorum æra, DCCCXXIX; juxta Varronis calculos, DCCCXXX numerandus est. Consule Fastorum auctores, Pighium, Norisium, Muratorium; aut si tempus tibi, vel si voluntas deest, obiter interroga Annales nostros Plinianos quos accurate descriptos, inter Excursus ad hanc Plinii vitam, tertio loco subjiciemus. Cæterum hoc anno DCCCXXX Plinium Naturalis Historiæ opus absolvisse tradit et Muratorius, Annal. pag. 310, ad annum Christi 77. Sed anno sequenti publicatum fuisse ostendit Rezzonicus, primum quod ipse Plinius, lib. XIV, c. 5, et lib. XXVIII, cap. 3, octingentos triginta annos ab Urbe condita numeret; deinde quod, lib. VII, cap. 50, censum a Vespasiano Titoque actum memoret *intra quadriennium*, isque census, teste Censorino, Vespasiani quinto, Titi autem tertio consulatui respondeat, anno U. C. DCCCXXVII. ED.

1. Anno U. C. DCCCXXXII, post Christum 79, quo anno Vespasianus novies consul maio mense decessit. Vesuvius exarsit *Calend. novembris*, aut, ut aliis placet (Plinii enim Cæcilii textus variat), IX cal. septemb. autumno certe, κατὰ τὸ φθινόπωρον, teste Xiphilino, hora fere diei septima; mane sequenti exanimatum esse avunculum suum, Tacito narrat in epistola Cæcilius. ED.

2. C. Plinium Cæcilium Secundum, C. Cæcilii Comensis filium, et Pli-

superest, meis laudibus non indiget, publicis præconiis et septemdecim sæculorum utilitatibus commendata. Id solum observaverim in ea plus esse antiquitatis, doctrinæ, naturæ, artium, quam in cæteris omnibus Græcorum Romanorumque libris; maximamque totius ævi memoriam fuisse perituram, si unum hoc opus periisset.

At, obmurmurat aliquis, sunt in Plinio multi[1] errores. Sunt certe, et quidem plurimi, si numerentur. Perpauci tamen, si cum infinita rerum verissimarum multitudine conferantur. Erunt errores, donec erunt homines. Vivis nostris scriptoribus non obloquar, quos inter unus[2] eminet ingenii excelsitate, eloquii majestate Plinio proximus, major etiam futurus (nec tantæ enim gloriæ impar), si, quam maxima cum laude in multis Historiæ Naturalis partibus, hanc in omnibus operam præstitisset, eamdemque naturæ, artium, sæculorum, morum publicarumque utilitatum amplitudinem tractare ausus, maximum et pulcherrimum

niæ, Nostri sororis, quæ amisso marito in domo fratris mansit, a quo jam filius adoptatus fuerat: unde *Plinius Cæcilius* dictus est, novo more: nam Reipublicæ temporibus, inflexa nominis naturalis terminatione, Plinius Cæcilianus dictus esset. *Secundus* quoque hinc vocitatus: nam patris adoptivi cognomen assumere jam antiquitus moris erat. Ed.

1. De C. Plinii fide consulendi inprimis Paulus Cigalinus, lect. II, quæ Plinio *Variorum* præmissa est; et Rezzonicus, Disquisit. Plinian. lib. VII, ubi diffuse pro more suo hanc materiam tractat, et acriter in omnes Plinii censores invehitur. Nos vero operam abuti censemus, quisquis omnes Plinii errores defendere conatur: satis sit, si bona fide auctores quos præsto habuit excerpserit, quos etiam ab illo non semper intellectos fatemur, et in editionis nostræ notis aliquoties monebimus. Gravissimum vero crimen, et Nostro indignissimum, quod ipse in præfatione sua quodammodo aversatur atque detrectat, speciali disquisitione, agitabimus: an scilicet impudenti furto et assiduo, quod nuper etiam litteris mandatum a doctissimo viro legimus, Dioscoridem pæne transcripserit ad verbum Plinius, nec nominaverit quidem. Vide, post hanc Broterii præfationem, Excursum nostrum, pag. LVI. Ed.

2. Gloria immortalis Buffon vivus laude sua fruebatur, et senectutem tantum inchoabat annos 69 natus, quum hæc Broterius scriberet. Ed.

scribendi argumentum unico opere paucisque voluminibus comprehendisset. Morte consecratos appellabo Naturalis scientiæ proceres in Astronomia Dominicum CASSINI, in Geographicis Guillelmum DE L'ISLE, in re Herbaria Josephum TOURNEFORT, in totius Naturæ classibus Carolum LINNÆUM. Quales quantosque viros! In hac tamen ipsorum novitate, iis jam errores imputantur. Stat ergo vel inter errores scientiarum decus, et eruditorum virorum gloria. Sic magnifica semper semperque veneranda est Natura, licet frugibus venena inseruerit. Sic in magnis viris emicat et irradiat claritas, licet humanis nonnunquam septa sit vitiis. Errores in Plinii libris arrodat indoctus et malevolus: doctus æquusque lector eos prætervolat, ad recte egregieque dicta properat: iis proficit, et profecisse gloriatur.

Pro Plinio adhuc militat res observatione dignissima et certissima. Nempe quo magis hac nostra ætate amplificatur Naturæ scientia, quo plures fiunt per Europam, Asiam Africamque doctorum hominum peregrinationes, quo plura e terræ visceribus eruuntur antiquitatis monumenta, eo magis crescit Plinianæ diligentiæ ac veritatis fides. Immo et ultra terras, quas victor populus Romanus adierat, exoriuntur ejus doctrinæ argumenta. Comperi ex epistolis ab urbe *Peking* scriptis a viro in doctrina naturaque Sinensi exercitatissimo, se in libris, in agris Sinensibus singularem Plinii multis de Naturæ rebus peritiam comprehendere.

Haud mirum ergo, si per omnes retro ætates tanta fuerit Plinii veneratio [1]; si tandiu scientias, agros, artes, valetudines unus rexerit; si passim adhuc per urbes, per rura, divulgata occurrant ejus documenta [2]; si tot ad nos

1. Confer Harduini præfationem supra, pag. XXIX et XXX; nec non Rezzonici librum supra citatum. ED.

2. Plerasque de naturæ rebus superstitiosas opiniones, quas popularis error alit, e Plinio defluxisse, passim commentatione nostra demonstrabitur. ED.

pervenerint manuscripti ejus codices[1]; si, inventa typographica arte, pluries, quamvis ampla sit ejus moles, quam cæteri scriptores, fuerit recusus[2].

1. Quorum Indicem a Rezzonio accurate collectum in ultimo volumine post cæteros Indices exhibebimus. Ed.

2. Persequitur deinde Broterius variarum Plinii editionum brevem recensionem : cujusmodi laborem in Harduini præfatione inchoatum, in catalogo Bipontino pæne completum atque perfectum, novis etiam annotationibus auctum, sub nostræ editionis finem reperies. Sistendum hic igitur censemus. Sed quum in eo catalogo versabimur, excerpta Broterii judicia, quæ ad rem bibliographicam pertinent, tibi, lector, non invidebimus.

AD PLINII VITAM
EXCURSUS I.

DE

VERA PLINII PATRIA.

Mota est jamdudum inter Veronenses et Comenses acerrima de Plinii natalibus controversia, quum eum honorem utrique ad se trahere vellent: quam ego æmulationem non temere damnaverim, ut ex causis nobilissimis, amore patriæ et litterarum studio primum exortam; sed utrinque in furorem sane ridiculum evasit. Originem litis et progressus longa dissertatione secutus est Rezzonicus, Novocomensis ipse, ideoque suspectus, quoties opinionem suam argumentis effulcire conatur: minime vero quum facta tantum et nomina et auctoritates exponit; nemo enim in citando accuratior, in transcribendo fidelior inveniri queat.

Duo Plinii, Noster scilicet, et sororis filius, quamvis diversissimo ingenio præditi, et suo uterque modo præcellentes, propter similitudinem prænominis nominisque, et commune utrique *Secundi* cognomen agnomenve; jam antiquitus, ac suo prope sæculo (quis non miretur!), ab hominibus alias non indoctis in unum conflari solebant: quod Sammonico Sereno, sub Alexandri Severi temporibus viventi, accidisse manifestum facit Macrobii locus inter testimonia Veterum proferendus, ubi ex Sammonici opere hæc verba citantur: « Plinius (ut scitis) ad Trajani usque imperatoris venit ætatem »: citanturque sine nota, ut Macrobium ab hoc ipsum errore non multum abstitisse credas. Divus item Hieronymus, vir immensæ scientiæ, Plinium Historiæ Naturalis scriptorem manifesto cum altero confundit, quum eum *oratorem et philosophum* vocat. Nec acutius vidit Eusebius Cæsariensis, quum in Chronico scriberet: « Plinius Secundus Novocomensis orator et historicus insignis habetur, cujus plurima ingenii opera exstant: periit, dum invisit Vesuvium; » nec dubitavit Prosper Aquitanus, bona fide hæc Eusebii verba in Chronicum suum transferre.

« Manifesta insignis adeo hallucinationis ratio inde constare debet, quod a II Christi usque ad XII sæculum vix reperitur qui Juniorem Plinium ex epistolis noverit », inquit Rezzonicus, Sidonium tantum Apollinarem et fortasse Charisium grammaticum Ausoniumque poetam excipiens, quum Tertullianum et Eusebium addere debuisset, utrumque ad libri X epistolam 97 manifesto respicientem. Ego ut hoc non facile concesserim, opus pæne ignoratum per tot sæcula servari totiesque transcribi ac denique omnibus suis numeris absolutum ad nos pervenire potuisse; sic libenter agnoscam Cæcilii epistolas multo minoris famæ antiquitus fuisse, et tanquam majoris Plinii leviores fœtus, cæteris ejus operibus annexas in multorum manus devenisse. In Ricardiano quidem et aliis vetustissimis codicibus eodem quasi contextu eduntur Historia Naturalis et Epistolæ. Porro quum patriam suam Novocomum in Epistolis passim agnoscat Cæcilius, ii qui ex duobus unum conflaverunt Plinium, facile cum Eusebio adducti sunt, ut Novocomensem eum facerent.

Hæc igitur prævaluit sententia usque ad quartum decimum fere sæculum ne controversa quidem: quum ecce, anno 1313, Johannes presbyter Mansionarius ecclesiæ Veronensis, primus litem movit, in historiis suis, ut vocat, imperialibus, ad Trajani regnum ita scribens: « Eodem tempore Plinius, Orator et Istoricus, natione Veronensis, ut in quadam ystoria legitur; floruit, qui Plinius Secundus, quum provinciam Syriam regeret, mitigavit imperatorem erga Christianos. » Attende verba, *ut in quadam ystoria legitur*. Utrum ex veritate addita sint, an ex industria, ut ficta auctoritate suam firmaret opinionem Veronensis presbyter, non constat. Utique non magni ponderis illa fuit auctoritas: nam manifesto, etiamsi Veronensis credi aut dici posset noster Plinius, hoc in ejus adoptivum filium nequaquam caderet, cujus patria bene cognita ne dubitationi quidem locum relinquit.

Cæterum idem Johannes primus, ut opinor, geminos Plinios, quanquam Veronenses ambos faceret, recte distinxit in dissertatiuncula vix latine scripta, quam in nonnullis utriusque Plinii codicibus, Lincolniensi, Bodleiano et tribus Vaticanis exstare docet Rezzonicus, hoc aut simili titulo (neque enim idem in omnibus): « Brevis adnotatio de duobus Pliniis Veronensibus oratoribus ex multis hinc inde collecta per Johannem Mansionarium Veronensem. » Ibi de utroque Plinio vera falsis mixta narrat; ridicula autem nonnulla, ut quæ audacter attribuit Suetonii libro, de Viris illustribus: « Dum idem Plinius legiones in Siciliam duceret, eruptione favillarum ab Ætna eructantium præfocatus interiit anno vitæ suæ quinquagesimo sexto, et in Sicilia tumulatur. » Vides inde quæ sit habenda fides homini. Pretiosa autem dissertatio hæc videri potest, quod ibi fontem opinionis suæ de Plinii utriusque patria indigitet: nempe de Plinio seniore, initium præfationis, ubi Catullus *conterraneus* vocatur; de juniore autem, libri sexti epistolam ultimam ad Maximum, in qua de *Veronensibus suis* loquitur.

Post hunc alios complures enumerat Rezzonicus, Veronenses ut plu-

rimos, qui eamdem sententiam propugnaverunt, quos inter eminent Pantheus et Becichemus; sed maxime Pantheus, qui sub quinti decimi sæculi fine de Veronæ laudibus scripsit, presbyter egregius, nec modestia minus quam eruditione commendabilis. Is auxilio partium suarum vocat, 1° vocem *conterraneus*; 2° effigiem antiquam Plinii Veronæ diu servatam et adhuc, ut opinor, incolumem; 3° elogium quoddam Veronæ repertum his verbis: PLINIVS SECVNDVS AVGVR PATRI... MATRI MARCELLÆ TESTAMENTO FIERI JVSSIT

Silebat interea Novocomum, sive segnities hæc fuit, sive conscientia, quum ex aliis urbibus doctissimi viri, solo veritatis amore compulsi, eorum causam tutarentur, inter quos primo loco reponendus est clarissimus in Venetis Hermolaus Barbarus, Plinianarum castigationum initio de voce *conterraneus* non contemnenda disputans.

Excitata demum æmulatione Novocomenses, tanquam factis prius quam verbis respondendum rati, avunculum et sororis filium, anno 1480, marmorea statua et inscripto elogio publice decoraverunt: signa intacta, elogium alterum priori paucis post annis substitutum, forsan hodieque permanent. Hinc egregii patroni suæ civitatis exstiterunt, Benedictus Jovius, Gabriel et Basilius Paravicinus, Franciscus et Paulus Cigalinus: sed hic præcipue in erudita, gravi, diffusa ac sæpius obscura dissertatione, quam in Gronoviana (sive, ut vocant, Variorum) Plinii editione reperies. Dii boni! quam illic Pantheum exagitat! Sed ultionem attulit Polycarpus Palermus, Veronensis Jurisconsultus, « vir (ut ait Rezzonicus) in forensi pulvere quotidie versatus, sed cui eruditionis et politioris litteraturæ ornamenta minime defuerunt. »

Polycarpus ille tres de vera C. Plinii Secundi superioris patria, atque ea Verona, libros edidit, anno 1608, quibus Pauli Cigalini aliorumque contrariam sententiam refellere molitur: acriter profecto in adversarios suos invectus, et conviciis sæpius quam argumentis deprælians, parum tamen aut ferme nihil Mansionarii et Panthei rationibus adjiciens, præter elogium istud, in quo maxime triumphat, quod jam olim anno 1519 a Paullo Suardo prolatum erat in castigationibus ad Becichemi collectanea, prope Sirmionem ad Benaci ripas, si ita credere fas est, inventum, hujusmodi tenore: C.PLINII... VERONENSIS.... HISTORIARVM H. L.... OMNIVM.... NECNON.... P... C.... XXXV.... CONS.... MACER.....

Cujus tamen impetu minime deterritus, vixdum editos ejus libros Lælius Bisciola, Societatis Jesu, confutandos susceperat: sed nunquam editi sunt hujus labores, ac nemo posthac speciali opere controversiam hanc adortus est; quamvis divisi semper in duas partes remanserint docti: faventes quippe Veronensibus alii, ut Onuphrius Panvinius, Josephus Scaliger, Isaacus Casaubonus, Harduinus in prima editione, Fabricius, Scipio Maffeius, Schwarzius ad Plinii Junioris panegyricum (cæteros vide apud Rezzonicum, tom. I, pag. 33); alii Novocomensibus, ut Georgius Merula, Johannes Andreas Aleriensis episcopus, Theo-

dorus Gaza, Christophorus Landinus, Angelus Politianus, Pincianus, Ortelius, Cluverius, Ezechiel Spanhemius, etc.

Quod si cui inter illos viros medium se interponere fas est, ego, ut res ad liquidum deducatur, Veronensium primo titulos (quoniam plurimos iis favere video, et ipse Broterius, omissis Rezzonici vestigiis, in eam partem pedibus concessit) bona fide recognoscendos existimo.

I. Plinius quidem initio præfationis Catullum *conterraneum suum* vocat, illudque verbum manuscriptorum pæne omnium consensu firmatum, frustra emovere tentarunt Hermolaus et Rezzonicus; frustra barbariem ejus incusat Harduinus, quo totam Plinii præfationem, ut spuriam eliminet: nam *castrense verbum* esse monuit ipse Plinius, et veniam pro illo tanquam minus urbano poposcit. Catullus vero, ut omnes sciunt, Veronensis fuit: Veronensis ergo Plinius, inquit aliquis. Immo vero si Veronensis fuisset, Plinius ad inusitatum vocabulum non decurrisset; Catullumque non *conterraneum*, sed *civem* aut *municipem* suum dixisset. *Conterranei*, ut opinor, vocabantur in castris, qui ex eadem *terra* sive regione geniti: Verona autem et Novocomum, quanquam facta ab Augusto divisione, non ad eamdem Italiæ regionem pertineant (Verona enim, in decima regione quæ Venetia; Comum, in undecima, quæ proprie Transpadana appellatur), tamen utraque urbs Italiæ Transpadanæ, seu Galliæ Cisalpinæ diu adscripta fuerat, unde Catullus XXXIX, 13, quamvis profecto Veronensis, Transpadanos suos appellat hoc versu:

Aut Transpadanus, ut meos quoque attingam.

Quidni igitur Plinius, etiamsi Transpadanus, etiamsi Novocomensis, Catullum conterraneum suum vocaverit? Cæcilius sane, junior ille Plinius, quem Novocomensem fuisse nemo hodie negat, lib. VI, epist. ultima, *Veronensibus nostris promisisti*, inquit ad Maximum scribens: unde Veronensium patroni quidam colligunt, respexisse illum ad avunculi patriam: sed quanto verisimilius est, amicitiæ et vicinitati hoc pronomen datum; sicque *nostros* interpretandum esse, ut *meos* apud Catullum, ut *conterraneus* apud seniorem Plinium?

II. Effigies Plinii, vetusto, sed ut manifestum est, non antiquo penicillo descripta, Veronæ diu servata fuit; sed et aliæ quædam Novocomi, ut docet Rezzonicus, I, 19, not. 1. Omnes vel ex ingenio compositæ sunt; vel ex aliqua veteris manuscripti pictura delineatæ. Rezzonicus in disquisitionibus suis, p. 126 et 190, duas exhibet, quarum una ab antiqua pingendi ratione minus forsitan distat, quam Thevetus, t.VIII, pag. 140, tanquam a Sicilia reportatam exhibuit.

III. Elogium Plinii Secundi auguris, Veronæ repertum, mille modis apud auctores variatur. Panthei lectionem jam edidimus. Matthæus Rufus sic legit: PLINIVS SECVNDVS AVGV. LEBI. PATRI. MATRI. MARCELLÆ. TESTAMENTO FIERI IVSSIT.

Alexander Benedictus :	Panvinius :	Achilles Statius.
INIVS	C. P. . INIV. .	C. P. . . . INIVS. .
CVNDVS	NDV. .	. . . DVS. . .
AVGVR	AVG	. . . AVG. . .
RCIVIAI	. . RCIVIAE	R. CIVIAE
RI	. . CELLAE	. . RI
ERI PATRI	. . RI	. . ERI PATRI
MAE MATRI	ERI PATRI	. . MAE MATRI
MARCELLAE	MAE MATRI	. . . MARCELLAE
T. F. I.	MARCELLAE	. . T. F. I. . .

Certissima, immo sola alicujus momenti esse, nobis cum Rezzonico videtur Polycarpi Palermi lectio, «qui lapidem ipsum olim Ludovico comiti Nugarolæ in deliciis sibi a Carolo Tonso donatum diligentissime perscrutatus, indoluit tamen ignis vapore rimisque deductis reliquum marmoris dissiluisse.» Sic legit ille :

. . . . INIV. .
NDV. .
. . . AVG.
. . . RICIVIAE.
. . . CELLAE
. . . RI
. . . . ERI PATRI
. . MAE MATRI
. MARCELLAE
T. F. I.

Plenior apud Gruterum legitur inscriptio, sed ex Panvinii conjecturis restituta, ideoque nullius ponderis :

C. PLINIVS
C. F. SECVNDVS
VIVIR AVG.
SIBI ET ORCIVIAE
MARCELLAE
VXORI
C. CELERI PATRI
ET OPTIMAE MATRI
MARCELLAE
V. T. F. I.

Viderint Veronenses utrum Plinii prænomen, nomen, cognomen, auguralem dignitatem, familiamque omnem ex his ruderibus cum Grutero educere possint : mihi quidem nihil tam ambiguum videtur. Nec inficias eo, potuisse olim prima elogii verba magis integro contextu legi ; et fortasse ad aliquem Pliniorum referenda esse, quum alia multa hujus gentis monumenta per Italiam dispersa reperiri constet, infraque ostensuri simus : sed cur ad nostrum potissimum referatur mutila et trunca inscriptio, non liquet.

IV. Alterum elogium a Paulo Snardo, dein a Polycarpo Palermo nulla alia auctoritate prolatum, sic a priore legebatur C. PLINI. VERON.·. HISTORIARVM.·. N. L.·. OMNIVM.·. MEMORIAM.·. DEDIT.·. NECNON.·. T.·. C.·. XXXV.·. CONS.·. MACER. Quam diverse sit a Palermo expositum, jam vidimus. Transcripserunt deinceps illud, et varie inflexerunt, Felicianus, Appianus, Rybischius, ipse Reinesius : sed jam olim a Borsærio derisum epigramma Muratorius inter commentitia relegavit, ut ex controversia natum quam Veronenses Comensesque de Plinii patria inter se agitaverunt. Nemo enim unquam illud a se visum gloriatus est : et prorsus a lapidario more abhorrent patriæ nomen, pro solita Romanæ tribus designatione, additum ; inconcinnæ voces MEMORIAM DEDIT, et poetica vel oratoria copula, NECNON. Ridiculi vero sunt, qui litteras T. C. *Tiberis curatorem* interpretantur, quod Plinius Junior hoc olim munus gesserit; et numerum XXXV statim post eas notas additum nemo interpretatur : ut non sit diutius Pauli Snardi commento immorandum.

Omnia me recensuisse arbitror, nec quidquam sciens prætermisi quod Veronenses præ se ferre possint : nam falsa Plinii vita quam Harduinus inter veterum testimonia retulit, hoc initio : « C. Plinius Secundus Veronensis natus sub Tiberio, patre Celere, matre Marcella, etc. » manifesto ab ipsis conficta est ex mutilo quo se jactant epigrammate, supra n° III a nobis exagitato. Miror quidni potius objecerint Plinii ipsius locum, lib. XXV, c. 7, ubi tabulas quasdam Turpilii equitis pulcherrimas Veronæ exstare docet ; nec dubito enim quin eas visu judicaverit (etiamsi magis hoc innuat quam affirmet,) ideoque Veronæ saltem in transitu fuerit. De lacu etiam Benaco, qui Veronæ proximus, tanquam sibi notissimo loquitur, lib. IX, c. 38. Sed simili jure ejusdem auctoris locos alios ad suam viciniam spectantes in medium proferre possit Novocomensium æmulatio, eosque præsertim qui de lacu Lario agunt, lib. IX, 32 ; lib. X, 41. Neutris, ut rerum dicam, multum favere possunt hujusmodi testimonia. Videamus igitur quæ firmiora in causam suam argumenta præsto habeant Novocomenses.

I. Eusebii et divi Prosperi testimonium, de quo jam supra diximus, juste hinc quidem labefieri potest, quod probabile sit Eusebium, duos inter se Plinios confundentem, Prospero fucum fecisse : sed omnino convelli, ac pro nihilo haberi juste æstimantibus, non potest.

II. Plinii vita, e Suetonii libro de Viris illustribus, ut vulgo creditur excerpta, non sane indigna videtur hujus auctoris ingenio, si ad

optimam latinitatem respexeris; eoque forsitan majore fiducia digna est, quod de Plinii morte non serviliter Cæcilii vestigiis insistat. Non tamen diffitendum est eam, ut spuriam, non a Veronensibus modo, sed ab aliis eruditis reprobari. At quum ea litteris omnibus scripta reperiatur in Vaticanis codd. 1953 et 1954, qui circa XII sæculum, id est, ante motam controversiam exarati sunt; item in Toletano et Escorialensi, quos ipse Rezzonicus inspexit, non mediocris illos fidei, siquidem ad nonum decimumque sæculum referuntur; item in plerisque Regiæ bibliothecæ Parisiensis codicibus, quorum tres præsertim 4757, 4686, 4760 ad nonum aut decimum sæculum absque dubio pertinent: quumque semibarbaris illis ætatibus nemo sane auream augustei ævi latinitatem tam feliciter exprimere potuerit: manifestum est, si non a Suetonio, saltem antiquitus descriptam esse, hanc quæ circumfertur Plinii vitam. Nec refert, si vox difficilior *Novocomensis*, in *Novocomenses*, vel *novem menses*, depravata legatur apud quædam exemplaria, quum vera lectio neutiquam dubia esse possit, et in quibusdam exstet incorrupta. Jure itaque miratur diligentissimus Rezzonicus sublestam Harduini fidem sub testimoniis veterum ad hunc locum annotantis, « vocem *Novocomensis* in veris codicibus abesse, et abesse utique debere. » Necesse est, præoccupata opinione de Plinii patria, quem olim Veronensem, deinde Romæ natum credidit, vel caligasse Harduini oculos, vel obdormisse conscientiam.

IV. Plinii Junioris est locus, ubi orationis cujusdam apud municipes suos habitæ mentionem faciens, lib. I, Epistol. 8: « Onerabit, inquit, hoc modestiam nostram, quod cogimur quum de munificentia parentum nostrorum, tum de nostra disputare. » Atqui verisimile est *parentes* hic vocari non Cæcilios modo, sed etiam Plinios, aut certe matrem Pliniam; cujus etiam prædia, dotalia sane, circa Larium lacum, in Novocomensi sita, commemorat filius, lib. XI, Epist. 11. Unde si non firmum ex omni parte argumentum, saltem conjectura haud improbabilis Novocomensium causæ accedit, ut etiam materno sanguine sibi haud alienum fuisse contendant epistolarum scriptorem.

V. Pliniorum elogia bene multa circa Novocomum effossa sunt, quorum pleraque adhuc in ea urbe, aut Mediolani visuntur, a Rezzonico, Disquisit. Plinian. lib. III, accurate descripta atque discussa. Ibi, ut jam ante ad præfationem Harduini lectorem commonefecimus, Plinii Pliniæque complures memorantur, variis et partim latinis, partim græcis cognominibus insignes, ut puta, Calvi, Cerdonis, Phænnmeni, Philocali, Valeriani, Nigri, Phileti, Fatalis, Burri, Sabini, Fausti, Abascanti, Phosphori; et inter feminas, Tharsæ, Verecundæ, Plinianæ, Modestæ, Maximæ, Cycladis. Omnia huc referre supervacuum arbitror, quæ melius apud Rezzonicum ipsum quærentur: unum pro omnibus sufficerit, quod inter primum et secundum ab orbe Como lapidem Arrebii in Divi Martini æde effossum producit Rezzonicus; habent præterea Muratorius aliique veterum epigrammatum conquisitores:

V. F.
C. PLINIVS
CALVOS VIV. R
SIBI ET PLINIS
SVCCESS...V. ORI
CHRVS...... ET
L. CASTICIO L. F. OVF
CATVLLO IIII VIR
AED.P..I. GENERO
L. CASTICIO L. F. OVF
MAXIMO NEPOTI
PLINIS THARSAE ET
VERECVNDAE PAT
PLINIO CERDONI FR
PLINIO PHAENOMEN
AMICO

Pretiosum integritate sua marmor sic interpretatur Rezzonicus: « Vivus fecit Caius Plinius Calvus sexvir sibi et Pliniis successoribus; « uxori Chrysantiæ; et successoribus Lucio Casticio Lucii filio Oufen« tina (tribu) Catullo quatuor viro ædilitia potestate genero, Lucio Casti« cio Lucii (supradicti) filio Oufentina (tribu) Maximo nepotis Pli« niis Tharsæ et Verecundæ patruelibus; Plinio Cerdoni fratri; Plinio « Phænomeno amico. » Vides ibi totam pæne Pliniorum catervam. Veronæ autem, præter mutilum illud elogium de quo supra diximus, nescio an unquam vel unius Plinii mentio reperta sit. Dicent Veronenses plerosque Novocomi Plinios e Plinii Cæcilii libertis originem nomenque duxisse: et favere videntur conjecturæ, 1° Græca quorumdam cognominum etymologia, libertis bene conveniens; 2° ipsa Abascanti et Phosphori cognomina apud Cæcilium obvia tanquam libertorum, lib. X, epist. 6, et quæ in epitaphio Romæ asservato leguntur; D. M. C. ABASCANTI C. PLINIVS POSPHORVS. 3° Libertorum mentio facta in ipso Cæcilii testamento Novocomi reperto (edition. nostræ tom. I, pag. 60). Nonnulla tamen inter epitaphia Comensia quibus Pliniorum fit mentio, vel tenore suo, vel contextu, vel orthographia vetustissimam ætatem et Pliniis nostris superiorem aut æqualem præ se ferunt; nec verisimile est libertinas familias tam prope ab auctorum suorum manumissinoe præcipuis in urbe sua muneribus honoratas fuisse, qualia plerumque Pliniis attribuunt horum lapidum inscriptiones.

Ex his aliisque multis elogiis quæ Romæ et in Italia passim inveniuntur, docte et studiose collatis, haud immerito collegit Rezzonicus,

1° Notissimum fuisse Pliniorum nomen, et præsertim secundo, tertio, quarto æræ nostræ sæculo vulgatissimum;

2° Pliniam gentem ad Oufentinam tribum pertinuisse;

3° Originem ejus ex Pliniorum nostrorum majoribus *et municipio Novocomo* duci.

Immo sibi omnem prope familiam Plinii Secundi historici reperisse visus est Rezzonicus, 1° in antiquissimi marmoris fragmento, quod in villa Bilacensi (hanc Plinius junior tragœdiam suam vocabat) effossum, verba præfert : M. PLINIVS OVF. 2° in altero celeberrimo elogio, quod Genevæ asservabatur, illuc nescio quo casu translatum :

ANNOR. XII	C. PLINIO M. F. OVF.
L. PLINIO	FAVSTO
FAVSTI FIL.	ÆDILI II VIRO
SABINO	IVL. EQ. FLAMIN.
	C. PLINIVS FAV
	VIVOS P.
	C

Hæc inter se rudera ita componit ingeniosus Rezzonicus, Disquis. Plin. tom. I, pag. 132, et seq. ut vel ostendat vel saltem ostendere conetur, M. Plinium fuisse nostri avum; patrem C. Plinium Faustum, cujus filius natu major C. Plinius Sabinus impuber mortuus sit, secundus vero natu et cognomine Naturalem Historiam scripserit. Sed hæc, ut curiosa magis quam firma, in medium relinquo. Nec addiderim, inter elogia Pliniorum Mediolani servata unum exstare, in quo SECVNDÆ cognomen Pliniæ cujusdam nomini videatur esse additum : videatur, inquam; ipsum enim nomen vetustate interiit, Rezzonico fatente, pag. 70. Novissimum subjiciam epitaphium quod in æde divi Probini, lustralis aquæ labello suppositum, Comi legebatur :

D. M.

C. PLINI

VALERIANI

MEDICI

QVI VIXIT

ANN. XXII. M. VI. D. V.

PARENTES.

Habent hoc epitaphium Paulus Jovius, Cigalinus, aliique; novit et subindicat Harduinus in præfatione sua; diligenter vero, ut solet,

excutit Rezzonicus, lib. cit. pp. 69, 73, 74 : non indignum saue doctorum attentione; quippe in quo prænomen, nomen, cognomen, ipsaque artis mentio, ad scriptorem quemdam antiquitatis adhuc superstitem referri posse videantur.

C. Plinius Valerianus inter medicos veteres recensetur; cujus opera non semel edita sunt, quum separatim, tum etiam in corpore medicorum latinorum; etsi hodie, separatim saltem, inventu difficiliora sunt. De illis vide doctissimi Clerici dissertationem, sive apud ipsum in sua Medicinæ historia, parte III, lib. III, cap. 2; sive apud Mangetum, Biblioth. script. medic. verbo *Plinius.* Quinque libri sunt, quorum primus de capitis morbis, alter de pectoris et ventris incommodis, tertius de febribus morbisque gravioribus, quartus de herbarum esculentarum virtutibus, quintus de diæta, qui solus ex Plinio seniore non desumptus est; nam in cæteris, si formulas quasdam excipias medicamentorum compositorum, omnia pæne ipsis verbis expressa sunt e Plinio, et serie duntaxat commodiore per morborum ordinem capitulatim digesta. Ipse, quid sibi proposuerit, in proœmio docet. «Morbi, inquit, quibus in peregrinationibus variis agitatus fui, «quosque domestici mei passi sunt, mihi sæpe occasionem præbuere «medicorum fraudes experiri. Quidam nullius fere pretii medicamenta «mihi maximo vendiderunt pretio. Alii, etc. Ea causa est cur undique «remediorum formulas collegerim, in compendiumque redegerim, ut «mihi medicis carere queam, atque illorum fraudationibus non amplius «objiciar, etc.» Sed vel ex iis verbis aperte liquet, non hunc esse, cujus sepulura Novocomi exstet. Medicum enim se non fuisse, satis indicat, qui sic in medicos invehatur; et quæ ibi de *peregrinationibus*, aliasque de *domesticis in uxore servata experimentis* narrat, vix cum ætate XXII annorum conciliari possunt. Unde igitur tam bene concordant nomina? An ex eadem stirpe fuit? An (quod suspicatur Clericus) ex ipsa Comi inscriptione, conjecturaque Pauli Jovii satis temeraria, nomen Plinii et Valeriani cognomen ignoto scriptori accomodata sunt? qui quum ex Plinii libris varia medicinæ præcepta compilasset, titulum operi suo fecerat : *C. Plinii Secundi de re medica.* Sic enim affirmat Clericus in vetustis exemplaribus legi. Principes duntaxat operis istius editiones, aut manuscripti codices, si cui præsto essent, Clerici sententiam confirmare possent. Sed utcumque se res habeat, auctorem quinque librorum de Medicina antiquum esse non ambigitur. Tantum ex ejus stylo apparet quinto vel sexto illum sæculo et collapsa jam latinitate vixisse. Vero certe Plinio, si cognatus, saltem minime supar fuit; seque ipse recentiorem multo fatetur, quum aliquoties ad Galenum provocet, cujus ex operibus in ultimo præsertim libro non pauca mutuatur.

AD PLINII VITAM
EXCURSUS II.

DE PLINII FIDE
IN EXSCRIBENDIS CITANDISQUE AUCTORIBUS.

Quam olim Fabricii notitiæ de Plinii vita scriptisque addere decreveram de ejusdem Plinii fide dissertationem, mutato consilio huc retuli, postquam primarius hujus editionis architectus, N. El. Lemaire, brevitatis studio, in animum sibi mihique induxit supervacuam fore Fabricii operam, post insigne quod attulimus Broterii fragmentum; et potius in annotationibus excursibusque nostris, ubi se præberet occasio, Fabricianæ eruditionis exprimendum esse succum.

Hujus autem controversiæ, quam nunc aggredior, materiem Plinius ipse in operis sui proœmio quodammodo proposuit his verbis: «Viginti « millia rerum dignarum cura... ex lectione voluminum circiter duum « millium, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter secretum « materiæ, ex exquisitis auctoribus centum inclusimus triginta sex volu- « minibus... Argumentum stomachi mei habebis, quod in his volumi- « nibus auctorum nomina prætexui. Est enim benignum, ut arbitror, et « plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: non ut plerique « ex iis, quos attigi, fecerunt. Scito enim conferentem auctores me de- « prehendisse a juratissimis et proximis veteres transcriptos ad verbum « neque nominatos.... Obnoxii profecto animi et infelicis ingenii est « deprehendi in furto malle quam mutuum reddere; quum præsertim « sors fiat ex usura.» Præclare quidem, si vere. Utrum autem vere an falso hæc de se jactaverit Plinius, operæ pretium est inquirere: qua in re præ cæteris Salmasium sequar, in Prolegomenis ad Solinum, pag. 20, mira sagacitate Plinii virtutes et vitia dijudicantem.

Ac primum totius operis consilium meritis laudibus effert Salmasius: « De opere hoc, inquit, generatim id debet statui, quod olim alter Plinius pronunciavit *opus esse diffusum, eruditum, nec minus varium quam ipsam naturam*... Operis ipsius conceptio ac conformatio

dispositioque tota grandis et capacis ingenii opus; idque eo grandius et magnificentius existimari par est, quod nemo unquam ex omni ævo præter eum repertus sit, ne apud græculos quidem illos loquaces et otiosos, qui universam Naturalem Historiam unius laboris et operis monumento consignarit..... Plures plura simul, aut singula seorsim, scriptis voluminibus condidisse constat. Nemo unus hæc omnia. » Alias deinde Nostri virtutes candore simili commendat. « De styli ipsius, quo ista condidit elegantia, gravitate, granditate, tacere potius puto quam parum pro dignitate ejus ac merito dicere. Ἐν τῷ ἠθικῷ plane regnat, et in parte quæ meliores non doctiores dimittit..... Nullam occasionem omittit medicinam faciendi moribus... Nemo acerbius reprehendenda coarguit, nemo altius laudanda evexit..... » Sed molesta succurrit exclamatio : « Atque utinam sicut huic parti satis superque ab illo esse factum videmus, ita reliquas implesset! »

Idem fere judicium, annis ante Salmasium haud ita multis, aspero, ut solet, sed gravi stylo exaraverat celeberrimus philosophiæ renascentis auspex, Baconus Verulamius, de Augm. scientiarum, libro II, cap. 2 : « Itaque, inquit, natura omnia regit. Subordinantur autem illa tria, cursus naturæ, exspatiatio naturæ, et ars, sive additus rebus homo. Quod etiam C. Plinius magna ex parte fecit, qui Historiam Naturalem solus pro dignitate complexus est; sed complexam minime ut decuit, sed indignis modis tractavit. »

Cur autem tam præclaro operis instituto forma non idonea responderit, Verulamio reticente, Salmasius docet : Plinio nempe accidisse quod Veterum nonnullis, Arato, Nicandro, Celso, nec injuria exprobratum est, sæpius eos litteris mandasse quæ ipsi nescirent. « In scientiis et cognitione earum artium quas pertractat, usque adeo rudem ac tironem ubique se profitetur, ut manifesto appareat eum ante ad scribendum de his quam ad cognoscendum venisse. » Durius fortasse quam decuit, sed justius quam vellem, Plinio hæc objici fateor, saltem de quibusdam Historiæ Naturalis partibus. Nec inficias ibunt, quicumque paulo attentius hæc volumina pertractaverint, præsertim vero qui interpretanda, ut nos, susceperint. Ubi enim te ad commentandum accinxeris, quam multa aut omnino falsa aut etiam absurda occurrunt, quæ in honorem auctoris a te selecti, vel aliquo interpretandi artificio ad verum reducere, vel tentata lectione, si per manuscriptos liceret, corrigere velis! Discordia etiam, qua secum toties pugnat, magno interpretum fastidio, ex eodem fonte procedit : nam in tenebris implicantur cæci pedes, et vias inter se diversas ac sæpe contrarias locorum inscius tentat error. Sed nec ideo velim Plinio turpis ignorantiæ notam inurere: « Nec sane mirandum est (Salmasii ipsius verba sunt) unum aliquem hominem, qualis exstitit Plinius non omnia exhibuisse quæ desiderabantur ad tantam illam molem, quantam animo conceperat, perficiendam... Tot scientias non unum pectus capit, vix una plurium ætas percipit, vix plura sæcula perficiunt. » Quod si doctior ideoque sui diffidentior fuisset Plinius, forsitan a pulcherrimo posterisque utilis-

simo operis hujus consilio abstitisset. Unus omnia scire non potuit; nihil tamen penitus ignorasse, satis illi pulchrum sit. Et vide ne isti, quod omnes laudamus, consilio ad effectum perducendo aptior fortasse fuerit unus homo mediocris in omnibus doctrinæ, quam plures in sua quisque parte egregii, in cæteris plane ignorantes. Quot, obsecro, menda, quot errores, quot ineptiæ subrepserunt in illud quoque clarissimum patrum nostrorum ætate monumentum, Gallicam dico Encyclopædiam, quæ tantum in ortu suo decantata, tam hodie deserta et obsoleta fastiditur! Miraris adhuc apud Plinium manca quædam occurrere! Verum enimvero collige, si potes, universos quibus usus est ille, scriptores; quantam doctorum turbam! ordina, ut licebit, et consue illorum opera, ipsis auctorum verbis expressa. Longissimam quidem et fastidiosissimam, sed plenissimam habebis antiquæ doctrinæ encyclopædiam. Credisne minores illic numero vel gravitate occursuros tibi errores? Addiderit de suo menda non pauca Plinius; plura tamen ab illo exclusa et eliminata dubitare noli: tam rudes illo tempore, tam inaniis et fabulis oppletæ erant scientiæ, quæ vix duobus abhinc sæculis sibi viam ad verum investigandum moliri feliciter cœperunt.

Fecit Plinius quod unum ab illo efflagitari poterat; parum aut nihil de suo excogitavit; sed ex infinitis multa elegit, transcripsit, ordinavitque, et ut Salmasium rursus testem adducam, « hoc solo nomine gratiam meretur præcipuam, quod, deperditis auctoribus unde accepit, diligentia illa sua legendi ac colligendi, qua omnes vicit, res innumerabiles nobis transmisit, quarum memoria hodie omnis, absque illo esset, funditus intercidisset. » Inter auctores vero, optimosne potissimum adhibuerit, vix ambigi potest, quum et ratio id evincat, et ipsorum auctorum nomina in promptu sint, proposita ab ipso non solum in elencho, sed passim in totius operis decursu. Nullum ibi alicujus famæ, præter unum fortasse Dioscoridem, de quo fusius infra agemus, omissum deprehendes: eorum, qui supersunt, opera cum Plinii libris conferre licet, et quantum per illos profecerit, agnoscere; satis apparebit, non honoris causa, neque ut fucus lectoribus fieret, doctissimos gravissimosque in utraque lingua scriptores ab illo toties esse nominatos.

In eorum vero excerpendis operibus aliquando fortasse parum attendit, num certissima et probatissima eligeret. Nemo, ut opinor, a Plinio postulabit tam subtile judicii acumen, ut quid in celeberrimis auctoribus claudicaret, primo statim aspectu intelligeret; prorsus enim doctior illis omnibus fuisset; et non modo ætatis suæ, sed et priorum et sequentium universa vicisset ingenia, siquidem hodieque de multis opinionibus Veterum ambigitur, utrum pro veris accipiendæ, an pro falsis et commentitiis asperoandæ sint. Fatebor tamen illum nimio fortasse studio arcana et mirabilia secutum esse; astrologiæ commentis et antiquæ medicinæ vanissimis superstitionibus præter modum indulsisse. Sed hoc illi enim Veteribus plerisque commune vitium est: nec minus quam Noster de plantarum occultis virtutibus delirant Theophrastus et Dioscorides; astrologia vero sub Tiberio præsertim ejusque successo-

ribus, in laudem et gratiam evecta, omnes mortalium animos, arctissimis illis vinculis adstringere cœperat, quæ, sæculo decimo septimo ineunte, quanquam laxata forsitan et soluta, nondum, ut hodie, fracta comminutaque erant.

Aliud quæritur, utrum recte omnia excerpserit, utrum excerpta recte transcripserit Plinius. In quo peccasse illum sæpe, fateor; et hoc multis de causis factum existimo. Primum, quod aliqua, ut jam diximus, parum aut male intelligeret, arcanis doctrinæ haud satis initiatus. Deinde, quod græcos plerumque auctores latinus homo sequeretur, quorum linguam etiamsi apprime callebat, interdum tamen verbis quibusdam insolentibus alienum sensum affingere potuit. Potuit etiam, quum vel latinos transcriberet, nimia eloquii cura, verbis interdum magis quam rebus attendere, et sententias non tam ornare quam adulterare. Sed non minus Plinio offecit, quod illum, ut recte monet Salmasius, « in tanto labore et tam operosa tot rerum coacervatione, aliena opera usum esse, credi par est. Proinde sæpissime constat deceptum ab his quibus aliquid quærendum injunxerat. Aliquando etiam video illum non recte audisse, quæ pronunciarat anagnostes, atque ex aurium vitio non raro prolapsum in plures pœnitendos errores. Nam ex Plinio nepote discimus lectori solitum illum dare operam, quo legente ipsemet excerpebat annotabatque. Multa sane commisit, in quæ non poterat cadere, si oculos suos lectioni ipse commodasset. »

Exempla talium hallucinationum multa profert Salmasius, quorum nonnulla paulo infra exponemus. Ea vero multum fidei, multumque pretii Pliniano operi detrahere, non dissimulandum est. Nam si, observante eodem Salmasio, « Græca Theophrasti aut Aristotelis, quæ in promptu sunt, cum Plinianis comparata, quid in istis mendosum tiuniat, quid subæratum sit, aut adulterina forma percussum, vel primo oculorum conjectu intuentem et intentum advertunt... in cæteris qui interciderunt, non arduum tantum negotium, sed omnino inexplicabile.... Quis (autem) mediocriter intelligens credere posset Plinium meliori fide aut majori diligentia usum fuisse, dum excerperet ac verteret auctores qui desiderantur, quam usus est in his quorum scripta exstant? »

Quæ tamen plus minusve felici cura undique convasavit Plinius et in suam rem convertit, videamus quonam ordine disposuerit. In hoc quoque nimiam festinationem aut incusare, aut saltem deplorare licebit. « Fuisse diligentissimum credimus, sed eumdem occupatissimum quoque fuisse discimus, districtum impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia principum: deinde nec vitam illi contigisse longam. Postremo cogitandum non hæc sola volumina quibus omnes naturæ partes et opera scrupulose exposuit, sed alia innumera hominem alias occupatum et ævi brevis absolvisse. Non hæc tot ac tanta peragere, quin interdum nimis properasset, et nimia festinatione propositum urgeret, potuit. Quod illi sæpe fraudi fuisse præcipue in his de natura historiis, animadverti passim datur. *Super cœnam*, inquit ejus Nepos, *liber*

legebatur, annotabatur, et quidem cursim. Ex annotationibus hujusmodi cursim et properanter excerptis hos libros Naturalis Historiæ compositos liquet. *Post cibum sæpe*, ut scribit idem Nepos, *æstate*, *si quid otii, jacebat in sole : liber legebatur, annotabat excerpebatque. Nihil enim unquam legit quod non excerperet.* Videtur igitur, priusquam manus admoverit institutæ scriptioni, quidquid ad eam rem pertinere intelligeret, quam in animo et cogitatione formatam præceperat, ex variis auctoribus id adnotasse, excerpsisse, et in opistographos commentarios sive *adversaria* retulisse. *Aversaria* enim proprie chartæ etiam in aversa parte scriptæ, quum de more esset chartas in altero tantum latere scribi. *Aversaria* itaque potius quam *adversaria* debere dici crediderim... Hujusmodi opistographos electorum commentarios, usque ad CLX, sibi reliquisse avunculum suum tradit Plinius et minutissime quidem scriptos... Sub certis (ibi) posuisse titulis quæcumque lectitasset ac notasset, uno sed illustri exemplo patefaciam. Theophrastus, de Historia Plantarum, libro IX, cap. 9, morem superstitiosum tangit in certis colligendis herbis apud medicamentarios et herbarios usitatum, præsertim in Panace asclepieo et Xyride : de his hæc verba scripsit : Οἷον τὸ πανακὲς ἀσκληπίειον τέμνοντας ἀντεμβάλλειν τῇ γῇ παγκαρπίαν μελιτοῦτταν· ὅταν δὲ τὴν ξύριν, τριμήνους μελιτούττας ἀντεμβάλλειν μίσθον. Τέμνειν δὲ ἀμφήκει ξίφει, περιγράψαντας εἰς τρίς. Ratio et similitudo superstitionis in utraque hac herba legenda solemnis, postulare videbatur ut locus non divelleretur, sed totus et integer afferretur. At Plinio dividuum facere ac scindere placuit. Alteram partem, quæ de Panace est, retulit lib. XXV, cap. 4 (ed. nostræ c. 11). Alteram de Xyri exposuit lib. XXI, cap. 7 (ed. nostræ cap. 19), ubi de Iridis herbæ generibus ac differentiis agit, et in verbis Theophrasti τὴν ἶριν pro ξύριν legit. Sub titulo igitur *de Iride* verba philosophi de modo evellendæ Xyris adscripsit : sub titulo *de Panace*, locum illum alterum. »

Idem fere sensisse Scaligerum docet Fabricius, in Scaligerianis primis, pag. 85, scribentem : « Accuratus Plinii lector deprehendet, ipsum omnia quæ ex variis auctoribus excerpebat, ordine litterarum sive alphabetico in sua digessisse adversaria, neglecto ordine naturali, qui potior erat. » Favent præsertim huic opinioni libri XXVII, XXXII sub finem, XXXVII, ordine adhuc alphabetico partim aut in totum digesti. At quæcumque fuerit adversariorum distributio, id saltem Salmasio facile quivis concedet, Plinium non tam casu aliquo quam ipsa rerum necessitate, « dum sequitur calorem et impetum ingerendi chartis, quidquid occurreret inter legendum excerpi dignum, et quod faceret ad institutum, ordinis sæpe præ festinatione non magnam habuisse curam. Hanc illi fuisse sylvam ad destinatum opus : mox dum eam repetit ut componeret ac stylo indueret, quæ nuda notaverat, nonnulla quidem meliori situ ac serie disposuisse, sed magnam partem sicut erat in excerptis indigestam et inordinatam reliquisse, oratione modo perpolitam et verborum splendore illustratam : cui parti eum magis attendisse quam rerum veritati, indubitata fides. »

Ex hac tumultuaria compilandi ratione cætera pæne omnia derivantur apud Plinium vitia. Hinc illi sæpe accidit, ut in diversis operis sui locis idem bis aut pluries afferat, quod vel unus secundus liber demonstrat, qui si casu aliquo deperditus esset, dispersis per cæteros libros fragmentis totus fere posset resarciri. Hinc sæpe a se ipso discrepat atque dissentit, sive quod discordes secutus auctores ab illis conciliandis abstinuerit, neque satis observarit, monente Georgio Agricola, præf. ad librum X, de Natura Fossilium, « interdum a diversis scriptoribus unam rem duobus vel pluribus vocabulis appellari, interdum contra res duas vel plures uno vocabulo; » sive quod nonnunquam easdem sententias sub diversis a se titulis inter excerpendum collocatas, quum raptim ac festinantes relegeret, easdem non eodem sensu acceperit: ut ex Theophrasti loco supra allato quum duos facere libuisset, παγκαρπίαν μελιτοῦτταν, id est, placentam omnigenis seminibus conditam, l. XXV, pro frugum fasciculo accepit, sic interpretans: « Scrobem repleri vario genere frugum religio est; » lib. autem XXI, μελιτοῦτταν istam, sive placentam, ridiculo magis errore, in aquam mulsam liquefecit: « Fossuri, inquit, tribus ante mensibus mulsa aqua circumfusa terræ blandiuntur. » Hinc denique nomina quædam plantarum sive lapidum in alienos prorsus locos conjecta se mirantur: ut βράβυλα, id est, ἀγριοκοκκύμηλα, sylvestria pruna, styptico sapore notissima, quum aliquo fortasse casu sub Herbarum titulo annotavisset, oblitus deinde quid significarent, Brabylam herbam excogitavit interque plantas reposuit, lib. XXVII, c. 32, his verbis: « Brabyla spissandi vim habet, cotonei mali modo: nec amplius de ea tradunt auctores. » Sic λευκογραφίδα, cretaceum quemdam lapidem, libro XXVII, cap. 78, male inter herbas referri contendunt Pinctus et Salmasius, contradicente tamen Harduino.

Hæc sunt quæ Plinio, tanquam levitatis aut negligentiæ manifesto, objicienda censeam potius, quam innumeros, quos ex auctoribus decerpsit, errores; quum, ut dixi, nec aliter facere potuerit; et, ut recte observatum video in Fabricii sive Ernesti bibliotheca, non semper eorum quæ transcribit vadem prædemque se faciat. Libro II, 54: « Sint ista, inquit Plinius, ut rerum naturæ libuit, aliis certa, aliis dubia, aliis probata, aliis damnanda: nos cætera quæ sunt in his memorabilia non omittemus. » Et eodem libro, cap. 98: « Ut nihil quod equidem noverim prætercam. » Libro VII, cap. 1: « Nec tamen ego in plerisque eorum obstringam fidem meam, potiusque ad auctores relegabo, qui dubiis reddentur omnibus: modo ne sit fastidio Græcos sequi. » Lib. VIII, cap. 34: « Homines in lupos verti rursumque restitui sibi, falsum esse confidenter existimare debemus, aut credere omnia, quæ fabulosa tot sæculis comperimus. Unde tamen ista vulgo infixa sit fama, ... indicabitur..... Mirum est quo procedat græca credulitas: nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat. »

Redundent ergo in fontes, unde hausta sunt, pleraque Plinii errata, si modo nihil tanquam suum protulit, et eos auctores, quorum opera usus est, bona fide indicavit. Sed ecce gravius crimen oritur: falso fidem

soam prædicasse Plinium in citandis, per quos profecerat, scriptoribus: quosdam enim ab eo præteritos, ex quibus manifesto multa haoserit; eoqoe pudeoda magis ejus furta, quod in cæterorum plagiariorum impudentiam, turpissimus ipse plagiarios, invehi ac declamare in præfatione sua sustiouerit.

Tres quippe testes, seu potius accusatores, in Plioium suscitavit criticorum invidia, Julium Solinum, Antonium Musam et Dioscoridem: ac si illos, impudeoter a se spoliatos, dolo malo reticoisset.

Sed de Solino jam omnes consentiunt, actionem potius Plinio in eum quam ei io Plinium competere. Grammaticns ille, Plinii simius non immerito cognominatus, jonior eo fuisse multis argumentis a Salmasio demonstratur in Exercit. Plin., sed vel uno maxime, tom. I, p. 271.

Antooii Musæ de Herba Vettooica opusculum, multa Plinio ministrasse videtur, ut lib. XXV, cap. 46, lib. XXVI, cap. 34, et passim alias per hunc utrumque librum; nec tamen in elencho nominatur, unde adversus Nostrum calumnia. Sed qoivis æquus judex animadvertet: Plinium, brevitatis causa, in elencho scripsisse tantum ad hos libros, *Ex auctoribus iisdem quibus supra* aut *quibus anteriore libro;* quare uon mirum est Antooii Musæ mentionem excidisse, nulla tamen Plinii mala iu eum voluntate, siquidem iu operis decursu clarissimum illum Augusti medicum bis cum hnuore uominat, libro XXIX, cap. 5, et libro XXX, cap. 39.

De Dioscoride major lis est, et qnanquam io ea tractanda multum desudaverint eruditi, fateor me inter diversas eorum sententias adhuc hærere subambiguum. Aote omnia pretium operæ foret Dioscoridis ætatem probe cognoscere; jam enim disputationi ne locus quidem relinqueretur, si, quod Paulus Cigalinus eruditissima dissertatiooe demonstrare conatus est, Dioscorides Anazarbeus non Augusti tempore, ut quidam volunt, uon Neronis, ut alii, sed Nervæ aut Trajani tempore scripsisse constaret, Plinio igitur nostro posteriorem.

Quare, quid de Dioscoridis ævo uosci aut saltem conjici possit disquirere haud alienum erit. Sæculorum injuria Dioscorides tam male multatus ad nos pervenit, ut neque de ejus nomine constet: Pedacium alii vocant, alii Pedauium, dissentientibus manuscriptis; neque de patria: Anazarbeus iu codicibus dicitur, Alexandrinum tamen fuisse multi crediderunt; neque de persona ipsa: siquidem unosne, an duo an plures fuerint, ambigitur. Itaque difficile admodum est de tempore, quo vixerit, quidquam certi statuere.

Oribasius, Aetius, Paulus Ægineta, Plinius Valeriaous, Serapio, qui Dioscoridem continuo exscribunt, ac sæpe cum honore nominant, de patria tamen reticuerunt; nisi qood Paulus Æglueta libro IV, Dioscoridem quemdam Alexandrinum semel nuncupat. Omnibus antiquior Erotianus, observante Cigalino qui hæc omnia testimonia congessit, Erotianos, inquam, Neroni coævus, Dioscoridem quemdam cognomento Phacam appellatum fuisse narrat; sed auctorem tamen materiæ medicæ quum clarius designat, solo Dioscoridis oomine significat. Apud Hierony-

mum, Cassiodorum, sine patriæ mentione laudatur. Galenus qui in ejus commendatione multus est, nunc nudo nomine, nunc Anazarbeum vocat; cujus testimonii maxima est auctoritas, quod Galenus et doctissimus et Dioscorideæ doctrinæ addictissimus fuit. Stephanus Byzantius Anazarba quoque Dioscoridis medici patriam denunciat. Suidas denique, in Lexico, Dioscoridem medicum ait, patria Anazarbeum, cognomento Phacam, sub Antonio et Cleopatra floruisse, librosque XXIV de plantis reliquisse.

Qui Suidæ locus quum plurimum lucis afferre primum intuentibus videatur, densiores immo tenebras controversiæ nostræ offundit. Non quod aliqua veritatis specie destitustur. Areo enim cuidam, docto viro et gravi, nuncupatur Dioscoridis opus; et ecce Plutarchus in Antonii vita, Dio histor. libr. II, Augustum narrant, quum victor, Antonio et Cleopatra sublatis, Alexandriam ingrederetur, Areum philosophum pro civibus suis supplicem tanta cum veneratione excepisse, ut in ejus gratiam Alexandrinis parceret. Sed primum, isne fuit Areus, qui in Dioscoridis præfatione nuncupatoria, dicitur cum Licinio quodam Basso illustri viro, et Romano certe potius, quam Ægyptio, licet ignoto, familiarissimus fuisse? Deinde se militarem egisse vitam docet ipse Dioscorides in præfatione, et sic Asiam minorem, Græciam, Italiæ et Galliæ partem peragrasse videtur, quod quidem Ægyptio viro his temporibus viventi, parum convenit. Et si Cleopatræ tempore vixit, mirum est Anazarbeum dici, quum teste ipso Suida, et Stephano Byzantio, urbs Ciliciæ Anazarba, olim Gyinda, inde Diocæsarea dicta, denique terræ motu eversa, a quodam Zarba vel Azarba Nervæ imperatoris jussu restituta fuerit, nomenque suum illud novum ex ipso conditoris nomine conflaverit. Ubi vero sunt quos narrat Suidas, de plantis libri XXIV? quum quinque tantum circumferantur inscripti de materia medica, περὶ ὕλης ἰατρικῆς, et quinque tantum agnoscant optima Galeni exemplaria, et initio quinti libri Dioscorides ipse de vinis se acturum significet ἐν τούτῳ τελευταίῳ, in hoc ultimo volumine. Addantur his, per me licet, tanquam ab eodem auctore scripta, et tanquam in duos dividenda libros, (etsi hoc utrumque dubitari potest), θηριακὰ et ἀλεξιφάρμακα, septem omnino libros habebimus, non viginti quatuor, neque de plantis, sed de omni pharmacorum genere scriptos. Qui tamen Suidæ testimonio adhærent, plantarum meminisse illum contendunt, eadem ratione qua hodieque Dioscorides Botanicis vulgo annumeratur, quod scilicet medicamentorum maxima pars ex officinis herbariorum petatur : XXIV autem libros numerasse, quod ejus tempore Dioscoridis opera commodioris usus gratia discerpta et ordine alphabetico in XXIV titulos digesta circumferri solerent : idque etiam in nonnullis vetustissimis codicibus observari. Esto, nisi ambages aliæ statim occurrunt. Cratevam inter Veteres recenset Dioscorides in præfatione sua : qui tamen Mithridati vel coævus vel junior erat, siquidem teste Plinio, Hist. XXVI, 6 : « Ipsi Mithridati Cratevas adscripsit unam Mithridation appellatam (herbam). » Ergo Mithridate,

et Pompeio, et Cleopatra, fere coævis inter se nominibus, multo recentior erat Dioscorides, qui Cratevæ antiquitatem venerabatur. Idem libro III, Euphorbii meminit, quod in Libya inventum Juba regnante narrat: Plinius consentit, Hist. Nat. V, 1, et XXV, 7; ibique Jubam hunc Ptolemæi patrem appellat, et primum utrique Mauritaniæ imperasse dicit; addit etiam ab Euphorbio Jubæ medico, Antonii Musæ Augusti medici fratre, sic appellatum remedium: ut jam dubitare nefas sit, Jubam regem hunc ipsum esse, quem infantem in triumphum a Cæsare ductum narrant historici, hujus nempe filium quem pro Pompeianis partibus in Africa fortiter stetisse omnes sciunt. Patre felicior, Juba filius liberalitate Cæsarum in avito regno restitutus fuit, ac Tiberio dominante senex obiit. Dioscorides ergo quoniam Euphorbii meminit illo regnante reperti, sane ejus regno superfuit; et recte monet Cigalinus neminem de hoc remedio apud latinos egisse, ante Scribonium Largum qui sub Claudio vixit. Eodem redit quod Dioscorides Britannicæ herbæ mentionem facit: quam tamen Plinius, Hist. XXV, 3, in Germania inventam narrant, « trans Rhenum castris a Germanico Cæsare promotis » id est, aut extremo Augusti ævo, aut Tiberii primis. Iberidis quoque historiam verbum de verbo ex Democrate descriptam apud Dioscoridem legere est; de qua Plinius: « Invenit nuper et quam Iberidem Democrates appellavit. » Porro Democratem sub Nerone vixisse, Andromacho hujus principis medico juniorem, plusquam probabilibus conjecturis ostendit Cigalinus.

Jam igitur vel inviti accedimus ad eorum opinionem qui Dioscoridem non ante Neronis tempora scripsisse contendunt; et Suidam aut ignorantia peccasse fatendum est, quum ex pluribus unum Dioscoridem conflaret, (plures enim a Galeno citantur, unus Anazarbeus, alter cognomine Phacas et Herophili sectator, Junior tertius qui et Erotiano cognitus, quartus denique Tarsensis), aut in allato Suidæ loco Ἀλεξανδρεύς, non Ἀναζαρβεύς legendum esse, quæ Cigalini et nostra est opinio. Prava enim emendatione, semidoctus librarius qui de Anazarbeo tantum audierat, fœdissimum errorem Suidæ inoculavit contra doctissimi viri mentem qui Dioscoridem unum ob oculos habuerat, Phacam nempe illum, Alexandrinum, Cleopatræ coævum, Herophili asseclam, forsan et ipsum rei herbariæ diligentem, librorumque de plantis XXIV auctorem, nisi hæc ultima de glossa quoque addita sunt.

Quod si Dioscorides noster, non Alexandriæ, non sub Cleopatra vixit, quemnam igitur illum esse dicemus, ad quos omnes operis sui libros diserte inscripsit? Quemnam, dubito. Satis est tamen si, duce Cigalino, alios fuisse Areos ostenderim, in quos hæc suspicio cadere possit. « Præter Augusti præceptorem, quem licet philosophum fuisse constet, non sequitur fuisse medicum qualem amicum suum fecisse Dioscorides videtur, meminit Arei Asclepiadei, IV de Comp. med. secundum loca, cap. 7, Galenus, et V, cap. 7, necnon V de Comp. med. secund. genera, cap. 15, ad quem exstat medicamentum a Dioscoride Tarseo missum pro sanguine supprimendo præstantissimum. Tar-

sensis vero Arei, IX de Comp. medic. sec. loc. cap. 21. Sed Lecanii Arei mentio legitur in Galeno, V de Comp. med. sec. gen. cap. 13; capite vero 11, bis Areum simpliciter idem Galenus vocat, quemadmodum et 14; ac X de Comp. med. sec. loc. cap. 2. Quorum utri suum opus Dioscorides dicaverit, quum incertum mihi sit, nihil temere statuo: inclinat tamen animus ut credam Lecanio Areo, pro ea quæ Areo Dioscoridis cum Licinio Basso necessitudo intercessit; *Lecanio* enim forte legendum est, non Licinio, lapsu ob verborum similitudinem facto, qualem antiquus Frontini de aquæductibus impressor commisit, libro II pro *Lecanio Basso* consule sub Nerone *Licinium* dicens.» Hæc Cigalinus: quibus addo, eumdem fortasse Areum Asclepiadeum ob professionem et sectam dictum esse, Tarseum sive Tarsensem ob patriam, Lecanium vero, quod vel adoptatus a Lecanio fuerit, vel Lecanii libertus. Multi enim e Cilicia servi Romam mittebantur, quorum nonnullos in medicina profecisse, et dominis suis caros, postque manumissionem præpotentes fuisse, nemo mirabitur qui cum moribus Romanis vel levissime consueverit. Ad hunc ergo Dioscorides scripserit, Cilix ipse patria et medicus, quo facilius inter illos amicitia coalescere potuerat; et forte alteri eorum patronus, utrique certe amicus fuerit C. Lecanius Bassus, quem consulem Nero fecit anno DCCCXVII, cum L. Licinio Crasso, nescio an ludicræ paronymiæ causa, quemque testis est Plinius, libro XXVI, cap. 4, se scribente, id est ultimis Vespasiani annis, carbunculo periisse.

Ergo Neroni coævum credo vixisse Dioscoridem, non vero quod Cigalinus putat, Nerone et Plinio recentiorem, quoniam, ut supra diximus, Erotianus, quem scimus Andromacho Neronis archiatro de vocibus Hippocrateis opus suum inscripsisse, diserte nostri Dioscoridis et ejus ὕλης ἰατρικῆς meminit. Nullæ hic ambages, nullus controversiæ locus. Nam quis Cigalino concedat, Nerone mortuo, titulum ejus archiatri tam sedulo retinuisse Andromachum? At enim sub principatu Neronis Anazarba nomine isto adhuc carebant, ut diximus. Sed Dioscorides etiamsi sub Nerone scripserit, Domitiano superesse potuit, et Anazarbeus senescere ac mori: potuit etiam novum patriæ cognomen et mortuo imponi, quo distingueretur a Dioscoride juniore. Quidquid id est, nec ante Claudium, nec post Neronem, scripsisse, ex his quæ diximus apparet.

Coævus igitur Plinio vixit, et prior opera sua publici juris fecit; ut, si alterum ab altero transcriptum esse constet, Plinius non Dioscorides plagii sit manifestus. Porro tot loca apud utrumque reperies, quantum per linguarum diversitatem licuit, plane iisdem verbis concepta, ut difficile tibi persuadeas non se Dioscoridis interpretem fecisse Plinium. Conferendi omnia nec tempus nec voluntas nobis suppetit: quem laborem si quis suscipere voluerit, dux erit Harduinus passim in suis ad Plinium annotationibus similes e Dioscoride locos adducens, qui et in editione nostra plures reperientur. Maxima vero furti indicia congessit eruditus Salmasius: verba enim ostendit quædam apud Dioscoridem

pulchre sonantia, quæ Plinius illo, quo diximus, vitio, vel male sibi recitata, vel in depravatis exemplaribus lecta, vel negligenter a se transcripta, syllabarum similitudine delusus, contrario ac interdum ridiculo sensu accepit. Sic græce dicitur elæomeli in Palmyrene Syriæ parte colligi, κατὰ Πάλμυρα τῆς Συρίας; apud Plinium, libro XV, cap. 7, *in Syriæ maritimis*, tanquam κατὰ τὰ ἅλμυρα. Glycyrrhizæ folia græcus auctor dicit ὅμοια σχίνῳ, schini foliis esse consimilia; quæ Plinius echinata facit, lib. XXII, cap. 11, quum sine dubio legisset, ὅμοια ἐχίνῳ. Florem smilacis vernum esse, ἠρινὸν, græca vox indicat; quem florem Plinius, lib. XVI, cap. 63, *lilium olere* scribit, λείρινον. Facetissimum autem, quod quum in Dioscoride scriptum fuerit de melicrato sive aqua mulsa: τῷ δὲ ἀφεψημένῳ ἐπὶ τῶν μικροσφύκτων καὶ ἀσθενῶν καὶ βησσόντων, Plinius μικροψύχων intelligat, libr. XXII, cap. 51, contendatque « hunc potum bibendum alsiosis: item animi humilis et præparci, quos illi dixere *micropsychos*. » Ita vult Noster avaris ac sordidis eamdem ingeri potionem quam anhelis aut hecticis, aquam mulsam, i. e. melle conditam; mirum sane adversus hanc animi tabem remedium, multoque facilius, præstantius multo, inutilibus plerumque ac frustra eloquentibus philosophiæ præceptis.

Quæ, quum ridicula nimis sint, omitto jam, et quæro cur Plinius Dioscoridis verba manifesto, ut videtur, transcribens, tam pertinaciter ejus nomen reticuerit. An furta sua clam fore speravit, adhuc vivente Dioscoride, qui rem suam ipse vindicaret; aut paulo ante mortuo, superstitibus ejus amicis, aut qui ejus libros optime norant, ipso fortasse Areo, Andromacho, Erotiano? Non dubitavit gravissimus vir, quum ad imperatorem Titum scriberet, turpissimo se mendacio implicare, et non in famæ tantum, sed in gratiæ discrimen ultro venire? Non timuit, quum in præfatione sua plagiarios insectaretur, ne flagella sibi pararet? Non expavit grammaticorum furores jam olim in se concitatos? quanto scilicet magis exarsuros, oblata tam præclaræ ultionis materia!

His utrinque vitandis ambagibus media via excogitata est, quam video Cornario et Gesnero placuisse: nec Plinium scilicet, nec Dioscoridem mutuo sibi suffuratos esse quæ scripsissent; sed eosdem utrique auctores ad manum fuisse, ex quibus Dioscorides eadem græce transcripserit, quæ Plinius latine vertit. Scio majoris famæ quibusdam videri Dioscoridem, quam ut in tantum virum hujusmodi suspicio cadere possit: sed neque me fallit Dioscoridis famam nimium quantum exaggeratam fuisse Galeni laudibus, Oribasii, Pauli Æginetæ aliorumque servili adoratione; et scio quantacumque demum illa sit, non statim in tantum excrevisse: Plinius enim nobilissimum auctorem reticere sane nullo modo potuisset, si nobilissimus tempore suo fuisset. Sit tamen ille, quanta volunt, gloria conspicuus; quæro num ulli possit in mentem venire, quæcumque Dioscorides in libros suos congessit, ex suis ipsum observationibus vel ex ingenio suo desumpsisse? Confer hodieque botanicorum nostrorum libros; nonne in describendis plantis et eorum usu notando sic inter se conveniunt, ut plerumque easdem res ipsissimis

verbis efferant? Quis tamen idcirco litem illis movet? An Dioscorides non potuit, immo non debuit eadem venia uti? Salmasius quidem ita factum non negat, etsi plerumque Dioscoridi magis quam Plinio favet, unde minus detrectandum est ejus in tali re judicium : « Dioscoridem quoque ipsum, ait, omnia fere ab anterioribus accepisse certa apud me fides, ut Sextio Nigro, Julio Basso, et aliis plerisque. Quamvis enim multam operam huic studio se dedisse jactet, et Sextium Nigrum in quibusdam reprehendat quod ex aliorum relatione, non ex propria experientia et αὐτοψίᾳ herbas cognosset, infinita tamen illum ex eodem mutuatum esse video. Quod ex Plinio facile conjectare est, qui quum in omnibus ferme Sextii Nigri scrinia compilarit, in plerisque plantarum descriptionibus, quas e Sextio hausit, pares eas omnino eum his habet, quæ apud Dioscoridem habentur earumdem herbarum historiæ, iisdem verbis descriptæ. » Utrum hæc vere an falso dicta sint, disputationis nostræ tantum interest, ut ab exemplis proferendis abstinere nequeam, in quo mihi præerit Cigalinus. De fibro scribit Dioscorides libro II, temere proditum esse amputari testes ab ipsis in fuga, quum capiuntur; nec enim adimere sibi eos possunt substrictos et adhærentes, ut suibus. Plinius vero Nat. Hist. libro XXXII, cap. 13, ex Sextio de eodem sic : « Amputari testes ab ipsis quum capiuntur, negat Sextius diligentissimus medicinæ; quin imo parvos esse, substrictosque et adhærentes spinæ, nec adimi sine vita animalis posse. » Ex eodem libro Nat. Hist. XXIX, cap. 23, Plinius negat a Salamandris ignem restingui; de quo Dioscorides lib. II : « Temere creditum est Salamandram non sentire flammas. » A quo, libro IV, pag. 80, habemus : « Narbonensi taxo vis tanta, ut si qui sedeant sub ea somnumve capiant, lædantur; sæpe vero etiam moriantur » : quæ omnia Plinius Nat. Hist. libro XVI, cap. 20, in Sextium Nigrum refert hoc modo : « Sextius Niger dixit taxum esse in Arcadia (*vel ut alii*, in Gallia) tam præsentis veneni, ut qui obdormiant sub ea cibumve capiant moriantur. » Alia profert exempla Cigalinus, ut Nicandri poetæ de Thracio lapide testimonium, quod ab illo mutuantes Plinius et Galenus auctorem suum nominaverunt, Dioscorides reticuit. Satis autem ex supra dictis apparet, Dioscoridem sæpe ex iisdem hausisse fontibus, quibus Plinium. Ex primo præsertim et tertio exemplo constat non sententias modo, sed verba ipsa auctorum sublegisse Dioscoridem, dissimulato furto, quoniam hoc furtum vocari volunt; ut venia quodammodo dignus sit Plinius, etiamsi furem spoliaverit; prorsus autem extra causam sit, si ex Nigro aliisque auctoribus pleraque desumpsit, quæ nobis e Dioscoride desumpta vulgo videntur. Nam si eadem Sextius et Dioscorides græce dixerunt, utrius tandem interpres habendus erit Noster?

Nec tamen Dioscoridis opus affirmaverim Plinio ignotum fuisse : nam de illo præsertim scriptum existimo quod in Historiæ Naturalis præfatione legimus : « Scito enim conferentem auctores me deprehendisse a juratissimis et proximis Veteres transcriptos ad verbum neque nominatos. » Attende, verba quid valeant. *Proximis*, inquit. Annon tempore

proximi erant Dioscorides sub Nerone scribens, Plinius sub Vespasiano? *Juratissimis*. Nonne ausus est Dioscorides in prooemio suo ad primum librum Veteres omnes insectari, tanquam negligentiæ aut imperitiæ reos; Sextium vero Nigrum cursim ac pæne cum fastidio inter cæteros nominare, cujus ope videmus illum adeo profecisse? *Transcriptos ad verbum*. Nonne id ipsum modo demonstravimus? Idque maxime Plinio nostro patrocinatur, cujus parum interfuit utrum Veteres an Dioscoridem sequeretur, iisdem prorsus verbis utentes. *Ne nominatos quidem*. Dubito an in operis sui decursu semel nominaverit Dioscorides Sextium Nigrum, quem in præfatione carptim attigerat. Constant ergo verba omnia; et affert ecce Salmasius alterum Plinii locum, qui pari jure eodem referri potest. « Postquam e Dioscoride hæmatitis et schisti naturam et remedia descripsit Plinius, lib. XXXVI, cap. 37, subjicit: « Hæc est sententia eorum qui nuperrime scripserunt, sed Sotacus, e vetustissimis auctoribus, etc. » quibus verbis palam est eum de Dioscoride loqui. Nam omnia quæ præcedunt ab illo sumpta: « Hæmatites invenitur in metallis » Dioscorides: ὁ δὲ αὐτοφυὴς μεταλλεύεται. « Uritur ut phrygius, sed non restinguitur vino. » Καίεται δὲ ἐμφερῶς τῷ φρυγίῳ λίθῳ, τοῦ οἴνου παρῃρημένου. « Oculis cruore suffusis mire congruit, et sistit profluvium mulierum. » Πρὸς ῥοῖκας καὶ ὑφαίμους ὀφθαλμούς. « Sanguinis rejectionibus cum succo punici mali et vitiis vesicæ efficax (ita scribendum). » Græca Dioscoridis: πίνεται δὲ σὺν οἴνῳ πρὸς δυσουρίαν, καὶ πρὸς αἵματος πτύσεις σὺν χυλῷ ῥοιᾶς. De schisto: « Infirmior ad omnia hæc eadem est, quem vocant Schiston. » Dioscorides: δύναμιν δὲ τὴν αὐτὴν τῷ αἱματίτῃ εἰσφέρεται, τῇ εὐτονίᾳ μόνον λειπόμενος, etc. Quum totum itaque hunc locum de hæmatite et schisto e Dioscoride expresserit Plinius, subjiciatque hanc eorum esse sententiam qui nuperrime scripserunt, cuivis jam inde patere potest, paulo antiquiorem eum Plinio fuisse, et paulo ante scripsisse, quam opus suum ederet Plinius. Quo uno telo satis revincuntur qui contra sentiunt, e Plinio quæ scripsit hausisse Dioscoridem et posterius vixisse: qua de re nos alibi fusius. » Hæc Salmasius; cum quo, si ita placet, fatebor Dioscoridem non modo anteriorem Plinio, sed etiam illi scribenti haud inutilem fuisse. Sed his verbis *qui nuperrime scripserunt*, si ad Dioscoridem pertinent, magis magisque confirmatur, verba quoque *a proximis*, modo ex Plinii præfatione allata ad eumdem referri. Hinc apparet causa, cur Dioscoridem non inter alios nominaverit Plinius. Cognovit scilicet, et (fateri volo) nonnunquam etiam in usum vertit, sed contempsit tamen ac sine ulla honoris mentione prætereundum putavit hominem græcum qui semibarbaro stylo cæterorum opera compilasset; cujus ipse operibus sic usus est, ut nihil pæne sumeret ex illis, quod non antea in excerptis suis annotatum a se transcriptumque reperiret.

Ut tamen scias veteribus clarisque scriptoribus multo magis adhæsisse Plinium, quam isti recentiori et inglorio, congesta quædam a Cigalino exempla huc proferam. Alyssum Plinius diversis a Dioscoride notis

repræsentavit, lib. XXIV, cap. 57, Aetio consentiente qui tribus post hunc sæculis, græce scribebat. Euphorbii plantæ, lib. XXV, cap. 38, folia achantina tribuit a Dioscoride prætermissa, a Galeno forte admissa qui euphorbii plantam spinosam esse dixit. Britannicæ figuram referens, libro XXV, cap. 6, caulis, quem haud magnum esse Dioscorides dixit, silentio involvit, quemadmodum et radicis, magnitudinem: colore nigram esse scripsit, de quo nihil Dioscorides, qui floris quoque mentionem omisit, quam Plinius attigit... Plinius Bechii duo fecit genera, unum quod nomine proprio *Tussilago* a Latinis diceretur foliis hederæ, libro XXVI, cap. 16: alterum quod Græci *Chamæleucen* appellassent, Latini *Farfarum* sive *Farfugium*, folio populi, scilicet ampliore, libr. XXIV, cap. 85; cujus opinioni videntur subscripsisse Galenus, Oribasius et Paulus, *Bechii* et *Chamæleuces* duobus distinctis locis mentionem facientes. Tussilagini semen, florem et caulem ademit, de quo medicos vetustiores Dioscorides reprehendit, in reliquis notis cum Plinio sentiens; nec in præfatione tantum Dioscoridis, quam fortasse Plinius legere neglexisset, sed iterum in historia tussilaginis apud Dioscoridem, libro III, reperitur hæc censura: unde manifestum est Dioscoridis sententiam aut ignorasse Plinium, aut cæterorum opinioni posthabuisse. Huc referendum est quod Turnefortius observavit: Nigrum Sextium a Dioscoride in præfatione reprehensum, quod fossilem aloen in Judæa reperiri scripsisset; item, quod euphorbium pro herbæ chamelææ succo venditasset; utramque autem sententiam a Plinio exhiberi, unam libro XXVII, cap. 5, alteram, lib. XXV, cap. 38, sed non sine aliquo temperamento. Hypericum vero et androsæmum herbas a Sextio Nigro in unam male conflatas Plinius cum Dioscoride distinguit: ut fatearis illum judicio usum esse, nec temere quidquid in auctoribus legisset, in adversaria sua retulisse, qua calumnia video illum apud doctos nostri sæculi viros laborare. Denique quamvis multo plures habeat plantas, quam quæ a Dioscoride memoratæ sunt, Dioscorideas quasdam præteriit, ut petasidem, catanancen; quo fit apertius id quod jam ante dixeramus, tunc quidem ex conjectura, nunc pæne certis ex argumentis, Dioscoridis opera forsitan oh oculos habuisse Plinium, sed negligenter ac cursim pervoluta idcirco sprevisse, quod eadem se et tutiora ex ipsis fontibus, unde hausisset Dioscorides, petiturum esse intelligeret. Non denique magis Plinius Dioscoridem spoliavit, quam Solinum aut Martianum Capellam spoliasse dicendus esset, qui ex Plinii operibus eadem, quæ Solinus aut Martianus, desumpsisset.

AD PLINII VITAM EXCURSUS III.

ANNALES PLINIANI

EX REZZONICI TABULIS PLINIANIS DESUMPTI ET AD VARRONIS ÆRAM REDACTI.

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
776.	25.	Tiberii, IX, X.....	C. Asinius Pollio, C. Antistius Vetus.	1.	Nascitur Plinius.
792.	41.	Caligulæ, II, III....	C. Cæsar Imp. Aug. II, L. Apronius Cæsianus, *quibus vicissim suffecti:* M. Sanquinius Maximus, Cn. Domitius Corbulo, Cn. Domitius Afer.	16.	Videt Plinius, Romæ, ut opinor, Lolliam Paullinam Caligulæ uxorem, lib. IX, cap. 58.
793.	42.	Caligulæ, III, IV....	C. Cæsar III, *solus,* *cui suffecti:* L. Gellius Publicola, M. Cocceius Nerva, *quibus suffecti:* Sex. Julius Celer, Sex. Nonius Quintilianus.	17.	

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
794.	43.	Caligulæ IV .... Claudii I	C. Cæsar IV, *cui postea suffectus :* Cn. Sentius Saturninus. Q. Pomponius II.	18.	
795.	44.	Claudii I, II	Tib. Claudius Aug. II. C. Allienus Cæcina Largus.	19.	Orcam oppugnatam in portu Ostiensi videt Plinius, lib. IX, cap. 5.
796.	45.	Claudii II, III	Tib. Claudius Aug. III. L. Vitellius II.	20.	
797.	46.	Claudii III, IV	L. Quintius Crispinus II. M. Statilius Taurus.	21.	
798.	47.	Claudii IV, V.	M. Vinicius II. T. Statilius Taurus Corvinus.	22.	Hoc anno Plinius in Africa prodigium vidit feminæ in marem mutatæ, lib. VII, cap. 3.
799.	48.	Claudii V, VI	M. Valerius Asiaticus. M. Junius Silanus.	23.	Plinius in Germania militat sub Pomponio Secundo.
800.	49.	Claudii VI, VII	T. Claudius Augustus IV. L. Vitellius III.	24.	Circa hoc tempus præfectus alæ renunciatus est.
801.	50.	Claudii VII, VIII ...	A. Vitellius, *cui postea suffectus :* L. Vitellius IV. L. Vipsanius Publicola.	25.	

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
802.	51.	Claudii VIII, IX....	A. Pompeius Longinus Gallus. Q. Veranius.	26.	Librum *de Jaculatione equestri* scribit.
803.	52.	Claudii IX, X.....	C. Antistius Vetus. M. Suillius Nervilinus.	27.	Cum Pomponio triumphante Romam redit.
804.	53.	Claudii X, XI......	Ti. Claudius Augustus V, Ser. Cornelius Orfitus, *quibus inter alios suffectus est :* T. Flavius Vespasianus.	28.	Librum *de Jaculatione equestri* publicat.
805.	54.	Claudii XI, XII....	P. Cornelius Sulla Faustus. L. Salvius Otho Titianus.	29.	Jurisprudentiæ operam dat.
806.	55.	Claudii XII, XIII...	D. Junius Silanus. Q. Haterius Antoninus.	30.	*Vitam* scribit *L. Pomponii Secundi.*
807.	56.	Claudii XIII, XIV.. Neronis I..........	M. Asinius Marcellus. M'. Acilius Aviola.	31.	
808.	57.	Neronis I, II.......	Nero Claudius Imp. Aug. L. Antistius Vetus.	32.	*Bella germanica* scribere incipit.
809.	58.	Neronis II, III.....	Q. Volusius Saturninus. P. Cornelius Scipio.	33.	
810.	59.	Neronis III, IV.....	Nero Claudius Imp. Aug. II. L. Calpurnius Piso.	34.	
811.	60.	Neronis IV, V......	Nero Claudius Imp. Aug. III. ... Valerius Messalla.	35.	

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
812.	61.	Neronis V, VI.....	C. Vipstanus Apronianus. C. Fonteius Capito.	36.	
813.	62.	Neronis VI, VII....	Nero Claudius Imp. Aug. IV. Cossus Cornelius Lentulus.	37.	
814.	63.	Neronis VII, VIII...	Cossus Cæsonius Pætus. P. Petronius Turpilianus.	38.	Plinius *Studiosorum* libros publicat : nascitur ex ejus sorore C. Cæcilius.
815.	64.	Neronis VIII, IX....	P. Marius Celsus. L. Asinius Gallus.	39.	
816.	65.	Neronis IX, X.....	C. Memmius Regulus. L. Virginius Rufus.	40.	
817.	66.	Neronis X, XI.....	Q. Lecanius Bassus. M. Licinius Crassus Mucianus.	41.	
818.	67.	Neronis XI, XII....	A. Licinius Nerva Silianus, A. Plautius Lateranus, *quibus vicissim suffecti:* M. Vestinus Atticus, M. Anicius Cerealis.	42.	
819.	68.	Neronis XII, XIII..	L. Pontius Telesinus. C. Suetonius Paullinus.	43.	Circa hoc tempus edit Plinius octo *Dubii sermonis* libros.
820.	69.	Neronis XIII, XIV..	...... Capito. C. Julius Rufus.	44.	Circa hunc annum res Cæsaris in Hispania procurare cœpit.

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
821.	70.	Neronis XIV........ Galbæ I...........	C. Silius Italicus, M. Galerius Trachalus, *quibus se Nero unum suffecit:* *ipsi mortuo sufficiuntur:* C. Bellicus Natalis, P. Cornelius Scipio Asiaticus.	45.	
822.	71.	Galbæ I........... Othonis I.......... Vitellii I........... Vespasiani I........	Ser. Sulpicius Galba Imp. II, T. Vinius Rufinus, *quibus multi alii vicissim suffecti sunt.*	46.	
823.	72.	Vespasiani I, II....	T. Flavius Vespas. Aug. II, T. Flavius Vespas. Cæsar, *quibus suffecti:* M. Licinius Crassus Mucianus II, P. Valerius Asiaticus, *quibus suffecti:* L. Annius Bassus, C. Cæcina Pætus.	47.	
824.	73.	Vespasiani II, III...	T. Flavius Vespas. Aug. III, M. Cocceius Nerva, *quibus suffecti:* T. Flavius Domitianus Cæsar, Cn. Pædius Castus.	48.	Redit Romam ex Hispania Plinius cum novo officio.

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
825.	74.	Vespasiani III, IV..	T. Flavius Vespas. Aug. IV. T. Flavius Vesp. Cæsar II.	49.	Plinius fortasse Historiæ Naturali manum admovet.
826.	75.	Vespasiani IV, V....	T. Flavius Domitianus Cæsar II. M. Valerius Messalinus.	50.	
827.	76.	Vespasiani V, VI....	T. Flavius Vespas. Aug. V. T. Flavius Vesp. Cæsar III, *cui suffectus :* T. Flavius Domitianus Cæsar III.	51.	Consules, pater et filius, censum agunt passim a Plinio memoratum.
828.	77.	Vespasiani VI, VII..	T. Flavius Vesp. Aug. VI, T. Flavius Vesp. Cæsar IV, *quibus suffecti :* T. Flavius Domitianus Cæsar IV, M. Licinius Crassus Mucianus III.	52.	
829.	78.	Vespasiani, VII, VIII.	T. Flavius Vesp. Aug. VII, T. Flavius Vesp. Cæsar V, *quibus suffecti :* T. Flavius Domitianus V, T. Plautius Sylvanus Ælianus.	53.	
830.	79.	Vespasiani VIII, IX.	T. Flavius Vesp. Aug. VIII, T. Flavius Vesp. Cæsar VI, *quibus suffecti :* T. Flavius Domitianus Cæsar VI, Cn. Julius Agricola.	54.	

ANNO AB U. C.	ANNO POST C. N.	ANNO CÆSARUM.	CONSULES.	ANNUS PLINII.	RES A PLINIO GESTÆ.
831.	80.	Vespasiani IX, X...	L. Cejonius Commodus. D. Novius Priscus.	55.	Plinius *Naturalem Historiam* Tito Cæsari dicat.
832.	81.	Vespasiani X...... Titi I............	T. Flavius Vesp. Aug. IX, T. Flavius Vesp. Cæsar VII, *quibus suffecti fortasse :* M. Titius Frugi, T. Vinius Julianus.	56.	Clade a Vesuvio illata Plinius involvitur.

TESTIMONIA VETERUM

DE

C. PLINIO SECUNDO*.

C. PLINIUS CÆCILIUS MACRO SUO S**.

Libro III, epist. 5.

PERGRATUM est mihi, quod tam diligenter libros avunculi mei lectitas, ut habere omnes velis, quærasque, qui sint. Fungar indicis partibus: atque etiam, quo sint ordine scripti, notum tibi faciam. Est enim hæc quoque studiosis non injucunda cognitio. *De Jaculatione equestri, unus.* Hunc, quum præfectus alæ militaret, pari ingenio curaque composuit. *De Vita Q. Pomponii Secundi duo*, a quo singulariter amatus, hoc memoriæ amici, quasi debitum munus, exsolvit. Bellorum Germaniæ viginti, quibus omnia quæ cum Germanis gessimus bella, collegit. Inchoa-

* Hæc partim ab Harduino, partim a Rezzonico, partim a nobis collecta sunt. Apud Harduinum præcipua, sed pauca tantum exstabant. In his exponendis, post desumpta e Plinio juniore testimonia, temporum rationem, quantum licuit, observavimus. ED.

** Hujus et duarum, quæ subsequuntur, epistolarum plenissimum invenies commentarium, quum in Broteriana Plinii avunculi vita, quam supra attulimus, tum in junioris Plinii editione nostra, tom. I, pp. 149, 296 et 348. ED.

vit, quum in Germania militaret, somnio monitus. Adstitit enim ei quiescenti Drusi Neronis effigies, qui Germaniæ latissime victor ibi periit. Commendabat memoriam sui, orabatque, ut se ab injuria oblivionis assereret. *Studiosi tres*, in sex volumina propter amplitudinem divisi, quibus Oratorem ab incunabulis instituit, et perficit. *Dubii sermonis octo* scripsit sub Nerone novissimis annis, quum omne studiorum genus paulo liberius et erectius, periculosum servitus fecisset. *A fine Aufidii Bassi*, XXXI. *Naturæ historiarum* XXXVII, opus diffusum, eruditum, nec minus varium, quam ipsa Natura. Miraris quod tot volumina, multaque in iis tam scrupulosa, homo occupatus absolverit? Magis miraberis, si scieris illum aliquandiu causas actitasse, decessisse anno VI et L, medium tempus distentum impeditumque qua officiis maximis, qua amicitia principum egisse. Sed erat acre ingenium, incredibile studium, summa vigilantia. Lucubrare Vulcanalibus incipiebat, non auspicandi causa, sed studendi; statim a nocte multa : hieme vero hora septima, vel quum tardissime, octava, sæpe sexta. Erat sane somni paratissimi, nonnunquam etiam studia instantis, et deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum Imperatorem : nam ille quoque noctibus utebatur : inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum, quod reliquum erat temporis, studiis reddebat. Post cibum sæpe, quem interdiu levem et facilem veterum more sumebat, æstate, si quid otii, jacebat in sole : liber legebatur, annotabat, excerpebatque. Nihil enim legit, quod non excerperet. Dicere etiam solebat, nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset. Post solem plerumque frigida lavabatur. Deinde gustabat, dormiebatque minimum. Mox, quasi alio die, studebat in cœnæ tempus. Super hanc liber legebatur, annotabatur, et quidem cursim. Memini quemdam ex amicis, quum lector quædam perperam pro-

nunciasset, revocasse, et repeti coegisse: huic avunculum meum dixisse: « Intellexeras nempe? » Quum ille annuisset: « Cur ergo revocabas? Decem amplius versus hac tua interpellatione perdidimus. » Tanta erat parcimonia temporis! Surgebat æstate a cœna, luce, hieme intra primam noctis, et tanquam aliqua lege cogente. Hæc inter medios labores urbisque fremitum. In secessu solum balinei tempus studiis eximebatur. Quum dico balinei, de interioribus loquor. Nam dum destringitur, tergiturque, audiebat aliquid aut dictabat. In itinere, quasi solutus cæteris curis, huic uni vacabat. Ad latus notarius cum libro et pugillaribus: cujus manus hieme manicis muniebantur, ut ne cæli quidem asperitas ullum studiis tempus eriperet. Qua ex causa Romæ quoque sella vehebatur. Repeto me correptum ab eo, cur ambularem: « Poteras, inquit, has horas non perdere. » Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impertiretur. Hac intentione tot ista volumina peregit, Electorumque commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opisthographos quidem, et minutissime scriptos: qua ratione multiplicatur hic numerus. Referebat ipse, potuisse se, quum procuraret in Hispania, vendere hos commentarios Largio Licinio cccc millibus nummum, et tunc aliquanto pauciores erant. Nonne videtur tibi recordanti quantum legerit, quantum scripserit, nec in officiis ullis, nec in amicitia Principum fuisse? Rursus, quum audis quid studiis laboris impenderit, nec scripsisse satis, nec legisse? Quid est enim, quod non aut illæ occupationes impedire, aut hæc instantia non possit efficere? Itaque soleo ridere, quum me quidam studiosum vocant: qui, si comparer illi, sum desidiosissimus. Ego autem tantum, quem partim publica, partim amicorum officia distringunt? Quis ex istis qui tota vita litteris assident, collatus illi, non quasi somno et inertiæ deditus erubescat? Extendi epistolam, quamvis hoc

solum, quod requirebas, scribere destinassem, quos libros reliquisset. Confido tamen hæc quoque tibi non minus grata, quam ipsos libros, futura, quæ te non tantum ad legendos eos, verum etiam ad simile aliquid elaborandum, possunt æmulationis stimulis excitare. Vale.

C. PLINIUS CAPITONI SUO S*.

Libro V, epist. 8.

Suades, ut historiam scribam, et suades non solus: multi me hoc sæpe monuerunt, et ego volo; non quia commode facturum esse confido (id enim temere credas, nisi expertus).... Me vero ad hoc studium impellit domesticum quoque exemplum. Avunculus meus, idemque per adoptionem pater, historias et quidem religiosissime scripsit. Invenio autem apud sapientes, honestissimum esse, majorum vestigia sequi, si modo recto itinere præcesserint, etc.

C. PLINIUS TACITO SUO S.

Libro VI, epist. 16.

Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago. Nam video morti ejus, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu, quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati ejus scriptorum tuorum æternitas addet.

* Aldino codici, ut solemus, hoc etiam loco adhæsimus, cui Mediceus et reliqua exemplaria subscribunt. Apollinaris Sidonius (lib. IV, 21) non Capitonis, sed Cornelii Taciti nomen legisse innuit. REZZON.

Equidem beatos puto, quibus Deorum munere datum est, aut facere scribenda, aut scribere legenda : beatissimos vero, quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam, quod injungis. Erat Miseni, classemque imperio præsens regebat. Nonum Cal. Septemb. hora fere septima, mater mea indicat ei, apparere nubem inusitata et magnitudine, et specie. Usus ille sole, mox frigida, gustaverat jacens, studebatque. Poscit soleas, ascendit locum, ex quo maxime miraculum illud conspici poterat. Nubes, incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est), oriebatur : cujus similitudinem et formam non alia magis arbor, quam pinus expresserit. Nam longissimo velut trunco elata in altum, quibusdam ramis diffundebatur. Credo, quia recenti spiritu evecta, deinde senescente eo destituta, aut etiam pondere suo victa, in latitudinem vanescebat: candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat. Magnum, propiusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum. Jubet liburnicam aptari : mihi, si venire una vellem, facit copiam. Respondi studere me malle : et forte ipse, quod scriberem, dederat. Egrediebatur domo : accipit codicillos. Retinæ classiarii, imminenti periculo exterriti, (nam villa ea subjacebat, nec ulla, nisi navibus, fuga), ut se tanto discrimini eriperet, orabant. Vertit ille consilium, et quod studioso animo inchoaverat, obit maximo. Deducit quadriremes: ascendit ipse, non Retinæ modo, sed multis (erat enim frequens amœnitas oræ) laturus auxilium : properat illuc, unde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet : adeo solutus metu, ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprehenderat oculis, dictaret enotaretque. Jam navibus cinis inciderat, quo propius accederet, calidior et densior : jam pumices

etiam, nigrique et ambusti et fracti igne lapides: jam vadum subitum, ruinaque montis littora obstantia. Cunctatus paulum, an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti: « Fortes, inquit, fortuna juvat: Pomponianum pete. » Stabiis erat, diremptus sinu medio. Nam sensim circumactis curvatisque littoribus mare infunditur. Ibi quanquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, et quum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugæ, si contrarius ventus resedisset. Quo tunc avunculus meus secundissimo invectus, complectitur trepidantem, consolatur, hortatur: utque timorem ejus sua securitate leniret, deferri se in balineum jubet, lotus accubat, cœnat, atque hilaris, aut, quod est æque magnum, similis hilari. Interim e Vesuvio monte pluribus locis latissimæ flammæ altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione igni relictas desertasque villas per solitudinem ardere, in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animæ, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab iis, qui limini obversabantur, audiebatur. Sed area, ex qua diæta adibatur, ita jam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat, ut si longior in cubiculo mora esset, exitus negaretur. Excitatus procedit, seque Pomponiano, cæterisque qui pervigilarant, reddit. In commune consultant, intra tecta subsistant, an in aperto vagentur: nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant, et quasi emota sedibus suis, nunc huc, nunc illuc abire aut referri videbantur. Sub dio rursus quanquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur: quod tamen periculorum collatio elegit. Et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt. Id munimentum adversus decidentia fuit. Jam dies alibi, illic nox

omnibus noctibus nigrior densiorque : quam tamen faces multæ variaque lumina solvebant. Placuit egredi in littus, et e proximo adspicere ecquid jam mare admitteret, quod adhuc vastum et adversum permanebat. Ibi super adjectum linteum recubans, semel atque iterum frigidam poposcit, hausitque. Deinde flammæ, flammarumque prænuntius odor sulphuris, alios in fugam vertunt : excitant illum; innixus servis duobus assurrexit, et statim concidit, (ut ego conjecto) crassiore caligine spiritu obstructo, clausoque stomacho, qui illi natura invalidus, et angustus, et frequenter interæstuans erat. Ubi dies redditus (is, ab eo, quem novissime viderat, tertius), corpus inventum est integrum, illæsum, opertumque ut fuerat indutus. Habitus corporis quiescenti, quam defuncto, similior. Interim Miseni ego et mater. Sed nihil ad historiam. Nec tu aliud, quam de exitu ejus, scire voluisti : finem ergo faciam. Unum adjiciam, omnia me, quibus interfueram, quæque statim, quum maxime vera memorantur, audiveram, vere persecutum. Tu potissima excerpes. Aliud est enim epistolam, aliud historiam, aliud amico, aliud omnibus scribere. Vale.

M. Fabius Quintilianus, *Instit. lib. III, cap.* I.

Scripsit de eadem materia (*de Arte oratoria*) non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, nonnihil pater Gallio, accuratius vero priore Gallione Celsus et Lenas, et ætatis nostræ Virginius, Plinius, Rutilius. Sunt et hodie clari ejusdem operis auctores..... sed parco nominibus viventium.

Idem, *Instit. lib. XI, cap. ultimo.*

Togam Veteres ad calceos usque dimittebant, ut Græci pallium; idque ut fiat, qui de gestu scripserunt circa tem-

pora illa, Plotius Nigidiusque præcipiunt. Quo magis miror Plinii Secundi, docti hominis et in hoc utique libro pæne etiamnum curiosi, persuasionem, qui solitum id facere Ciceronem velandarum varicum gratia tradit, quum hoc amictus genus in statuis eorùm quoque, qui post Ciceronem fuerunt, appareat...... Quum vero magna pars est exhausta orationis, utique afflante fortuna pæne omnia decent, sudor ipse, et fatigatio, et negligentior amictus, et soluta ac velut labens undique toga. Quo magis miror hanc quoque succurrisse Plinio curam, ut ita sudario frontem siccari juberet, ne comæ turbarentur: quas componi post paulum, sicuti dignum erat, graviter et severe vetuit.

Cornelius Tacitus, *Annal. I*, 69.

Tradit C. Plinius, Germanicorum bellorum scriptor, stetisse (*Agrippinam*) apud principium pontis, laudes et grates reversis legionibus habentem.

Idem, *Annal. XIII*, 20.

Plinius et Cluvius nihil dubitatum de fide præfecti (*Burrhi*) referunt.

Idem, *Annal. XV*, 53.

Quod C. Plinius memorat (*de conjuratione adversus Neronem*), nobis quoque modo traditum, non occultare in animo fuit, quamvis absurdum videretur.

Idem, *Histor. III*, 28.

Homini-ne ad ingenium, ut Messala tradit, an potior auctor sit C. Plinius, qui Antonium incusat, haud facile discreverim.

SUETONIUS *in C. Cæsare*, VIII.

Ubi natus sit (*Caligula*), incertum diversitas tradentium facit. Cn. Lentulus Gætulicus Tiburi genitum scribit; Plinius Secundus in Treveris vico Ambiatino supra Confluentes: addit etiam pro argumento aras ibi ostendi inscriptas ob Agrippinæ puerperium.... Gætulicum refellit Plinius quasi mentitum per adulationem, ut ad laudes juvenis gloriosique principis aliquid etiam ex urbe Herculi sacra sumeret, abusumque audentius mendacio, quod ante annum fere natus Germanico filius Tiburi fuerat, appellatus et ipse C. Cæsar..... Plinium arguit ratio temporum, etc.

EJUSDEM *(ut creditur) ex libro de Viris illustribus*, CAII PLINII VITA [1].

Plinius Secundus Novocomensis [2], equestribus militiis

1. Altera Plinii vita circumfertur quam et Harduinus inter Veterum testimonia protulit, his verbis: « Caius Plinius Secundus Veronensis, natus sub Tiberio, patre Celere, matre Marcella, omnibus liberalibus disciplinis operam dedit: unus omnium mirifice studiosissimus. Nam perire omne tempus arbitrabatur, quod studiis non impartiretur. Opera edidit, in quibus multa scrupulosa absolvit: et nihilominus causas aliquando actitavit. Augur fuit: officia publica administravit: etiam procurator in Hispania. Floruit maxime sub Impp. Vespasianis, Tito non mediocriter carus, cui libros Naturalis Historiæ dicavit: opus diffusum, eruditum, varium, stilo duriusculum. Fuit opinioni Epicureæ nonunquam adstipulator: ubique tamen vitiorum acerrimus insectator. Periit sub Tito, anno ætatis sexto et quinquagesimo, Kal. Novemb. quum Miseni classem imperio regeret, spiritu obstructo, clausoque stomacho, (invalidus enim illi, et angustus erat), ex caligine nubis ortæ e Vesuvio monte, et ad quam noscendam propius accesserat. » Sed hanc vitam, incerto et, ut credibile est, recentissimo auctore, prima exhibuit Brixiana editio, anno 1496, conflatam videlicet ab aliquo istius sæculi Veronense qui Plinium civibus suis adscribere vellet. Consule Rezzonici hac de re disputationes. ED.

2. In veris codicibus vox ea (*Novocomensis*) abest, et abesse utique

industrie functus, procurationes quoque splendidissimas atque continuas, summa integritate administravit : et tamen liberalibus studiis tantam operam dedit, ut non temere quis plura in otio scripserit. Itaque bella omnia, quæ unquam cum Germanis gesta sunt, viginti voluminibus comprehendit. Item Naturalis Historiæ triginta septem libros absolvit. Periit elade Campaniæ. Nam quum Misenensi classi præesset, et flagrante Vesevo, ad explorandas propius causas, liburnicas prætendisset, neque, adversantibus ventis, remeare posset, vi pulveris ac favillæ oppressus est : vel, ut quidam existimant, a servo suo occisus, quem, deficiens æstu, ut necem sibi maturaret, oraverat.

Aulus Gellius, *Noctium Atticarum*, *III*, 16.

Visum est non prætereundum, quod in Plinii Secundi libro septimo Naturalis Historiæ legimus. Id autem quia extra fidem esse videri potest, verba ipsius Plinii posuimus : « Masurius auctor est, L. Papirium prætorem, secundo hærede lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, quum mater partum se tredecim mensibus tulisse diceret, quoniam nullum certum tempus pariendi statum esse videretur. » In eodem libro Plinii Secundi verba hæc scripta sunt : « Oscitatio in nixu lethalis est, sicut sternuisse a coitu abortivum. » (*Vid. Plin. VII*, 4 *et* 5.)

Idem, *ibidem*, *IX*, 4.

Libitum tamen est in loco hoc miraculorum notare id etiam quod Plinius Secundus vir in temporibus ætatis

debet. Hard. — *Novecomensis*, cod. Toletanus. Antiquissimus Escorial. I, nitide *Novocomensis*. Codices alii, *novem menses*. Rezzonic. — Confer excursum I ad Plinii vitam. Ed.

suæ ingenii dignitatisque gratia auctoritate magna prædıtus, non audisse, neque legisse, sed scire sese atque vidisse in libro Naturalis Historiæ septimo scripsit: quæ profecto faciunt, ut neque respuenda neque ridenda sit notissima illa veterum poetarum de Cænide et Cæneo cantilena. « Ex feminis, inquit, mutari in mares non est fabulosum. Invenimus enim in Annalibus, Q. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Coss. C. Asinii puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque haruspicum deportatum in insulam desertam. Licinius Mucianus prodidit visum esse a se Argis Arescontem, cui nomen Areseusæ fuisset; nupsisse etiam; mox barbam et virilitatem provenisse, uxoremque duxisse : ejusdem sortis et Smyrnæ puerum a se visum. Ipse in Africa vidi mutatum in marem die nuptiarum L. Cossicium civem Thysdritanum : vivebatque quum proderem hæc. » Idem Plinius eodem in libro verba scripsit ; « Gignuntur homines utriusque sexus, quos Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos et in prodigiis habitos, nunc vero in deliciis. » (*Vid. Plin. VII*, 3.)

IDEM, *ibid. IX*, 16.

Plinius Secundus existimatus est esse ætatis suæ doctissimus. Is libros reliquit, quos *Studiosorum* inscripsit, haud medius fidius usquequaque aspernandos. In his libris multa varie ad oblectandas eruditorum hominum aures ponit. Refert etiam plerasque sententias, quas in declamandis controversiis lepide arguteque dictas putat.

Sicut hanc quoque sententiam ponit ex hujuscemodi controversia : « Vir fortis præmio, quod optaverit, donetur. Qui fortiter fecerat, petiit alterius uxorem in matrimonium, et accepit. Is deinde, cujus ea uxor fuerat, fortiter fecit : repetit eamdem : contradicitur. » Eleganter, inquit, et

probabiliter ex parte posterioris viri fortis uxorem sibi reddi postulantis, hoc dictum est : « Si placet lex, redde : si non placet, redde. » Fugit autem Plinium sententiolam istam, quam putavit esse argutissimam, vitio non carere quod Græce ἀντιστρέφον dicitur.

IDEM, *ibid.* X, 12.

Librum esse Democriti nobilissimi philosophorum de vi et natura chamæleontis, eumque se legisse Plinius Secundus in Naturalis Historiæ vicesimo octavo refert; multaque vana atque intoleranda auribus deinde quasi a Democrito scripta tradit. Ex quibus pauca hæc inviti meminimus, quia pertæsum est : « Accipitrem avium rapidissimum a chamæleonte humi reptante, si eum forte supervolet detrahi et cadere vi quadam in terram, cæterisque avibus laniandum sponte sua objicere sese et dedere. » Item aliud ultra humanam fidem : « Caput et collum chamæleontis si uratur ligno quod appellatur Robur, imbres et tonitrus fieri derepente, idque ipsum usu venire, si jecur ejusdem animalis in summis tegulis uratur. » Item aliud, quod hercle an ponerem dubitavi; ita est deridiculæ vanitatis : nisi idcirco plane posui, quod oportuit nos dicere quid de ejusmodi admirationum fallaci illecebra sentiremus, qua plerumque capiuntur et ad perniciem elabuntur ingenia maxime solertia, eaque potissimum quæ discendi cupidiora sunt. Sed redeo ad Plinium. « Sinistrum pedem, ait, chamæleontis ferro ex igni calefacto torreri cum herba quæ appellatur eodem nomine chamæleontis, et utrumque macerari unguento, colligique in modum pastilli, atque in vas mitti ligneum, et eum qui id vas ferat, etiamsi is in medio palam versetur, a nullo videri posse. » His portentis atque præstigiis a Plinio Secundo scriptis non dignum esse cognomen Democriti

puto. Ut illud quale est, quod idem Plinius in decimo libro Democritum scripsisse asseverat? « Aves quasdam esse certis vocabulis; ex earum avium sanguine gigni serpentem; tum, si quis ederit, linguas avium et colloquia interpretaturum. » Multa autem videntur ab hominibus istis male solertibus hujuscemodi commenta in Democriti nomen data, nobilitatis auctoritatisque ejus perfugio utentibus. (*Vid. Plin. XXVIII*, 29, *et X*, 70).

IDEM, *ibid. XVII*, 15.

Sed « Elleborum sumi posse tutissime in insula Anticyra » Plinius Secundus in libris Naturalis Historiæ scripsit; « propterea Livium Drusum, qui tribunus plebi fuit, quum morbum, qui comitialis dicitur, pateretur, Anticyram navigasse et in ea insula Elleborum bibisse » ait, « atque ita morbo liberatum ».

Præterea scriptum legimus « Gallos in venatibus tinguere elleboro sagittas; quod his exanimatæ feræ teneriores ad epulas fiant: sed propter ellebori contagium vulnera ex sagittis facta circumcidere latius dicuntur. » (*Vide Plin. XXV*, 21 *et* 25).

Q. SERENUS SAMMONICUS, *de Medicina*, *v.* 848.

Si vero horrendum vulnus fera fecerit aspis,
Urinam credunt propriam conducere potu:
Varronis fuit ista senis sententia; nec non
(Plinius ut memorat) sumpti juvat imber aceti.
(*Vid. Plin. XXIII*, 27).

MACROBIUS, *Saturnal. II*, 12.

Nec inficias eo, temporibus Trajani hunc piscem (*acipenserem*) magno in pretio non fuisse, teste Plinio Se-

cundo, qui in Naturali Historia, quum de hoc pisce loqueretur, sic ait : « Nunc nullo in honore est, quod quidem miror, quum sit rarus inventu. » Sed nec diu stetit hæc parcimonia; nam temporibus Severi principis, qui ostendebat duritiem morum, Sammonicus Serenus vir sæculo suo doctus, quum ad principem suum scriberet, faceretque de hoc pisce sermonem, verba Plinii Secundi, quæ superius posui, præmisit, et ita subjecit: « Plinius, ut scitis, ad Trajani usque imperatoris venit ætatem. » Nec dubium est, quod ait nullo honore hunc piscem temporibus suis fuisse, verum ab eo dici: apud antiquos autem in pretio fuisse, ego testimoniis palam facio... Sed quod ait Plinius de acipenseris squamis, id verum esse maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus ostendit in ejus libro de animalibus quarto (*Vid. Plin. IX*, 27).

IDEM, *V*, 1.

Quatuor sunt genera dicendi : copiosum in quo Cicero dominatur; breve, in quo Sallustius regnat; siccum, quod Frontoni adscribitur; pingue ac floridum, in quo Plinius Secundus quondam, et nunc nullo Veterum minor noster Symmachus luxuriatur [1].

AURELIUS SYMMACHUS, *libro IV*, *epist.* 18, *ad Protadium.*

Sume ephemeridem C. Cæsaris decerptam bibliothecæ meæ, ut tibi muneri mitteretur: hæc te origines, situs, pugnas, et quidquid fuerit in moribus aut legibus Gallia-

1. Nobis hæc videntur de Plinio juniore dicta, quamvis aliter sentiat Rezzonicus. Quid enim Plinio nostro cum Symmacho, quum in diversissimis scribendi generibus sese exercuerint? ED.

rum docebit. Enitar, si fors juvat, etiam Plinii Secundi Germanica bella conquirere [1].

IDEM, *libro I, epist.* 24, *ad Ausonium.*

Si te amor habet iste Historiæ Naturalis, quam Plinius elaboravit, en tibi libellos quorum præsentanea copia fuit, in quibus, ut opinor, opulentiæ eruditionis tuæ negligens veritatis librarius displicebit: sed mihi fraudi non erit emendationis incuria; malui enim tibi probari muneris celeritate quam alieni operis examine.

AUSONIUS, *epigr. LXIX.*

Vidit semivirum fons Salmacis hermaphroditum;
Vidit nubentem Plinius androgynum. (*Vid. Plin. VII*, 3).

SERVIUS *ad Virgilii Georgica*, *I*, 410.

Plinius in Naturali Historia dicit « corvos esse obliviosos et plerumque minime ad nidos suos reverti; sed quadam ratione naturæ hæc congerunt ad suos nidos, quæ vermes possint creare, ex quibus relicti eorum pulli aluntur interdum. » Horum oblivionem probat etiam ex rebus, quas, quum absconderint, derelinquunt. Quod etiam mustelæ dicuntur efficere [2].

IDEM, *ad Æneid. III*, 113.

Irata dea.... præcepit ne secum unquam leones coi-

1. Apparet etiam Symmachi ævo hæc Germanicorum bellorum volumina minus obvia fuisse. REZZONICUS.

2. Fallit Servius aut fallitur, quum neque apud Plinium, neque apud ullum qui Servium præcesserit, dignum fide scriptorem, simile quidquam legatur. HARDUINUS.

rent. Nam et Plinius in Naturali Historia dicit leonem cum pardalide et pardum cum leæna concumbere [1].

IDEM, *ad Æneid. VII*, 678.

De civitatibus totius orbis multi quidem scripserunt; ad plenum tamen Ptolemæus græce, latine Plinius.

PHYLARGYRIUS, *ad Virgilii Georg. IV.*

Revocare autem apes vel lacte vel aqua mulsa Plinius docet.

IDEM, *ibidem ad vers.* 244.

Plinius in libris Naturalis Historiæ quasi imperfectas apes dicit, et habere aculeum negat, etc. (*Vid. Plin. XI*, 11.)

CHARISIUS, *de Instit. Gramm. libr. I.*

Amforum [pro *Amphorarum*, contracta terminatione]. Romanus in septimo refert sic: « *Amforum*, ut Plinius eodem libro Sexto, et Livius. » (*Pag.* 41, *editionis Putschianæ anno* 1605.)

M. Varro de gente pop. Rom. III, *a mare operta oppida*, pro *a mari*, ut refert Plinius. (*Pag.* 45.)

Balteum Plinius vult masculino genere vinculum significare; neutro autem genere lora ad ligandum apta. (*Pag.* 59.)

Clypeum Plinius, Dubii sermonis secundo, indistincto genere dici ait, sed littera differre, ut pugnatorium per I

1. Quibus verbis (Servius) non solum rem falsissimam pro vera affert, sed etiam a Plinio proditam mentitur. HARD. — Recte tamen annotavit Rezzonicus videri hæc desumpta ex Hist. Natur. libro VIII, cap. 17. EDIT.

clipeum dicamus, quod est a *clepere*, id est, *celare* dictum; imaginem vero per *U clupeum*, a *cluendo*. (*Pag.* 59.)

Luci, *Corneli*, *Lucili*, Plinius quoque Dubii Sermonis quinto dicit esse quidem rationem per duo *ii* scribendi, sed multa jam consuetudine superari. (*Pag.* 60.)

Plinius *gibbus* vitium ipsum, ut *ulcus*, maluisse consuetudinem tradit: quod mihi displicet. (*Pag.* 65.)

Vertex a *vertendo* dicitur, *vortex* a *vorando*; et vult Plinius *verticem* immanem vim impetus habere, ut *ingens a vertice pontus*: *vorticem* vero circumactionem undæ esse, ut *et rapidus vorat æquore vortex*. (*Pag.* 68.)

Saga neutro genere dicitur; sed Afranius in Deditione masculine dixit: *quod quadrati sunt sagi*. Et Ennius: *Sagas cærula purpureis gemmavit pampinus uvis*. Cujus moveremur, inquit Plinius, auctoritate, si quidquam eo carmine puerilius dixisset. (*Pag.* 81.)

Consuetudo, ut ait Plinius libro VI Dubii Sermonis, *alacer* dicit, ut *equester ordo*. (*Pag.* 88.)

Amicities, Plinius Secundus Sermonis Dubii libro sexto, ut *planities*, inquit, *luxuries*, *mollities*, et similia, veteri dignitate. Cæterum rationis via debet *amicitia* dici. (*Pag.* 94.)

Autumnal. Varro *æquinoctium autumnal*, quod idem Plinius eodem libro sexto notat. (*Pag.* 94.)

Nomina quædam sunt principalia, quæ Plinius Secundus eodem libro *faciendi* appellat, ut *aqua*: ex quibus possessiva nascuntur quæ *patiendi* vocat, ut *aquale*. (*Pag.* 94.)

Aqualium, an potius *aquarium* dici debeat, quærit Plinius Secundus: putat ut *laterale laterarium*, *sentale sentarium*, et *manuale saxum*, *manuarium vas*, proin *aquale et aquarium* dici. (*Pag.* 95.)

Plinius Secundus *animal* non *animale* ait dici debere. (*Pag.* 59.)

Quædam sunt, inquit Plinius Secundus, quæ ad nos usque proprios gentis suæ vultus formamque custodiunt, ut *Pluton*, *Xenophon*. (*Pag.* 95.)

Æstifer, Plinius in eodem libro VI, ut *facifer* et *aurifer* et *armiger* et *lucifer* dici debet. (*Pag.* 96.)

Plinius Secundus eodem libro sexto : *a* finita nomina singulari nominativo *as* declinabant, ut *maia*, *maias*, (*Pag.* 96.)

Varro de Originibus scenicis secundo, *a Claudio*, *Pulchro Ædile:* quod cum ratione dictum esse demonstrabis, ut ait Secundus, *Sermonis Dubii* libro tertio, quod nomina quæcumquè genitivo singulari in *is* syllaba finiunt, exceptis iis quæ similiter faciunt nominativo, oportet ablativo singulari *e* littera terminari, *a prudente*, *ab homine*. Quod si adjicias aliquid, idem in eodem Plinius per *i* debet dici, *a prudenti consilio*. (*Pag.* 96.)

Agile, *ab Agile*, si de persona dicatur, dici debet: quod si rem significabis, *ab hoc agili* dici debet, ut idem Plinius eodem libro. (*Pag.* 96.)

Agreste, Sallustius Historiarum primo, quod idem Plinius eodem libro, in animali, inquit, significatione. (*Pag.* 97.)

Auxiliaris homo, *ab hoc Auxiliare homine*, ut idem Plinius. (*Pag.* 97.)

Aurelii genitivus non tantum crescit cum nominativo, sed et par fit dativo casui, ut Plinius eodem libro scribit. (*Pag.* 98.)

Amantum Cæcilius, ut etiam Plinius notat. (*Pag.* 98.)

Omnium nominum quæ sunt neutri generis et in *e* terminantur, ait Plinius Cæsarem scisse eosdem esse ablativos quales sunt dativi singulares. *Ar* litteris nomina

neutralia terminata, idem non minus ait Cæsar, quod dativo et ablativo pari jure funguntur, ut idem Plinius scribit. (*Pag.* 98.)

Maro : *Secundo defluit amni*; ubi Plinius, eodem libro : Ab antiquis, inquit, quos Varro reprehendit, observatio omnis illa damnata est, non quidem in totum : dicimus enim, inquit, *ab hoc canali*, *siti*, *tussi*, *febri*. Majore tamen ex parte forma mutata est. *Ab hoc* enim *cane*, *orbe*, *carbone*, *turre*, *falce*, *igne*, *veste*, *fine*, *monte*, *fonte*, *ponte*, *strigile*, *tegete*, *asse*, *axe*, *nave*, *classe*, dicimus. Ac ne illa quidem ratio recepta est, quam C. Cæsar ponit in fœmininis, ut *puppim*, *restim*, *pulvim*. Hoc enim modo et *ab hoc cane* et *ab hac cane*. (*Pag.* 98.)

Ænigmatis, Varro de Utilitate sermonis quarto. Ait enim Plinius, quanquam *ab hoc poemate*, *his poematibus* facere debeat, tamen consuetudini et suavitati aurium censet summam esse tribuendam, ut in *Aceste*, et in *Anchise* Maroni placitum est; et quod græca nomina non debent latinis regulis alligari. (*Pag.* 98.)

Maro: *Hyrcanisve Arabisve parant*. Ubi Plinius : *es* numero plurali finita nominativa, dativo *bus* recipiunt; idque commentatores jubent. Quid ergo si sic declinavit ut Plaut. in Bacchidibus, *Arabus*, et in Pænulo, *Myrrhinus odor Arabus*. Lucilius XXV, *Arabus artemo*. (*Pag.* 99.)

Cervicium. Ubi Plinius eodem libro : Exceptis monosyllabis, cætera *x* finita nomina seu vocabula, absque cognominibus, genitivo plurali quanquam ante *um i* non recipiant, ut *fruticum*, *filicum*; *radix* tamen, ut *cervix*, *radicium* facit. (*Pag.* 100.)

Terentius in Phormione: *nova compluria*. Ubi Plinius : Modestus, inquit, ita definiit. Quæ nomina comparandi fuerint, et accusativis pluralibus in *is* exient; scilicet *fortioris fortiorum* facere debet non *fortiorium*, id est, ante *um* syllabam *i* recipere non debet : ita *complura* et *com-*

plurum esse dicendum. Consuetudo tamen et *hos plures* dicit et *hæc pluria*. (*Pag.* 100.)

Cetariis Pomponius Secundus ad Thraseam, quum ratio *cetaribus*, inquit Plinius, poscat, ut *mœnia mœnibus*, *ilia ilibus*, *parilia parilibus*. Ea enim nomina quæ *i* ante *a* habent, ut *cetaria* in *bus* necesse est desinant. (*Pag.* 100.)

Diligente, Verrius Flaccus, inquit Plinius; eorum nominum quæ *ns* finiuntur casu nominativo, ablativus in *e* dirigendus est: itaque Cæsar epistolarum ad Ciceronem: *Neque*, inquit, *pro cauto ac diligente se castris continuit.* (*Pag.* 101.)

Atteius philologus librum suum sic edidit inscriptum: «an amaverit Didun Æneas, » ut refert Plinius, consuetudinem dicens facere *hanc Callisto*, *hanc Calypso*, *hanc Io*, *hanc Alecto*. (*Pag.* 102.)

Bibaculus, *duplici*, inquit, *toga involutus*, non *duplice*. » Unde quidam errant qui *x* littera nominativo singulari finita nomina, ablativo *e* tantummodo putant claudi, quum *mendaci animo* et *artifici ingenio* et *salaci* et *minaci proposito* et *ab atroci facto* et *atroci vultu*, ait Plinius, recte dicamus. (*Pag.* 102.)

Varro: *sub Ruminali ficu*. Itaque Plinius Secundus recte arborem ita dici ait, pomum vero per *o* litteram dici. (*Pag.* 103.)

Fabrum pro *fabrorum*, ubi Plinius eodem libro sexto: Hoc recte, inquit, usus, et *sestertium tot millia*. (*P.* 103.)

Filiabus in testamentis ob discrimen sexus ait Plinius dici consuesse. (*Pag.* 103.)

Febrim ut *tussim*, *sitim*, ait Plinius: exceptis his tribus, cætera accusativo in *em* exeunt. (*Pag.* 104.)

Funes, licet grammatici velint *hos funeis*, quam regulam negat Plinius vires habere potuisse. Errant enim qui putant ea nomina, quæ nominativo singulari et genitivo per *is* terminantur et genitivo per *ium* loquuntur,

accusativo *funeis* posse dicere, quod negat Plinius. (*P.* 104.)

Facilioreis Cæcilius, inquit Plinius, idem et *sanctioreis* ait. (*Pag.* 104.)

Fros (de arborum coma) sine *n* littera; ne faciat, inquit Plinius, quasi non dicatur nisi *frons* τὸ μέτωπον. (*Pag.* 105.)

Glossemata, ut *toreumata* et his similia, Varronis regula, inquit Plinius, dativo et ablativo plurali in *bus* dirigit, quia singularis ablativus *e* littera finiatur; melior tamen ratio est quam sub *A* littera dedi[1]. (*Pag.* 106.)

Herculi pro *Herculis* et *Ulyxi* pro *hujus Ulyxis*, inquit, dici cœptum est, Plinius eodem libro sexto. Quomodo regula, inquit, illa: si genitivo singulari ους litteris nomina finientur græca, ut τοῦ Εὐμένους, τοῦ Διογένους, nos quoque *hujus Eumenis*, *hujus Diogenis* oportet proferre: at si τοῦ Εὐριπίδου, τοῦ Χρύσου, tunc demum nostros *s* subtrahere debere. Itaque *hujus Euripidi*, *Chrysi* debere censeri, ut *fortis Achati* et *acris Oronti*. Sed nostra, inquit, ætas in totum istam declinationem abolevit, *Achillis* enim potius, et *Herculis*, et his paria per *is* dicimus. Ἧπαρ, ἦμαρ, ἔαρ, ὕδωρ, κρέας, δέπας, κέρας, τέρας, ne apud ipsos quidem Græcos rationem declinationis certam tenere potuerunt. (*Pag.* 107.)

Ibes, *hæ ibes*, Plinius libro sexto Sermonis dubii: antiquorum, inquit, regula: quando quæ *is* nominativo singulari sunt terminata, in *es* plurali nominativo clauduntur. (*Pag.* 108.)

Plinius ait inter cætera etiam istud Cæsarem dedisse præceptum, quod neutra nomina in *ar* nominativo clausa,

1. Vide supra, pag. xcv, ubi rationem hujus anomaliæ retulit Plinius ad solam aurium voluptatem. Quod si verba, *quam sub A littera dedi*, non Charisii sunt, sed Plinii, ut videntur, constabit Dubii sermonis libros saltem ex parte digestos per alphabetum fuisse. Ed.

per *i* dativum ablativumque singulares ostendant. *Jubar* tamen et *far* ab hac regula dissidere. (*Pag.* 108.)

Cato *his jugeris*, ut notat Plinius eodem libro VI. *Jugeribus* quidam grammatici, Plinius inquit, dicendum putant, quasi sit *hoc juger* tanquam *hoc tuber*. (*P.* 108.)

Imber et *september*, *october*, etc. quando nec collationem recipiunt, nec in neutri generis cadunt formam, ut Plinius eodem libro VI loquitur, non *is* casu nominativo, numero singulari, sed in *er* debent vocis exitum ducere. (*Pag.* 109.)

Laterale, an *laterare*? Ubi Plinius eodem libro VI: Si *r* littera præcesserit in pænultima syllaba, sequi debet *l*, ut *augurale*; contra si *l* præcesserit, sequi debet *r*, ut *molare*. (*Pag.* 109.)

Ait Plinius *huic lauro*, et tamen *ab hac lauru* et *laurum* facere. (*Pag.* 110.)

Plinius eodem libro VI: *Hic mugil*, inquit, et *vigil*; ablativo enim singulari detracta vocali, qualem oporteat nominativum singularem esse dignosces, ut *ab hoc consule*. (*Pag.* 110.)

Cicero, de Deorum natura lib. II: *Murum aut formicarum causa*. Ubi Plinius eodem libro VI: Pro *murium*, inquit: quoniam non ut *fures furum*, et *augurum*, et *celerum* dicimus, ita *murum* censere debemus. Quæcumque enim *r* littera nominativo singulari sunt terminata, oportet ea genitivo plurali *um* non *ium* recipere debere. Itaque Trogum de animalibus, libro X: *Parium numerorum et imparium* non recte dixisse, sed *parum* et *imparum*. (*Pag.* 110.)

Varro, de Gente populi Romani III: *A mare operta oppida*, pro *a mari*, ut refert Plinius. (*Pag.* 111.)

Licet Pomponius Secundus poeta, ut refert Plinius, propter homonymum nominativi, accusativo casu *omnis* non putat dici, sed *omneis*, tamen idem Plinius in eodem

permanet dicens, *omnes* tum demum posse dici accusativo, ut *canes*, quod genitivus pluralis *horum canum* ante *um i* non habet. (*Pag.* 111.)

Cicero, ut Plinius eodem libro notat, *majores*, [non *majoreis*]. (*Pag.* 111.)

Cicero, rationis memor, *parentium* sæpe dicit. Fronto pro Ptolemæensibus *parentum tuorum*, ut ait Plinius, alias poetarum vicem, qui regulam satis idoneam sopierunt. (*Pag.* 111.)

Cicero de jure civili: *Aliquo excellente ac nobile viro*; id etiam Plinio asserente. (*Pag.* 111.)

Os monosyllabum extra analogiam esse, Plinius eodem libro sexto scribit, et addit eo magis consuetudinem in eo esse retinendam. (*Pag.* 112.)

Ossu quidam ut *genu*, *veru* putarunt, inquit Plinius eodem libro sexto, posse censeri : nam ut *verubus*, *genubus*, *ossubus* quoque dici posse manifestum est. (*P.* 112.)

Os, *oris*. Omne enim *s* littera terminatum nomen, quod neutri generis est, non potest in declinatione non per *r* litteram strepere, ut idem Plinius eodem libro scribit; et addidit : licet *os* corporis correptius diceretur, *os* vero faciei productius. (*Pag.* 112.)

Oscen augurium, consuetudo dicit. Cicero tamen, inquit Plinius, de Auguriis, et *hic oscinis* dixit. (*Pag.* 112.)

Osso. Varro ad Cicer. XIII, *olivo* et *osso* putat, inquit, fieri, Plinius Sermonis dubii libro sexto. (*P.* 112.)

Orbi pro *orbe*. Frequenter Santra ita locutus, ut Plinius eodem libro sexto notat. (*Pag.* 112.)

Pacium an *pacum*, et *lucium* an *lucum*, dubitari etiamnunc ait Plinius : quoniam nec finitionem ullam in monosyllabis, inquit, grammatici tentaverunt. (*Pag.* 113.)

Consuetudo, inquit Plinius, fecit *partium*, ut *prægnantium*, *optimatium*. (*Pag.* 114.)

Varro ad Ciceronem, XXII: *Rure veni*. Quem Plinius

ad eumdem XI, *rure ordinatum arbustum* dixisse laudat. (*Pag.* 115.)

Senatuis, ut *fluctuis*, ita genitivum, inquit Plinius, declinabant, ut C. Fannius consul contra C. Gracchum: *Senatuis consulta.* (*Pag.* 116.)

Turbo, Turbonis, si proprium sit hominis nomen: *turbinis*, si procellam voluerimus exprimere; aut in eo, inquit Plinius, qui est in lusu puerorum. (*Pag.* 117.)

Tanaidis Varro Antiquitatum humanarum XIII, non hujus *Tanais*, ut *Tiberis*, inquit Plinius. (*Pag.* 117.)

Titanas, inquit Plinius, nec *Pæanas* accusativo recte dicimus. Nullum enim nomen accusativo plurali in *as* venit, nisi quod nominativo plurali in *æ* sonabit. (*Pag.* 117.)

Venali per *i*, non etiam per *e*, ablativus est finiendus, quoniam et de homine, inquit Plinius, dicimus, et de negotio. (*Pag.* 119.)

Volucrum, Mæcenas in dialogo secundo, et consuetudo, ut idem ait Plinius. (*Pag.* 119.)

Volucris, non *volucer;* sed *equester*, ait Plinius dici debere. (*Pag.* 120.)

IDEM CHARISIUS, *libro II.*

Plinius Secundus inter adverbia qualitatis posuit *dicendo, legendo, dicendi, legendi* (*Pag.* 167.)

DIOMEDES, *de Arte Grammatica, lib. I.*

Parcere facit participium futuri *parsurus*, ut ait Varro in Laterensi; sed Plinio displicet. (*Pag.* 365 *ed. Putsch.*)

Sunt præterea conjunctiones, ut ait Plinius, illativæ hæ: *quanquam, quamvis, etsi, tametsi....* Sunt aliæ ad aliquid relativæ, ut ait idem Plinius, sive comparativæ, ut *magis, potius, immo*, in hunc modum: *hic erat, immo*

ille, *vel potius ille*. Idem ait comparandi potestatem habere *tanquam* et *tam*. (*Pag.* 410.)

Differunt *meditor* et *melito*, ut putat Plinius : *meditantem* esse secum cogitantem; *melitantem*, voce dicentem. (*Pag.* 573.)

PRISCIANUS, *Grammaticæ*, *lib. I.*

O aliquot Italiæ civitates, teste Plinio, non habebant, sed loco ejus ponebant *u*, et maxime Umbri et Thusci. (*Pag.* 553 *edit. Putschii*).

L triplicem, ut Plinio videtur, sonum habet : exilem, quando geminatur secundo loco posita, ut *ille*, *Metellus;* plenum, quando finit nomina vel syllabas, et quando habet ante se in eadem syllaba aliquam consonantem, ut *sol*, *silva*, *flavus*, *clarus* ; medium in aliis, ut *lectus*, *lecta*, *lectum*. (*Pag.* 555.)

N transit in *m*, sequentibus *b* vel *m* vel *p*, auctore Plinio, et Papiriano, et Probo. (*Pag.* 556).

IDEM, *libro III.*

Plinius, in sexto Naturalis Historiæ : *Dyrrachium*, *Canusium*, *Apuliæ extima*. (*Pag.* 608.)

IDEM, *lib. VI.*

Aper, *apri*, cujus femininum Veteres protulerunt *apra*, ut Plinius Secundus in primo Artium. (*Pag.* 698.)

Plinius in II Nat. Hist. *ab Euclide*. Idem in III, *Thucydide*. Idem in IV, *Philistide*, *Anticlide*, *Philonide*. In V, *Sotade*. In VI, *Simonide minore*. In VII, *Agatharchide*, *Apollonide*, *Duride*, *Heraclide Pontico*, *Ascle-*

piade. In XI, *Menecrate.* In XII, *Mneside.* In XV, *Commiade.* In XXXVI, *Euripide.* (*Pag.* 706[1].)

IDEM, *libro VIII.*

Amplecto quoque pro *amplector*, et *complecto* pro *complector:* sed et eorum et superiorum omnium usus [verborum deponentium activa forma elatorum] tam apud Caprum quam apud Plinium et Probum invenies. (*P.* 797.)

IDEM, *libro X.*

Nanciscor etiam *nactum* facit absque *n*, ut Probo et Capro et Plinio placet. (*Pag.* 888.)

IDEM, *libro XII.*

Antiquissimi in plurali primæ personæ, cacephati causa, solebant per anastrophen dicere *nobiscum*, non *cum nobis;* itaque propter hoc reliquarum quoque personarum ablativos similiter præpostere proferre cœperunt, teste Plinio, qui hoc in II lib. Sermonis dubii ostendit. (*Pag.* 949.)

EUSEBIUS, *Chron. ad annum Trajani XII.*

Plinius Secundus Novocomensis, orator[2] et historicus insignis habetur, cujus plurima ingenii opera exstant; periit dum invisit Vesuvium.

1. Hoc testimonium vel unum satis per se valet ad confutandam Harduini cælerorumque sententiam, qui primum librum sive elenchum, unde hæc omnia auctorum nomina desumpsit Priscianus, tanquam spurium ac suppositum, Plinio abjudicare tentant. ED.

2. Ambo Plinii jam illo ævo confundi cœperant ut diximus. ED.

[DIVUS HIERONYMUS, *Epist. ad Domnionem et Rogatianum.*

Optima quæque, ut ait Plinius, malunt contemnere plerique quam discere [1].

IDEM, *Epist. XCV ad Rusticum Monachum.*

Cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, ut post Quintiliani acumina, Ciceronis fluvios, gravitatemque Frontonis, et lenitatem Plinii [2], alphabetum discerem, et stridentia anhelantiaque verba meditarer.

IDEM, *Adversus Jovinianum, lib. II.*

Plinium quoque Secundum et Dioscoridem et cæteros tam physicos quam medicos, qui nullam herbam, nullum lapidem, nullum animal tam reptile quam volatile et natatile non ad suam artem referunt.

IDEM, *Comment. in Isaiam.*

Plinium Secundum, eumdem apud latinos oratorem et philosophum, qui in opere pulcherrimo Naturalis Historiæ tricesimum septimum librum, qui et extremus est, lapidum atque gemmarum disputatione complevit.

1. Hujusmodi videntur in deperditum Plinii librum rejicienda. Ante Plinium Horatius cecinit, Art. Poet. 85:

Cur nescire, pudens prave, quam discere malo?

et pressius auctor dialogi de Oratore: *Aper communi eruditione imbutus contemnebat potius litteras quam nesciebat.* REZZON.

2. Ad Plinium Juniorem melius hæc laus pertinet. ED.

IDEM, *Comment. in Ezechielem.*

Tricesimus septimus liber Plinii Secundi Naturalis Historiæ post multiplicem rerum omnium scientiam de gemmis et lapidibus disputat.

IDEM, *in Jeremiam, cap.* 17.

Aiunt scriptores Naturalis Historiæ.... (quorum principes sunt apud Græcos Aristoteles et Theophrastus, apud nos Plinius Secundus), hanc perdicis esse naturam, ut ova alterius perdicis, id est, aliena furetur, et eis incubet foveatque; quumque fœtus adoleverit, avolare ab ea, et alienum parentem relinquere.

DIVUS AUGUSTINUS, *de Civitate Dei, XV*, 9.

Plinius Secundus, doctissimus homo, quanto magis magisque præterit sæculi excursus, minora corpora naturam ferre testatur (*Vide Plin. VII*, 16.).

THEODOSII *imperatoris Missi de mensura orbis terræ.*

Juxta Plinium Secundum, longitudinem provinciæ Narbonensis CCCLXX. M. passuum Agrippa tradidit : latitudinem CCCXLVIII (*Vide Plin. III*, 6.).

MARCELLUS EMPIRICUS, *ad filios.*

Secutus opera studiosorum virorum, qui licet alieni fuerint ab institutione medicinæ, tamen ejusmodi causis curas nobiles intulerunt, libellum hunc de Empiricis quanta potui solertia diligentiaque conscripsi..... Nec solum

veteris medicinæ artis auctores latino duntaxat sermone perscriptos (cujus rei operam uterque Plinius[1], et Apuleius, et Celsus, et Apollinaris, et Designatianus, aliique nonnulli etiam proximo tempore illustres honoribus viri, cives ac majores nostri, Siburius, Eutropius atque Ausonius[2] commemorarunt) lectione scrutatus sum; sed etiam ab agrestibus et plebeiis remedia fortuita atque simplicia, quæ experimentis probaverunt, didici.

DIVUS PROSPER, *in Chronico.*

Plinius Secundus Novocomensis insignis orator habetur; dum invisit Vesuvium, periit.

SIDONIUS APOLLINARIS, *lib. IV, epist.* 3 *ad Claudianum.*

Varrones, vel Terentius, Plinii vel avunculus vel Secundus.

DIVUS GREGORIUS TURONENSIS, *Prologo ad vitas Patrum.*

Complures alii philosophorum *vitas* dicere voluerunt; nam Plinius auctor in tertio Artis Grammaticæ libro ait: «*Vitas cujusque nostrum* dixerunt;» sed grammatici pluralem non putant habere *vitam.*

DIVUS ISIDORUS, *Originum XII*, 2.

Plinius dicit animalia cum acutis unguibus frequenter parere non posse. Vitiantur enim intrinsecus se moventibus catulis (*Vide Plin. VIII*, 17.).

1. Noster scilicet, et ille cujus inter rei medicæ scriptores opera quædam servantur, quem codices C. Plinium Secundum Valerianum vocant. Quod Rezzonicus quoque annotavit. ED.

2. Crediderim de Julio Ausonio illustris poetæ patre, qui medicinam fecit, loqui Marcellum. REZZONICUS.

IDEM, *paulo infra.*

Lynces dixit Plinius Secundus extra fœtum unum non admittere (*Plin. ibid. sed de leæna.*)

VENERABILIS BEDA, *de Ratione temporum, XXVIII.*

Plinius Secundus idem orator et philosophus, in libro secundo Naturalis Historiæ: « Sol autem inquit ipse, quatuor differentias habet. »

IDEM, *in Chronico.*

Plinius Secundus Novocomensis, orator et historicus insignis, cujus plurima ingenii opera exstant.

ALCUINUS, *Epist. V ad David regem.*

Quid acutius, quam quod naturalium rerum devotissimus inventor Plinius Secundus de cælestium siderum ratione exposuit, investigari valet?

Nunc quoniam ad Caroli Magni tempora devenimus, omnesque fere auctores antiquos recensuimus, a quibus Plinii nostri nomen prolatum est (neque enim clandestinos illius plagiarios annumerare oportuit [1]), recentiores auctoris nostri laudatores ad nomen citare, quod infinitæ esset operæ, supersedemus : duorum tantummodo virorum testimonia subjicientur, quos non pares tantum et æmulos, sed magistros et judices agnosceret ipse Plinius.

1. Tertullianus multa transcripsit a Plinio, dissimulato ejus nomine, ut in operis decursu suis locis indicaturi sumus. HARD. — Solinus operis sui majorem partem e Plinianis fragmentis consarcinavit, quod Salmasius Exercitationibus suis demonstrat. Marcianus Capella, multa ex secundo præsertim libro pæne ad verbum exscripsit, ita plagii manifestus, ut interdum codicibus depravatis inductus sit in miras quasdam hallucinationes : vide lib. II, cap. 72. Q. Sammonicus Severus, quum semel aut bis nostrum memoret, ab illo tamen infinita prope mutuatus arguitur. Divus Isidorus, grammatici ac polygraphi omnes antiqui, quantum abest ut toties Plinium nominaverint, quoties ab ejus scriptis aliquid vel mutuo acceperunt vel furto subripuerunt! ED.

Buffon, *Discours premier sur l'Histoire Naturelle.*

Pline a travaillé sur un plan bien plus grand (*que celui d'Aristote*) et peut-être trop vaste. Il a voulu tout embrasser, et il semble avoir mesuré la nature, et l'avoir trouvée trop petite encore pour l'étendue de son esprit. Son *Histoire Naturelle* comprend, indépendamment de l'histoire des animaux, des plantes et des minéraux, l'histoire du ciel et de la terre, la médecine, le commerce, la navigation, l'histoire des arts libéraux et mécaniques, l'origine des usages, enfin toutes les sciences naturelles et tous les arts humains; et ce qu'il y a d'étonnant, c'est que dans chaque partie Pline est également grand : l'élévation des idées, la noblesse du style relèvent encore sa profonde érudition. Non seulement il savait tout ce qu'on pouvait savoir de son temps, mais il avait cette facilité de penser en grand qui multiplie la science; il avait cette finesse de réflexion, de laquelle dépend l'élégance et le goût; et il communique à ses lecteurs une certaine liberté d'esprit, une hardiesse de penser qui est le germe de la philosophie. Son ouvrage, tout aussi varié que la nature, la peint toujours en beau : c'est si l'on veut une compilation de tout ce qui avait été écrit avant lui, une copie de tout ce qui avait été fait d'excellent et d'utile à savoir : mais cette copie a de si grands traits, cette compilation contient des choses rassemblées d'une manière si neuve, qu'elle est préférable à la plupart des ouvrages originaux qui traitent des mêmes matières.

Cuvier, *Biographie universelle*, tom. xxxv.

... Ce grand ouvrage est le seul de Pline qui soit arrivé jusqu'à nous. Il est en même temps l'un des monumens

les plus précieux que l'antiquité nous ait laissés, et la preuve d'une érudition bien étonnante dans un homme de guerre et un homme d'État. Pour apprécier avec justice cette vaste et célèbre composition, il est nécessaire d'y distinguer le plan, les faits et le style. Le plan en est immense. Pline ne se propose point d'écrire seulement une Histoire Naturelle dans le sens restreint où nous prenons aujourd'hui cette science, c'est-à-dire un traité plus ou moins détaillé des animaux, des plantes et des minéraux : il embrasse l'astronomie, la physique, la géographie, l'agriculture, le commerce, la médecine et les arts, aussi bien que l'Histoire Naturelle proprement dite; et il mêle sans cesse à ce qu'il en dit des traits relatifs à la connaissance morale de l'homme et à l'histoire des peuples, en sorte qu'à beaucoup d'égards on a pu dire de cet ouvrage qu'il était l'Encyclopédie de son temps... Il était impossible qu'en parcourant, même rapidement, ce nombre prodigieux d'objets, l'auteur ne fît connaître une multitude de faits remarquables, et devenus pour nous d'autant plus précieux, qu'il est aujourd'hui le seul écrivain qui les rapporte. Malheureusement la manière dont il les a recueillis et exposés, leur fait perdre beaucoup de leur prix par le mélange du vrai et du faux qui s'y trouvent en quantité presque égale, mais surtout par la difficulté, et même dans la plupart des cas, l'impossibilité de reconnaître de quels êtres il a précisement voulu parler. Pline n'a point été un observateur tel qu'Aristote; encore moins un homme de génie, capable, comme ce grand philosophe, de saisir les lois et les rapports d'après lesquels la nature a coordonné ses productions. Il n'est en général qu'un compilateur, et même le plus souvent un compilateur qui, n'ayant point par lui-même d'idée des choses sur lesquelles il rassemble les témoignages des autres, n'a pu apprécier la vérité de ces témoignages, ni même

toujours comprendre ce qu'ils avaient voulu dire. C'est en un mot un auteur sans critique qui, après avoir passé beaucoup de temps à faire les extraits, les a rangés sous certains chapitres en y joignant des réflexions qui ne se rapportent point à la science proprement dite, mais offrent alternativement les croyances les plus superstitieuses ou les déclamations d'une philosophie chagrine qui accuse sans cesse l'homme, la nature et les dieux eux-mêmes.

Si Pline a pour nous aujourd'hui peu de mérite comme critique et comme naturaliste, il n'en est pas de même de son talent comme écrivain, ni du trésor immense de termes et de locutions latines dont l'abondance des matières l'a obligé de se servir, et qui ont fait de son ouvrage l'un des plus riches dépôts de la langue des Romains... Il est certain aussi que partout où il lui est possible de se livrer à des idées générales ou à des vues philosophiques, son langage prend de l'énergie et de la vivacité, et ses pensées quelque chose de hardi et d'inattendu qui dédommage de la sécheresse de ses énumérations, et peut lui faire trouver grace près du grand nombre des lecteurs pour l'insuffisance de ses indications scientifiques. Peut-être cherche-t-il trop les pointes et les oppositions, et n'évite-t-il pas toujours l'emphase; on lui trouve quelquefois de la dureté, et dans plusieurs endroits une obscurité qui tient moins au sujet qu'au désir de paraître pressant et serré; mais il est toujours noble et grave, et partout plein d'amour pour la justice et de respect pour la vertu, d'horreur pour la cruauté et pour la bassesse dont il avait sous les yeux de si terribles exemples, enfin de mépris pour le luxe effrené qui, de son temps avait si profondément corrompu le peuple romain. On ne peut trop louer Pline sous ces divers rapports, et malgré les défauts que nous sommes obligés de lui re-

connaître quand nous le considérons comme naturaliste, nous ne le regardons pas moins comme l'un des auteurs les plus recommandables et les plus dignes d'être placés au nombre des classiques parmi ceux qui ont écrit après le règne d'Auguste.

COMPENDIORUM

QUÆ PASSIM IN NOTIS AD PLINIUM OCCURRUNT BREVIS ELENCHUS*.

AMBROS. Codices Ambrosianæ seu Vaticanæ Bibliothecæ ab Harduino et Rezzonico citati. Vide infra *Vatic.*

Basil. Editiones Basileenses, a Frobeniis vulgatæ, quarum prima, anno 1525 prodiit.

Brix. Editio Brixiensis, anno 1498, e castigationibus Hermolai Barbari novum textum exhibens.

Brot. Broterii notæ, ad editionem Barbou, 1779.

Colbert. Harduino *Colbertinus* 1, at Bibliothecæ nostræ regiæ n° 6800. *Colb.* 2, n° 6799? *Colb.* 3, n° 6796? Quartus Colbertinus, recentioris notæ, a Broterio vocatur *Reg.* 6, asservaturque n° 6803.

Chiffl. Satis probatæ notæ, sed a cæteris plerumque discrepans codex vetustus, Dalecampio datus ab amico suo Chiffletio, Vesuntino medico.

Cod. Codd. Codex, codices.

Cujac. Vetus codex, olim Cujacii, quo Dalecampius usum se profitetur.

Dalec. Ipse Dalecampius, vel ejus editio, anno 1587.

Ed. Editoris notæ.

Elz. Elzeviriana editio, a Johanne *de Laët* (Latio vel Lætio) procurata, anno 1635.

Escorial. Manuscriptus Bibliothecæ Escurialensis, a Pintiano collatus.

Fux. Vetus Dalecampii manuscriptus, qui Tolosani gymnasii fuit, cæterum ignotus.

Gelen. Gelenii castigationes, in editione Basileensi, anno 1535, aliisque.

Gronov. Joann. Fred. Gronovii notæ ad edit. Leydensem, 1669.

Hard. Harduini secunda editio, anno 1723.

Hermol. Hermolai Barbari castigationes, annis 1492 et 1493, primum separatim editæ, mox in sequentes Plinii editiones receptæ.

* Amplior multo in totius operis fine catalogus edetur, quum Plinianorum omnium qui exstant codicum MSS. tum etiam omnium quæ vel hactenus vel interim prodierint editionum; Nullus ibi prætermittemus recentiorum labores, qui Plinium quocumque modo attigerint. Addetur, quod editioni suæ præfixit Harduinus, inventarium quoddam librorum qui in ejus notis pagina tantum indicata citantur: qua de illorum editionibus certior factus, ipsos fontes adire possit qui voluerit. Ed.

Lang. Collatio quædam codicum Belgicorum per Carolum Langium manuscripta ad exemplar Basileense anni 1545; citatur a Broterio.

Lugd. Lugdunenses editiones, 1561 et 1563.

Leyd. Editiones Lugduni Batavorum datæ, prima apud Elzevirios anno 1635, quam nos *Elzev.* designamus; altera, *Variorum* seu *Gronovii* vulgo dicta, anno 1669.

Miller. Millerus in editione sua Plinii, Berolini, 1766.

MS. MSS. Manuscriptus, manuscripti.

Murbac. Vetus exemplar a Rhenano detectum in Murbacensi Alsatiæ superioris monasterio.

Parm. Parmenses editiones veteres 1476 et 1481.

Paris. Vetus codex Parisiis in collegio Patrum S. J. diu asservatus.

Pint. Pintianus seu *Pincianus*, qui Plinium ex Hispaniensibus codd. castigavit, anno 1544.

Pr. ed. Princeps editio, quæ Harduino est Romana, 1470; Broterio, Veneta, 1469. Hanc uno anno anteriorem ignoraverat Harduinus.

Reg. Regiæ bibliothecæ Parisiensis codices, qui Harduino et Broterio sunt *Reg.* 1, n° 6795; *Reg.* 2, n° 6797. Broterio, *Reg.* 3, n° 6798; *Reg.* 4, n° 4860; *Reg.* 5, n° 6801; *Reg.* 6, n° 6803; *Reg.* 7, n° 6804.

Rhedon. Codex antiquus in bibliotheca Benedictinorum Rhedonensium olim asservatus.

Rezzon. Rezzonicus in Disquisitionibus Plinianis.

Rom. ed. Romana editio, anno 1470.

Salmant. Codex Salmanticensis a Pinciano collatus.

Tarvis. Tarvisana editio, anno 1479.

Tolet. Toletanus codex a Pinciano collatus.

Torrent. Lævinus quidam Torrentius, cujus manu collatos codices Belgicos ad marginem exemplaris Basileensis, 1554, præsto habuit Broterius.

Thuan. Thuaneæ olim, postea Colbertinæ, ac demum Regiæ Bibliothecæ codex: n° 6803?

Vatic. Vaticanæ bibliothecæ codices, quos sic designare solet Harduinus: *Vatic.* 1, n° 1950; *Vatic.* 2, n° 1951; *Vatic.* 3, n° 1952; *Vatic.* 4, n° 1953; *Vatic.* 5, n° 1954; *Vatic.* 6, n° 3533? *Vatic.* 7, n° 9939?

Venet. Apud Harduinum plerumque sic designatur editio Veneta anni 1472.

Vet. Vett. Veterum editionum varias lectiones sic indigitare solet Dalecampius: interdum etiam ad vetustum quemdam codicem suum respicit.

Vict. Manuscriptus in bibliotheca sancti Victoris, in suburbio Parisiensi, ab Harduino inspectus.

C. PLINII SECUNDI

NATURALIS HISTORIÆ

LIBER I.

PRÆFATIO.

C. PLINIUS SECUNDUS VESPASIANO[2] CÆSARI SUO S.

LIBROS[3] Naturalis Historiæ, novitium[4] Camœnis Qui- 1

1. *Naturalis historiæ.* Titulus variat in nonnullis codd. et edd. Olim quippe lectum est a quibusdam: *historiæ mundi*, *naturæ historiarum*, etc. Sed profecto verus est hodiernus titulus, quem A. Gellio, quem aliis antiquorum innotuisse constat; præterquam quod ipsius Plinii, in præfatione sua, testimonio confirmatur. Ed.

2. *Vespasiano Cæsari suo.* Titus ille est Vespasianus, *amor ac deliciæ generis humani*, quantum per biennis regni brevitatem licuit. Huic, non fratri Domitiano, Plinianum opus inscribi, satis ex ipsa præfatione apparebit. Prænomen *T.* ant *Tito*, in plerisque omissum, a Rezzonico restitutum est ex MS. Vatic. 1951; sed rectius abest, quum Titum Cæsarem a patre et fratre nullatenus secernat. Fratres enim prænomine gaudebant eodem, solo cognomine dispares: pater vero et filius major, ut cognomine, ita prænomine similes, titulo solo differebant, quum alter Augustus, alter Cæsar tantum diceretur. Itaque prænomen quidem inducendum, quod in nullo codice reperimus; titulum vero *Cæsari*, quod in plerisque edd. deerat, ex codd. Puteano et Colbert. 2, reponendum censuimus: nam sic omnis controversia tollitur, et ad solum Titum Cæsarem nuncupatio referri potest. Ed.

3. *Libros naturalis historiæ* etc. Contendit Harduinus, in altera editione sua, spurium hanc esse præfationem; spurium vero totum librum qui hodie primus circumfertur. Quam vanis hoc fretus argumentis contendat, ex ipso melius discet, qui operam abuti volet. Præcipua quidem hæc sunt: 1° *Conterraneum* (quod Plinius ipse castrense verbum esse monuit); item, *auctores* pro *scriptoribus*, et alias nonnullas voces homo Gallus satis latinas esse ne-

ritium tuorum opus, natos [5] apud me proxima fœtura, licentiore epistola narrare [6] constitui tibi, Jucundissime [7] Impe-

gat; 2° sententias quasdam cum ipso corpore historiæ naturalis pugnantes, aut male consonantes, primus in hac epistola deprehendit, vel deprehendere sibi visus est; 3° elenchum præfationi adtextum diversis omnino modis in MSS. exscriptum reperisse se testatur. Sed omissis aliis rationibus, quas suo loco trademus, præfationem hanc tanta antiquitatis scientia refertam sequiori ævo barbarorumque hominum ingeniis quis præter Harduinum ausit imputare? Sit mutila, sit corrupta, sit interpolata; tamen de superstitibus ex ea reliquiis idem judicium feremus quod apud Phædrum anus quædam de reperta amphoræ testa: « O suavis anima, quale in te dicam bonum Antehac fuisse, tales quum sint reliquiæ! » ita omni ex parte antiquitatem redolent ea quæ tam levibus de causis abjicienda censet Harduinus. De elencho nihil hic dicemus; alias locus erit. Interim valde dolemus Harduinum errore suo præoccupatum negligentius in hoc operis vestibulo versatum esse. Unde nos, quanquam Rezzonici copiis aucti, plura tamen in præfatione quam in reliquis de nostra penu expromere coacti sumus. Faveat lector, vel ignoscat. Ed.

4. *Novitium Camœnis Quiritium tuorum opus.* Sic infra: « Nemo apud nos qui idem tentaverit. » Ed.

5. *Natos.* In plerisque *natum* legitur. Restituit *natos*, auctore Durando, Rezzonicus, et post illum Millerus; atque ita codd. Escur. et Tolet. recte, ut videtur. *Libros* enim *recens natos* agnis nascentibus comparari innuit vox *fœtura*; sed quum *opus* proxime præcederet, facile inducti sunt librarii ut *natum* pro *natos* rescriberent. Ed.

6. *Narrare.* Hoc verbum sensu vulgari cum præcedentibus ita construi potest: *narrare constitui tibi, libros apud me natos esse.* Nec opus est *sacrare* aut *nuncupare* in textum reponi, MSS. omnibus refragantibus. *Narrare* Rezzonico est *argumentum exponere*, ut in illo Terentii And. prol. v. 5: « Non qui argumentum narret. » Probabilis quidem interpretatio; sed nostra simplicior. Ed.

7. *Imperator.* Titus captis Hierosolymis inter fumantes templi ruinas imperator a militibus consalutatus est. Joseph. de bello Jud. VII, 32. Reversus Romam hunc titulum contra morem retinuit, invito fortasse, sed nihilominus annuente patre, « neque ex eo destitit participem atque etiam tutorem imperii agere; » Sueton. in Tit. capp. 5 et 6. Inde apud nostrum Plinium, II, 10: « Imperatoribus Vespasianis, patre IV, filio iterum Coss.; » item, VII, 50: « Imperatores Cæsares Vespasiani pater filiusque, » et sic passim, etiam apud alios auctores. Inde in inscriptionibus antiquis, adhuc Vespasiano vivente exaratis, T. CÆS. IMP. VESPASIANVS vocatur, quum frater sit tantum CÆSAR DIVI AVG. VESP. F. DOMITIANVS. Neque enim Domitianus, priusquam ad principatum eveheretur, Imperator dictus est. Ed.

rator (sit enim hæc tui præfatio[8] verissima, dum Maximi[9] consenescit in patre):

> namque[10] tu solebas
> Meas esse aliquid putare nugas,

ut objicere[11] moliar Catullum conterraneum[12] meum (agnoscis et hoc castrense verbum): ille enim, ut scis, [13]per-

8. *Præfatio.* Appellatio nomini præposita, vox nempe illa *jucundissime,* quæ in Titum imperatorem a contubernalibus summopere deamatum omni ex parte conveniebat; quum interim *maximi* appellatio non posset nisi Vespasiano patri recte decerni. Regnabat enim pater, et hunc honorem cum illo consenescere æquum erat. Ipse Plinius, Harduino notante, lib. II, c. 5: « Hac, inquit, cælesti passu cum liberis suis vadit, maximus omnis ævi rector Vespasianus Augustus. » Ed.

9. *Maximi.* Plerique codd. *maximo* habent vel *maxime*; nullus fere *maximi*, quod tamen in edd. prævaluit; nec injuria, propter sensus elegantiam et nitorem. Restituit Harduinus ac defendere tentavit desperatam lectionem *maximo*, unde nihil sani elicere potuit. Quod si *maxime* legendum esset, in vocativo casu acciperem. Ed.

10. *Namque tu solebas.* Catull. ad Cornelium Nepotem, Carm. 1, v. 3. Ed.

11. *Ut objicere moliar Catullum.* Ut factum meum defendam exemplo Catulli. Hard. — *Objicere* præsertim de clipeo dicitur, et hic metaphora militari adhibitum est. De hujus loci lectione disputabitur infra, pag. 4, not. 17. Ed.

12. *Conterraneum meum.* Ex eadem terra et patria. Veronensem fuisse Plinium colligunt ex hoc verbo Polycarpus Palermus singulari opere de Plinii patria et Scalig. in Euseb. chron. pag. 190; sed illis non assentior. Hard. — Videre est in Harduini præfatione, quibus argutiis vir doctissimus, sed idem παραδοξότατος, Plinium Romæ natum esse contenderit. Alii, si non verius, at speciosius saltem, Plinium Novocomensibus annumerantes, *conterraneum* non de eadem urbe accipi volunt, sed de terra seu regione eadem, Gallia nempe cisalpina vel transpadana. De vera Plinii patria vide nos ad Broterii præfationem. Ludunt Hermolaus et Rezzonicus, quum barbaram vocem *concerraneum* (*congerronem* sive *confabulatorem* interpretantur) verbo, ut ipse Plinius docet, in castris usitato; et quamvis minus eleganti, analogia tamen non carenti (siquidem *mediterraneus* et *subterraneus* latina sunt), substituere frustra conantur. Ed.

13. *Permutatis.* Sublatis per jocum ab Asinio Marrucino, Pollionis fratre. Catull. Carm. XII:

> Marrucine Asini, manu sinistra
> Non belle uteris in joco atque vino,
> Tollis lintea negligentiorum...
> Quare aut hendecasyllabos trecentos
> Exspecta, aut mihi linteum remitte
> Quod me non movet æstimatione,

mutatis prioribus sætabis[14], duriusculum[15] se fecit, quæ volebat[16] æstimari a Veraniolis[17] suis et Fabullis. Simul ut hac mea petulantia fiat, quod proxime non fieri questus

Verum est μνημόσυνον mei sodalis,
Nam sudaria sætaba ex Hiberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius: hæc amem necesse est
Ut Veranniolum meum et Fabullum. Ed.

14. *Sætabis*. Setaba sudaria sunt e lino setabo quod a Setabi Hispaniæ oppidu nomen accepit, ut dicemus ad cap. XIX, sect. 2. *Setaba* auctor simpliciter appellat quæ Catullus *sudaria setaba*, ut *cadurcum* dixere Juvenalis et alii pro *cadurca culcita*. Hard. — Scribendum *sætabis* ex inscriptionibus ac numismatis, adnotante Rezzonico. Inscript. apud Murator.: C. Cornelius. C. F. Junianus. ex. Hispania. citeriore. Saetabitanus. etc. Sætabis urbs in historia Romana non ignobilis, diu *Xativa* dicta, nunc *San Felipe*, in Valentiæ regno sita, a Philippo quintu jus suum armis vindicante, exeisa est, vel certe mœnibus exuta nomen mutavit, anno 1707. Ed.

15. *Duriusculum se fecit*. Subiratus, offensus, amarioris ingenii voluit videri. Plinius alter lib. I, Ep. 16, de Pompeio Saturnino: « Præterea facit versus, quales Catullus meus aut Calvus. Quantum illis leporis, dulcedinis, amaritudinis, amoris inserit! sane; sed data opera, molliusculos leviusculosque, duriusculos quosdam: et hoc, quasi Catullus meus aut Calvus. » Ut vocem eam, *duriusculum* non ad numeros, ut visum est hactenus eruditis, sed ad acerbitatem carminis et acrimoniam pertinere manifestum sit. Hard. — Non manifestum forsitan, sed probabile, ut in Pliniano textu discutiendo paulo infra monstrabimus. Ergo *duriusculum* hoc sensu usurpatum fuerit, quo dici solet *durum responsum, durus exactor*. Ed.

16. *Quæ volebat æstimari*. Harduinus: *quoniam volebat æstimari ea*. De hac et totius loci lectione paulo infra disseretur. Ed.

17. *A Veraniolis suis et Fabullis*. Propter Veraniolum et Fabullum, quos diligebat, a quibus ea acceperat. Hard.—Ridicule olim legebatur *a vernaculis tuis et famulis*; quæ tamen codicum est vulgatissima scriptura. Rhenanus hanc primus emendavit. *Veraniolus* a *Veranio* derivatur, ut fortasse *Fabullus* a *Fabio*, per amatorium quemdam ὑποκορισμόν. Vide iterum Catull. Carm. XII. Sed quoniam ad periodi finem pervenimus, monendi sunt lectores in Dalecampiana cæterisque ante Harduinum editionibus longe aliter legi totum hunc locum jam inde a verbis: *ut objicere moliar*. Habent enim: *ut obiter emolliam Catullum conterraneum meum* (*a. e. h. c. v.*): *Ille enim ut scis permutatis prioribus syllabis, duriusculum se fecit, quum volebat existimari a Veraniolis suis et Fabullis*. Quod perinde interpretantur, ac si apud Plinium allati e Catullo versus ita legendi sint: .... *Namque tu solebas Nostras esse aliquid putare nugas*, vel ... *Namque tu solebas Nugas esse aliquid meas puta-*

es in alia procaci epistola[18] nostra, ut[19] in quædam acta exeant; sciantque omnes quam ex æquo tecum vivat[20] Im-

re; ut permutatis prioribus secundi versus syllabis, phalæcus a spondeo incipiens mollior evadat. Quamvis enim frequens occurrat apud Catullum iambus in primo loco, disserteque hoc licere affirment Grammatici veteres Terentianus Maurus, Victorinus, Serviusque Honoratus: iambus tamen convenire non videtur cum ejus versus natura qui mere est trochaicus trimeter brachycatalectus; et merito a recentioribus coævisque Plinio poetis, Martiale, Statio, aliisque, ex illa sede remotus est. Credi etiam facile potest veram Catulli scripturam a librario imperito restitutam esse, quum Plinii mentem non assequeretur. Sed non æque verisimile est Grammatici partes sic egisse Plinium initio præfationis; qoam, Dii boni, alieno loco! In codd. quidem varie admodum prima verba leguntur: *ut obiter molliam*, *ut obice remolliam*, *ut objicere moliar. Syllabis* fere in omnibus; Aleriensis tamen Antistes in codice suo, quem Passionæum vocat Rezzonicus, *setabis* habuit, illique velut barbaræ voci, inportuna emendatione superscripsit manu sua *syllabis*, sed ita ut prioris lectionis manifesta appareant vestigia. Rezzonicus in alio codice, Vatic. 1950, *stabis* invenit; Durandus in Londinense, *sittis;* in codice Pertusatino prior pars vocabuli deest, sic nempe *prioribus* .... *bis:* unde apparet librariis omnibos vocem *sætabis* difficiliorem esse visam, et ideo a plerisque corruptam. Scribit deinde Harduinus: *quoniam volebat æstimari ea a veraniolis*, etc. Melius scripsisset: *quoniam volebat ea æstimari a veraniolis*, qood et aurium judicio gratius fuisset, et propius ad codicum fidem accessisset, ubi legitur *volebat existimari*. Sed in nullo codice *quoniam;* in plerisque *quam;* in solo Colb. 3, *quia*. Unde non immerito suspecta esse potest Hardnini lectio. Et jam olim suspicatus eram scripsisse Plinium *quæ volebat æstimari*, quum lectionem hanc optimam in codice Londinense repertam, jamque a Durando et Millero receptam, non sine gaudio cognovi. Quæ sequuntur verba, ut supra dixi, certissima Rhenani conjectura restituta sunt. Ed.

18. *Epistola.* Quænam illa fuerit, vel qoa occasione scripta, ignoratur. Ed.

19. *Ut in quædam acta exeant.* Sic Puteanus et Colbertini codd. Agitur enim de libris Tito Cæsari nuncupatis. Alii volunt *exeat*, ut referatur ad *petulantiam* istam ceu licentiam familiarius scribendi, qua non modo non offensus erat Titus in alia simili epistola, ut contra cupierit illam omnibus innotescere. *In acta*, hoc est, in publicas tabulas referri jubeut, quæ posteris mandari volunt, principes. Porro hac dedicatione certius quam tabulis fastisque omnibus, Titi benignitas immortalitati consecrata est. Ed.

20. *Imperium.* Pro *civibus sub imperio viventibus*, ut *servitium* pro *servis*, *civitas* pro *civibus*, etc. Mira tamen et insolens locutio. Ed.

I

3 perium. Triumphalis [21] et censorius tu, sexiesque consul, ac tribunitiæ potestatis particeps, et, quod his nobilius fecisti, dum illud patri pariter et equestri ordini præstas, præfectus prætorio ejus: omniaque [22] hæc Reipublicæ: et nobis quidem, qualis in castrensi contubernio. Nec quidquam in te mutavit fortunæ amplitudo, nisi ut prodesse
4 tantumdem posses et [23] velles. Itaque, quum cæteris

21. *Triumphalis et censorius tu sexiesque consul*, etc. Turnebus legit *triumphale et censorium*, et ita distinguit, ut hæc epitheta ad *imperium* referantur. Pro *sexies*, Vet. *sextum*; Vet. Chalderii, *septimum*; sed utrumque male. Triumphum Titus cum patre egit, anno U. c. secundum. Varronis æram, 824. Censor cum patre censum egit anno 827. Sexies cum patre consul fuit annis 823, 825, 827, 828, 829, 830; unde patet Plinii naturalem historiam inter hunc annum 831, annumque 832 quo Titus septimum iniit consulatum, in lucem prodiisse; ideoque Plinius lib. XXVIII, c. 3, ubi numerus ipse legitur DCCCXXX, vel numerum rotundare voluit, vel fastorum Capitolinorum æram secutus est uno anno a Varroniana discrepantem. Tribunitiæ autem potestatis particeps jam fuerat Titus annis sex, quum in sextum designatus consulatum, quintum ageret, anno scilicet 829, ut ex inscriptione constat quam ex Muratorio Rezzonicus ad hunc locum attulit: TIT. CÆSARI AUG. F. VESPASIANO IMP. PONT. TRIB. POT. VI COS. DES. VI CENSORI D. D. Statim igitur in Italiam redux anno 824, cœperat hanc olim plebeiam, tunc principalem obtinere dignitatem. Idem « præfecturam quoque prætorii suscepit » teste Suetonio, « nunquam ad id tempus nisi ab equite Romano administratam, » simul patri securitatem præstans, simul equestri ordini decus, quum equestre munus Augusti filius non aspernaretur. Pace tamen Suetonii dictum sit: non primus, sed secundus senatorii ordinis Titus prætorio præfectus fuit, quum antea dignitatem hanc Mucianus Clementi detulisset. Vid. Tacitum Hist. IV, 68. ED.

22. *Omniaque hæc Reip. et nobis quidem qualis in castrensi contubernio.* Tantus quum sis reipbl. respectu, nobiscum, inquit, ex æquo agere non dedignaris. Contubernalis illa familiaritas, quæ amplissimam Titi fortunam temporum ordine præcesserat, ut ex sequentibus patet, nasci potuit in Germania, ubi Titus adolescens prima stipendia fecerat. Plinium enim in ea regione meruisse constat, nec in Britannia aut in Judæa cum Tito unquam militasse videtur. Haud aliter sensit Rezzonicus, qui (ut obiter dicam) in textu vocem *hæc* post *omniaque* nescio cur omisit. ED.

23. *Et velles.* Harduinus, *ut velles*, ex MSS. ut ipse ait. Plerique tamen codd. habent, *et velles*, eamque scripturam Dalecampius et veteres servavere. Quidni enim *tantumdem* eum *et* construatur, ut in

in [24] venerationem tui pateant omnia illa, nobis ad colendum te familiarius audacia sola superest. Hanc igitur tibi imputabis, et in nostra culpa tibi ignosces.

Perfricui [1] faciem, nec tamen profeci : quando alia via occurris ingens, et longius etiam submoves [2] ingenii fascibus. Fulgurat [3] in nullo unquam verius dicta vis eloquentiæ, tribunitiæ [4] potestatis facundia. Quanto tu ore patris laudis tonas! Quanto [5] fratris amas! Quantus in poe-

illo Horatii lib. I, Sat. 3, v. 115 : « Nec vincet ratio hoc, tantumdem ut peccet idemque, Qui teneros caules alieni fregerit horti, Et qui nocturnus Divum sacra legerit. » Ingrate præterea iterat Harduinus voculam *ut*, quæ proxime præcesserat. Cæterum bene et ad rem huc attulit similem Plinii Junioris locum, Pan. ad Traj. 61 : « Ut enim felicitatis est quantum velis posse : sic magnitudinis velle quantum possis. » Ed.

24. *In venerationem* Veneratio hic maximo illo sensu adhibetur, quo apud bonos scriptores; cultumque divinum significat. « Inprimis venerare Deos. » Virg. Georg. I, 338. Ed.

1. *Perfricui faciem, nec tamen profeci, quando*, etc. Etiamsi, inquit, debitam honoribus tuis reverentiam exuerim, alia tamen in te cogor agnoscere quæ majorem mihi venerationem injiciunt. *Perfricare* autem *faciem* aut *frontem*, est pudorem omnem exuere; notissimum proverbium, cujus superflua sint exempla. Nota paulo infra, ubi nos cum Dalecampio legimus *quanda*, Harduinum ex MS. legere *quoniam*, eodem sensu : quod obiter monuisse sufficiat. Ed.

2. *Submoves ingenii fascibus*. Ducta metaphora a lictoribus plebem submoventibus. Alii *facibus* legunt, et pro *fulguribus* dictum putant, ob proximam vocem *fulgurat*. Ed.

3. *In nullo unquam verius dicta vis eloquentiæ*. Frequenter apud scriptores occurrunt verba hæc : *Vis eloquentiæ, vis orationis, vis dicendi*; nunquam tamen verius dicta quam de Tito, si Plinio adulanti fides. Modestiori quidem elogio Suetonius Titum declarat *in orando promptum et facilem fuisse* : sed Eutropius cum Plinio consentiens *facundissimum* vocat. Ed.

4. *Tribunitiæ potestatis facundia*. Tribunitiam potestatem Romani principes consulari imperio adjunxerant, ut non modo leges, sed et, si quando opus esset, Plebiscita ferre possent; videnturque, saltem primis imperii temporibus, sæpe hoc nomine apud populum egisse, popularitatem parvi emptam salva dominatione quærentes. Ed.

5. *Quanto fratris amas?* Quanto ore fratris quoque laudes tonare amas! In aliqua fortassis oratione apud populum aut in senatu fratrem laudaverat Titus : quod, velut immensum fraterni amoris testimonium, admiratur Noster, et cum exclamatione prædicat. Ed.

tica es! O magna fœcunditas animi! Quemadmodum fratrem[6] quoque imitareris, excogitasti. Sed hæc quis possit intrepidus[7] æstimare, subiturus ingenii tui judicium, præsertim lacessitum? Neque enim similis est conditio publicantium, et nominatim tibi dicantium. Tum[8] possem dicere: Quid ista legis Imperator? Humili vulgo scripta sunt, agricolarum[9], opificum turbæ, denique[10] studiorum otiosis. Quid te judicem facis? Quum[11] hanc operam con-
6 dicerem, non[12] eras in hoc albo. Majorem te sciebam,

6. *Quemadmodum fratrem quoque imitareris, excogitasti.* Talis quidem laus minime aulicum redoleret, si Cæsar aut fratris minus amans fuisset, aut veræ laudis minus intelligens: quam sane non ex poeticis ludis, sed ex omnino diversis virtutibus quærebat. Domitianum aliquando Musis indulsisse constat ex Suetonio, qui in ejus vita, cap. 2: « Simulavit, inquit, et ipse mire modestiam; inprimis poeticæ studium tam insuetum antea sibi quam postea spretum et abjectum. » Hoc unum erat quod Titus in fratre potuerit sine mendacio laudare ac sine pudore imitari. Imitatus est vero præsertim in carmine de Acontiis, cujus meminit Plinius lib. II, c. 22. Ed.

7. *Intrepidus æstimare.* Id est, sine timore ullo perpendere, ut libro XV, in fine, *intrepide miranti.* Mox quum *lacessitum* dicit, intellige *nuncupatione provocatum*. Ed.

8. *Tum.* Si non dedicassem. Ed.

9. *Agricolarum, opificum turbæ.* Media enim volumina de plantis et agricultura, extrema de artium proventibus agunt. De agricolis recte monet Rezzonicus secum bene constare Plinium nostrum, qui lib. XVIII, cap. 5. « Dicemus, inquit, et sidera siderumque ipsorum terrestria signa dabimus indubitata, quandoquidem qui adhuc ea diligentius tractavere, quibusvis potius quam agricolis scripsisse possunt videri »; et eodem lib. XVIII, 68: « quid te rusticum quereris? non per me stat quo minus cælum intelligas. » De opificibus pariter lib. XXXIII, ubi chrysocollæ mentio fit, « indocta, inquit, opificum turba tribus eam generibus distinguit. » Ed.

10. *Denique studiorum otiosis.* Iis qui, circa litteras et hujusmodi studi aversati, aliquid vacui et subcisivi temporis huic lectioni volent impendere. *Studiorum otiosis*, ut *infelix animi* et multa similia. Male in Elzev. legitur, *studiosum*, cum *u* circumflexo. Ed.

11. *Quum hanc operam condicerem.* Quum hoc opus in me susciperem; videturque metaphora ducta a redemptoribus, qui faciendum aliquid conducentes, operam suam pro certa mercede condicunt. Legunt alii *conducerem*: quod eodem redit. Ed.

12. *Non eras in hoc albo.* Judicibus te meis non adnumeraveram. *Album judicum* vel paries dealbatus

quam ut descensurum huc putarem. Præterea est quædam[13] publica etiam eruditorum rejectio. Utitur illa et M. Tullius, extra[14] omnem ingenii aleam positus, et, quod[15] miremur, per advocatum defenditur :

Nec [16] doctissimum omnium
Persium hæc legere volo, Junium Congum volo.

vel tabula erat, qua nomina continebantur eorum inter quos judices vel a prætore eligi vel sorte duci oportebat. Apud Suet. Claud. 16, splendidus quidam vir, quod latini sermonis ignarus esset, *albo judicum* erasus fuisse dicitur. Ed.

13. *Est quædam publica etiam eruditorum rejectio.* Quum rei possint oblatos sibi judices quibusdam de causis rejicere, idem sibi juris vindicare possunt qui scribunt, ut lectorum nimis eruditorum arbitrium detrectent. *Publicum* sæpe dicitur, quod communis est juris, ut apud Horatium, Art. poet. 131 : « Publica materies privati juris erit. » Plinius ipse multo sæpius quam quivis alius *publicum* pro *communi* usurpat. Vide indices. Ed.

14. *Extra omnem ingenii aleam positus.* Cujus ingenium nihil debuit a judicibus quibuslibet timere. Ed.

15. *Quod miremur.* Mirum sane, Ciceronem advocato uti, qui tot reis ipse adfuit. Ed.

16. *Nec doctissimum omnium Persium hæc legere volo.* Lectionem editionis principis per omnia fere restituimus; quod in re incerta visum est probabilissimum. Variant enim scripti et editi : nec multum præsidii ab ipso Cicerone exspectandum, unde Lucilii verba desumpta videntur a Plinio, quum in fragmentis librorum de Rep. nuper a cl. Angelo Maio detectis hic locus non exstet. Cæterum non semel in operibus suis Tullius ad istos Lucilii versus alluserat. Ipsum enim loquentem audire oportet, lib. II, de Or. « Nam ut Caius Lucilius homo doctus et perurbanus dicere solebat, ea quæ scriberet neque ab indoctissimis, neque ab doctissimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse de se : quo etiam scripsit : *Persium non curo legere* (hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus), *Lælium Decimum volo*, quem cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil ad Persium. » Idem Cicero, Brut. 99 : « Alii a C. Persio litterato homine scriptum esse aiebant, illo quem significat valde doctum esse Lucilius. » Idem de finibus, I, 7. « Nec vero, ut noster Lucilius, recusabo quominus omnes mea legant : utinam esset ille Persius ! Scipio vero et Rutilius multo etiam magis ! Quorum ille judicium reformidans Tarentinis ait se et Cosentinis et Siculis scribere. Facete is quidem sicut alia, » etc. Ex his apparet non Persium modo, sed et Scipionem et Rutilium doctissimis annumeratos esse a Lucilio, quibus haud adeo verisimile est solum Lælium Decimum oppo-

Quod si hoc Lucilius, qui primus condidit styli [17] nasum, dicendum sibi putavit; si Cicero mutuandum, præsertim quum [18] de republica scriberet : quanto [19] nos causatius

situm fuisse; ut et Tarentinis, et Cosentinis, Siculisque, mediocris ingenii populis, Athenienses fortasse aut aliquem similis famæ populum crediderim fuisse oppositum. Itaque Lucilii locum non integrum ad nos pervenisse puto, sed Ciceronem ex illo passim attulisse, quæ sibi in mentem veniebant; neque ipsa verba servasse, sed solum sententiæ tenorem : in republica vero ipsos Lucilii versus transcripsisse, quos inde mutuatus est Plinius. Nescio igitur, cur in illo fragmento quod a Plinio profertur e libris de Repub. Junii Congi nomen temere deleverint editores contra codd. omnium fidem. Potuit enim simul cum Lælio nominari. Nec ignotus ille vir aut obscurus, siquidem de illo mentio fit apud Ciceronem in Bruto : « Fuit facilis et expeditus ad dicendum et vitæ splendore multo, et ingenio sane probabili T. Junius L. F. Tribunitius, quo accusante P. Sextius prætor damnatus est ambitus. » Cognomen vero illius, quum aliunde sit ignotum, quidni *Congus* aut *Congius* fuerit, quando illum cognomine caruisse non verisimile est? Servemus igitur codicum lectionem optimam : *Junium Congum*. Restat ut de primis fragmenti verbis disseramus. Editio Veneta prima : « Nec doctissimum omnium Persium hæc legere volo, » cui nos adstipulamur. Harduinus vocem *scribo* subaudiens : « nec doctissimis; Manium hæc Persium legere nolo. » Dalecampius : « hæc doctissimum Persium legere nolo », sublatis quæ morabantur voculis; ac fatendum est tantam editionum scriptorumque codicum varietatem occurrere, ut difficile sit aliquid certi ex tot ambagibus expedire. Escorialensis, optimæ notæ codex, *nec doctissimum* habet, multique a Rezzonico citati consentiunt; hanc quidem ego lectionem prætuli, quod illud Plinii *doctissimum* idem mihi est ac Ciceronis *valde doctum* : vide supra quæ ex Bruto allata sunt. *Omnium* vero cur potius rescripserim quam *Manium*, præsto est causa : quum Cicero Persium hunc prænomine vocet Caium, non Manium, nec suspecta sit in Cicerone, ut in Plinio, scriptura. Ergo pro trochaicis metris apud Harduinum claudicantibus, iambos probe sonantes restitui, et si quid erravi, pœnam non detrecto : sciens enim et volens in hoc periculum incidi. Ed.

17. *Styli nasum*. Id est, satyram, procax et nasutum dicendi genus. Durissima metaphora, quam ab antiquo poeta desumptam haud invitus crediderim. Ed.

18. *Præsertim quum de rep. scriberet*. Hoc enim pulcherrimum opus quum scriberet, materiemque tractaret sibi tam bene accommodatam, suarum sibi virium conscius esse debuisset. Ed.

19. *Quanto nos causatius ab aliquo judice defendimus*. Causatius, id est, *meliore de causa* ; apud Plinium alias quoque hæc vox occurrit :

ab aliquo judice defendimus? Sed hæc ego mihi nunc patrocinia ademi nuncupatione, quoniam plurimum [20] refert, 7 sortiatur aliquis judicem an eligat, multumque apparatus interest apud invitatum hospitem et oblatum. Quum apud Catonem [21] illum ambitus [22] hostem, et repulsis [23] tanquam honoribus indeptis gaudentem, flagrantibus [24] comitiis pecunias [25] deponerent candidati, hoc [26] se facere pro innocen-

male quidam *excusatius. Ab aliquo judice*, id est, non ab omni, sed a nimium docto. Pro *defendimus*, alii *defendimur* aut *diffidimus* Ed.

20. *Refert.* Sic MS. apud Dalec. Ipse Dalecampius, *interest;* sed male, quum eadem vox prope sequatur.

21. *Catonem.* Uticensem scilicet, de quo Senec. Consol. ad Helv. 13: « Quis ignominiam putet M. Catoni fuisse duplicem in petitione præturæ et consulatus repulsam? Illa præturæ et consulatus fuit, quibus ex Catone honor habebatur. » Ed.

22. *Ambitus hostem.* Qui cum civium suorum ambitu bellum gerere solitus esset. Audacior, quam fortasse decuit, metaphora. Ed.

23. *Repulsis tanquam honoribus indeptis gaudentem.* Sæpe apud antiquos mentio de Catonis adversus repulsas constantia. Vide Senecam, Epist. 15, et Consol. ad Helv. 13; item Plutarch. in vita Catonis, etc. Gaudebat enim magnus vir aliquem se meliorem in civitate inventum esse, et calamitate sua, tanquam publicæ libertatis indicio lætabatur. Unum est quod moretur, *indeptis* pro *acceptis* usurpatum. Sed *indeptus* ab *indipiscor*, ut *adeptus* ab *adipiscor*, passivo sensu potuit adhiberi, quod lexicographi pluribus exemplis docent. *Ineptis* apud Harduinum et alios; *inceptis* apud unum aut alterum; apud Durandum *inemptis* legitur: quas lectiones paucis placituras confido. Ed.

24. *Flagrantibus comitiis.* Id est, quum comitia haberentur et maxime ferveret candidatorum ambitio. Sic Cicero, ad Att. l. IV, ep. 15, *ardere ambitum* dixit, et alibi: *calebant nundinæ, calent judicia.* Ed.

25. *Pecunias deponerent candidati.* Qui videri volebant ab ambitu alienissimi, pecuniam apud sanctum aliquem virum deponebant, qua scilicet multarentur, si unquam hujus criminis manifesti fierent. Ita Cicero scribens ad Quintum fratrem lib. II, Ep. 14: « Tribunitii candidati compromiserunt HS quingenis in singulos apud M. Catonem depositis, petere ejus arbitratu, ut qui contra fecisset, ab eo condemnaretur. » Additque: « quæ quidem comitia gratuita (i. e. *sine ambitu*) si fuerint, ut putantur, plus unus Cato fuerit quam omnes leges omnesque judices. » Sed alias quoque ad hoc factum alluserat, neque enim reperitur, in iis saltem quæ ex ejus operibus ad nos pervenerunt, nobilis illa exclamatio: *O te felicem, M. Porci.....* cui affinis est Senecæ sententia, Consol. ad Marc. « Neminem ausurum coram Catone peccare. » Ed.

26. *Hoc se facere pro innocentia*,

tia, quod in rebus humanis summum esset, profitebantur.
8 Inde illa nobilis M. Ciceronis suspiratio : O te felicem, M. Porci, a quo rem improbam petere nemo audet! Quum tribunos[27] appellaret L. Scipio Asiaticus, inter quos erat Gracchus, hoc attestabatur, se vel inimico judici approbari[28] posse. Adeo summum quisque causæ suæ judicem facit, quemcumque[29] eligit: unde[30] *provocatio* appellatur.

Te quidem in excelsissimo humani generis fastigio positum, summa eloquentia, summa eruditione præditum,
9 religiose adiri etiam a salutantibus scio. Et [1] ideo immensa præter cæteras subit cura, ut, quæ tibi dicantur, te digna sint. Verum [2] et Diis lacte rustici multæque gentes supplicant; et mola tantum salsa litant, qui non habent thura; nec ulli fuit vitio Deos colere, quoquo modo posset. Meæ quidem [3] temeritati accessit hoc quoque, quod levioris

quod in rebus humanis summum esset, profitebantur. Aiebant nullum se majus documentum innocentiæ suæ præstare posse, quam si judicem talem eligerent. Ed.

27. *Quum tribunos appellaret L. Scipio Asiat.* Res narratur a Livio XXXVIII, 58, 59, 60; a Valerio Maximo IV, 1. L. Scipio Asiaticus, factione senatorum oppressus et peculatus crimine damnatus, quum in vincula duci jussus esset a prætore, tribunos appellavit. Illi tamen pronunciaverunt « se prætori non intercedere quo minus sua potestate uteretur. » Sed ex illorum collegio Tib. Sempronius Gracchus intercessit, quamvis Scipioni inimicissimus: unde gratia inter illos reconciliata, Corneliam Africani filiam duxit. Tiberius ille Gracchus, ne cum filiis confundatur cavendum est, qui postea virtutibus clari, ambitione pessumdati sunt. Ed.

28. *Approbari.* In nonnullis codicibus *probari.* Ed.

29. *Quemcumque eligit.* Dalecampius, *quemcumque elegit*; plerique codd. et edd. *quemcumque, quum elegit*; Harduinus, *quemcumque, quum eligit.* Dubia est lectio. Ed.

30. *Unde provocatio appellatur.* Qui enim judicem eligit, quodammodo illius severitatem lacessit atque provocat. Unde *provocare* et *appellare* in judiciis idem valet. Ed.

1. *Et ideo*, etc. Dalec. *et ideo immensa præter cæteras subit cura.* Vet. apud Dalec. *et ideo curavi, ut*, etc. Deinde pro *te digna* legitur in vett. *condigna.* Ed.

2. *Verum et Diis. Et* in M. deest. Infra quoque deest verbum *supplicant*, quod subaudiri potuit. Ed.

3. *Meæ quidem temeritati accessit hoc quoque.* Non satis attendit Plinius hoc non esse temeritatis erga Cæsarem, quod vel erga Deos im-

operæ hos tibi dedicavi libellos. Nam nec ingenii sunt capaces, quod alioquin nobis perquam mediocre erat; nec admittunt excessus, aut orationes sermonesve, aut casus mirabiles[4], vel eventus varios, non alia jucunda dictu aut legentibus blanda. Sterili materia[5] rerum natura, hoc est, vita narratur, et hæc sordidissima sui parte, [6]plurimarum rerum aut rusticis vocabulis aut externis, immo barbaris, etiam cum honoris[7] præfatione ponendis. Præterea iter est non trita auctoribus via, nec qua peregrinari animus expetat. Nemo apud nos, qui idem tentaverit; nemo apud Græcos, qui unus[8] omnia ea tractaverit.

mortales licere ac nulli vitio dari confessus est. Ed.

4. *Casus mirabiles.* Codd. variant; plerique *casus;* at quidam *causas*, obscuriore sensu. Multi *mirabiles*, non pauci *miserabiles* exhibent. Interpretes in utramque partem disputavere. Lis adhuc pendet. Ed.

5. *Sterili materia*, etc. Est, inquit, hæc, ut ait Mela Pomponius in præf. operis sui, « facundiæ minime capax et longa magis quam benigna materia. » Hard. — Editores multi, quos inter Harduinus, aliter ac nos interpungunt, sic nempe: *non alia jucunda dictu, aut legentibus blanda, sterili materia. Rerum natura, hoc est, vita narratur.* Dalecampii lectionem multo potiorem secuti sumus. Notandum hic est nomen *vita*, sensu etiam latiore usurpatum, quam in aliis Plinii locis, ubi mores hominum vel humanam societatem significat: hoc enim loco omnia comprehendit, quæ quotidie nobis in rerum natura obversantur. Ed.

6. *Plurimarum rerum.* Vulgo legitur *ut plurimarum rerum*, eodem sensu. Nam *ut plurimum*, Græce ὡς πλεῖστα, sæpe pro simplici *plurimum* accipitur. Raro tamen *ut plurimus* pro *plurimus*. Cæterum voculam *ut* in quibusdam manuscriptis deesse testatur Dalecampius, eaque nata videtur ex proxima repetitione vocis *aut*. Delevimus itaque, ut supervacuam et insolentem et duram nec satis firma codicum auctoritate nixam. Ed.

7. *Cum honoris præfatione ponendis.* Venia scilicet a lectoribus impetranda, priusquam hæc impura aut monstrosa vocabula in lucem efferantur. Ed.

8. *Qui unus omnia ea tractaverit.* Sic Dalecampius et Harduinus. Rezzonicus autem, *qui unus ea tractaverit*, omissa voce *omnia;* nec cur veterem textum mutaverit nos admonet: codices tantum duos indicat, quos videtur secutus esse. Mihi quoque, ut verum fatear, non placet *omnia ea;* crediderimque in manuscriptis quibusdam *omnia*, in aliis notissimo compendio *oa* scriptum esse, quas lectiones simul admittendas putaverint primi edito-

Magna pars[9] studiorum amœnitates quærimus : quæ[10] vero tractata ab aliis dicuntur immensæ subtilitatis, obscuris
11 rerum tenebris premuntur. Jam[11] omnia attingenda, quæ Græci τὰς ἐγκυκλοπαιδείας[12] vocant : et tamen[13] ignota aut incerta ingeniis[14] facta; alia vero ita multis prodita, ut in fastidium sint adducta. Res ardua[15], vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscu-

res, quum vera sit Plinii lectio : *Qui unus omnia tractaverit*. In veteribus editionibus perperam ex glossa additum erat verbum *invenitur*, quod subauditu facile est. Ed.

9. *Magna pars studiorum amœnitates quærimus*. Rezzonicus optimo codice fretus, quem inter Ambrosianos recenset, *studiorum* omisit, vocem cæteroqui satis hoc loco inutilem. Ed.

10. *Quæ vero tractata ab aliis dicuntur immensæ subtilitatis*. Ultima duo verba nunc de rebus, nunc de hominibus usurpare solet Plinius. Sic XXII, 51, « ratio subtilitatis immensæ. » Sic etiam XVIII, 77, « vir immensæ subtilitatis. » Quibus exemplis plura addentur in verborum indice. Nunc autem utrum ad *aliis*, an ad *dicuntur*, an etiam ad *tractata* referas, hæc verba, parum interest. Quamcumque velis admittere syntaxim, sententia erit : Quæ nos audimus ab aliis tractata fuisse (immensæ subtilitatis opus!), desides negligimus, obvolvique tenebris et oblivione patimur. Ed.

11. *Jam omnia attingenda. Jam* pro *insuper*. Transit ad immensitatem operis, de cujus sterilitate questus est. Ed.

12. Τὰς ἐγκυκλοπαιδείας. Harduinus τῆς ἐγκυκλοπαιδείας. Sed prior syntaxis usitatior et clarior, quamvis ἐγκυκλοπαιδεία, id est, *artium et doctrinarum omnium circulus*, sæpius in singulari quam in plurali numero Græcis adhibitum reperiatur. In plurali potius dicunt τὰ ἐγκύκλια, sub. παιδεύματα : quare legendum forte distinctis verbis τὰς ἐν κύκλῳ παιδείας; et parum in hisce rebus valet codicum, etsi contraria, auctoritas, quum vulgo in latinis operibus græca nomina pessime transcribat imperitia librariorum. Video idem quoque Menagio visum, cujus notas ad marginem editionis Elzevirianæ manuscriptas habui. Ed.

13. *Et tamen*, etc. Præterquam, inquit, tot et tanta sunt, etiam id habent incommodi, quod a paucis memorata, vulgo ignorentur; aut etiam dubia facta sint narrantium vitio, qui semper aliquid veritati addere solent. Ed.

14. *Ingeniis*. Id est, narrantium artificiosis commentis. Sic Plinius Junior in Panegyr. 49. « Exquisita ingenia cœnarum. » Ed.

15. *Res ardua vetustis novitatem dare*. Ἐπειδὴ οἱ λόγοι τοιαύτην ἔχουσι τὴν φύσιν, ὥσθ' οἷόν τε εἶναι περὶ τῶν αὐτῶν πολλαχῶς ἐξηγήσασθαι, καὶ τά τε μεγάλα ταπεινὰ ποιῆσαι, καὶ τοῖς μικροῖς μέγεθος προσθεῖναι, καὶ τὰ παλαιὰ καινῶς διεξελθεῖν, καὶ περὶ τῶν νεωστὶ γεγενημένων ἀρχαίως εἰπεῖν, οὐκέτι φευκτέον ταῦτ' ἐστὶ περὶ ὧν

ris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus [16] vero naturam et naturæ sua omnia. Itaque [17] etiam non assecutis, voluisse abunde pulcrum atque magnificum est.

Equidem ita sentio peculiarem in studiis causam eorum 12
esse qui, difficultatibus victis, utilitatem juvandi prætulerunt gratiæ placendi: idque [1] jam et in aliis operibus ipse feci; et profiteor mirari me T. Livium, auctorem celeberrimum, in historiarum suarum, quas [2] repetit ab origine Urbis, quodam [3] volumine sic orsum : « satis jam sibi gloriæ quæsitum, et potuisse se desinere, ni animus inquies pasceretur opere. » Profecto enim populi gentium victoris et Romani nominis gloriæ, non suæ, composuisse illa

ἕτεροι πρότερον εἰρήκασιν, ἀλλ' ἄμεινον ἐκείνων εἰπεῖν πειρατέον.... Isocr. in panegyr. Ed.

16. *Omnibus vero naturam et naturæ sua omnia.* Legunt omnes, *et naturæ suæ omnia.* Sed, ut opinor, *omnia naturæ suæ reddere* est *omnibus naturam suam reddere.* Idem prorsus valent hæc verba, utroque modo constructa : nec verisimilis est in scriptore admodum conciso pleonasmus adeo manifestus. Unde nullus dubitavi *sua* pro *suæ* reponere, sensusque hinc nitidissimus elucet quem sic gallice verterim : *Rendre à chaque chose sa nature, et à la nature tout ce qui lui appartient.* Ingeniose luditur in verbo *natura* quod priori loco sumitur pro peculiari rerum indole, posterius vero pro generali rerum natura; quod etiam in gallica metaphrasi observandum duxi. *Natura* vero simpliciter, pro *natura rerum* a Plinio frequens usurpatur. Exempla dabunt Indices. Ed.

17. *Itaque non assecutis*, etc. Notissima sententia, quæ Propertio : « In magnis et voluisse sat est. » Pro *magnificum*, vet. apud Dalec. *magnum*. Ed.

1. *Idque jam et in aliis operibus ipse feci.* Præsertim in tractatu de *jaculatione equestri* aut in octo libris de *dubio sermone*, quorum mentio apud Plinium Juniorem, lib. III, Epist. 5. Nam cætera quæ ibi memorantur avunculi opera non utilitatis modo, sed etiam jucunditatis amplam materiem habebant. Ed.

2. *Quas repetit ab origine urbis.* Iisdem fere verbis Livius ipse initio præfationis utitur : « Facturusne operæ pretium sim, si a primordio urbis res populi Romani perscripserim, etc. » Ed.

3. *Quodam volumine.* Quotus iste liber incertum, sed aliquis deperditorum, et, quod ipsa Livii verba satis indicant, unus e postremis fuit. Cæterum quod Plinius Livii verba redarguit, id magis e sua re, quam ex bono et æquo facit : nimium enim severe agit: In iis pro *potuisse se desinere*, etc. MS apud Dalec. *potius se desiderare ut animus*

decuit : majus meritum est, operis amore, non animi causa perseverasse, et hoc populo Romano præstitisse, non sibi.

13 Viginti millia[1] rerum dignarum cura (quoniam, ut ait Domitius Piso[2], Thesauros oportet esse, non libros) ex lectione voluminum circiter duum millium, quorum pauca admodum studiosi attingunt propter secretum materiæ, ex exquisitis[3] auctoribus centum inclusimus triginta[4] sex voluminibus, adjectis[5] rebus plurimis quas aut ignoraverant priores aut postea invenerat vita[6]. Nec dubitamus,

14 multa esse quæ et nos prætererint. Homines enim sumus, et occupati officiis[7], subsecivisque[8] temporibus ista cu-

inquiete posceretur opere, quam lectionem ut monstrosam rejicere debuisset Turnebus. Ed.

1. *Viginti millia rerum.* Aut hic in numeris erratum, aut falsa erit in elencho subsequenti rerum et historiarum, et observationum summa, quæ dimidio major. Ed.

2. *Domitius Piso.* Scriptor plane incognitus, qui ne ab Harduino quidem in indice auctorum memoratur. An scriptor fuerit, etiam dubitari potest. Eximie quidem ab eo dictum : *Thesauros oportet esse non libros.* Sensus est : nunquam librum fieri oportere ideo tantum ut liber fiat, sed ut ex eo tanquam ex thesauro depromi possit utilium rerum copia. Recte huc attulit Rezzonicus junioris Plinii de Aristone jurisconsulto testimonium, lib. VIII, Epist. 40 : « Nihil est quod discere velis quod ille docere non possit; mihi certe, quoties aliquid abditum quæro, mihi thesaurus est. » Ed.

3. *Exquisitis auctoribus centum.* Hos Plinius in elencho præfationi subjecto mira fide indicabit. Ed.

4. *Triginta sex. Septem*, alii. Dalec. — Quem nunc primum historiæ Plinianæ librum vocamus, hic non numeratur, quod sit operis index. Hard.

5. *Adjectis.* Operarum forte errore in utraque eruditi Harduini editione, *abjectis.* Brot.

6. *Vita.* Hominum experientia, communis hominum usus, ut supra diximus. Ed.

7 *Officiis.* Publicis nempe, quæ cujusnam ordinis fuerint, incertum; nam de sola præfectura Misenensis classis non est hic locus intelligendus. Scribit Plinius Junior avunculi sui tempus *distentum impeditumque, qua officiis maximis, qua amicitia principum* fuisse. « Erat, inquit, somni parcissimi, nonnunquam etiam inter ipsa studia instantis et deserentis. Ante lucem ibat ad Vespasianum imperatorem, nam ille quoque noctibus utebatur; inde ad delegatum sibi officium. Reversus domum, quod reliquum temporis, studiis reddebat, etc. » Ed.

8. *Subsecivis.* Lege *subcisivis :* sic ea vox scribenda, ut est in utroque

ramus, id est, nocturnis, ne quid vestris[9] putetis cessatum horis. Dies vobis impendimus: cum somno[10] valetudinem computamus, vel hoc solo contenti, quod, dum ista, ut ait M. Varro, musinamur[11], pluribus horis vivimus. Profecto enim vita vigilia est.

Quibus de causis atque difficultatibus nihil auso promittere, hoc[1] ipsum tu præstas quod ad te scribimus. Hæc [2]fiducia operis est, hæc indicatura. Multa valde pre-

cod. Regio, et Colb. 2, et in vet. inscriptione apud Grut. p. 1081. Hard. — Sed in illa inscriptione SUBSICIVIS legitur. Multi quoque et optimi codd. *subsecivis* legunt, vel *subsicivis*. Nec facile est eligere, quum eadem scriptionis varietas in omnibus veteris ævi monumentis deprehendatur. Sensus quidem hujus verbi non est ambiguus: tempora innuit libera, et ab officiis vacua. Metaphora ducta est ab agrorum divisione in coloniis deducendis fieri solita, quum aliqua pars soli *subsecabatur*, id est, reservabatur, quæ, nulli assignata, publici juris fieret. Ed.

9. *Vestris horis.* Diurnis scilicet, quas Cæsaribus se debere dicit, ex quibus nihil audet ad studia decerpere, nihil inertibus Musarum ludis dare. Hoc enim sensu *cessatum* accipio. Harduinus et plerique codices: *ne quis vestrum putet his cessatum horis*, sed obscuro, aut exili sensu. Nos Dalecampium secuti sumus; cui favet paulum diversa codicis Joviani lectio hæc: *Ne quid nostris putes cessatum horis.* Ed.

10. *Cum somno valetudinem computamus.* Dormio, inquit, quantum corpori curando satis est, nihil amplius; et cum Morpheo, quasi cum importuno exactore, supputo quid illi, quid valetudini debeam. Ed.

11. *Musinamur.* Commentamur lente, otiose scribimus, verbo, inquit Turnebus, a Musis deducto. Ita quidem scribitur in Colb. 2. At apud Festum et Nonium c. 2, pag. 543, *muginamur*. Festus: «Muginari est nugari et quasi tarde conari,» et Cic. lib. XVI, ad Att. Epist. 12: «De Ocella dum tu muginaris, nec quidquam rescribis, cepi consilium domesticum.» Hard. — In veteribus plerisque *musitamus*, quam lectionem frustra defendit Rezzonicus. *Musinari* vel *muginari* (nam sola differt orthographia) gallice est *muser*; cujus vocis etymon incertum, sive a *Musarum* otio, sive a *mussando* deducitur. Affine est anglicum verbum *to muse*, quod est *meditari*. Ed.

1. *Hoc ipsum tu præstas.* Hoc saltem mihi præbes fiduciam, quod ad te scribere permisisti. Ed.

2. *Hæc fiducia*, etc. Ex Ambrosiano Guarini Veronensis codice, antiquis editionibus et Alexandro Benedicto. Alterum Ambrosianum exemplar: «Hæc fiducia operis, hæc est indicatura.» Rezzon. — Nobis quoque favet manuscr. reg. 5, apud Broterium. Gallice verterim: *C'est là toute ma confiance et*

tiosa ideo videntur, quia sunt templis dicata. Nos [3] quidem, omnes, patrem, te, fratremque diximus opere [4] justo, temporum nostrorum historiam orsi a fine [5] Aufidii Bassi. Ubi sit ea quæris? Jampridem peracta [6] sancitur [7]: et alioquin statutum erat hæredi mandare [8], ne quid [9] ambitioni
16 dedisse vita judicaretur. Proinde occupantibus [10] locum

la seule recommandation de mon ouvrage. Harduinus et Broterius, Dalecampio auctore, longe aliam lectionem receperunt : *Nec fiducia operis hæc est, sed indicatura*, » et ipsi codices suos præ se ferunt. Nostro tamen sensu melius constare credimus sententiarum ordinem. *Indicatura* alias quoque usurpabitur a Plinio pro *commendatione* vel *æstimatione* : proprie esse videtur rebus venalibus apposita pretii nota, Gallice *la marque*, *l'étiquette*. Ed.

3. *Nos quidem.* Parva sunt hæc quæ tibi offero, ne tamen, inquit, me semper in minimis hærere eredas : equidem omnes vos, patrem, te, fratremque celebravi justo opere; verum hæc historia post mortem meam commodius vulgabitur. Ergo *omnes* ad sequentia verba referendum est, non ad *nos* quod proxime præcessit. Quid si *vos quidem omnes* legendum? sed manuscripti vetant. Ed.

4. *Opere justo.* Opus justum, id est certis legibus constans ac suis numeris absolutum, qualis est Historia. Levi operæ et quasi tumultuariæ opponitur. Ed.

5. *A fine Aufidii Bassi.* Hos quoque libros ante Naturalem Historiam inter avunculi opera junior affert Plinius, illosque triginta et unum fuisse docet; sed auctore vivo in lucem non exstitisse, verisimile est. Videtur ad eos respexisse Tacitus, Hist. III, 28. *Finis* autem *Aufidii Bassi* intelligendus est non mors ejus, sed tempus ad quod suas ipse perduxerat historias. Quodnam illud, ignoramus. De ipso Aufidio Basso, confer Auctorum catalogum, qui mox sequetur. Ed.

6. *Peracta*, id est absoluta, ad terminum deducta. Hocce vocabulo persæpe utitur Plinius : « Peracta cerealium quoque in medendo natura est, » lib. XXIII, initio. Rezz.

7. *Sancitur.* Id est, a tempore sanctionem quamdam et auctoritatem accipit. Temere hunc locum tetigit Harduinus, et *sarcitur* pro *sancitur* edidit. Veram ac pristinam lectionem restituit clariss. Rezzonicus, nec tamen intellexit. Ed.

8. *Hæredi mandare.* Id Romani modestiæ vel alia de causa agere solebant. Martial. lib. IV, Epigr. 33 : « Plena laboratis habeas quum scrinia libris, Emittis quare, Sosibiane, nihil? Edent, hæredes, inquis, etc. » Rezzon.

9. *Ne quid*, etc. Ne vivus per ambitionem hoc fecisse viderer. In vetere quodam manuscr. *studuisse* pro *dedisse*; sed male. Ed.

10. *Occupantibus locum faveo*, etc. Non impedio, quo minus alii me prævertant, immo vero illis ipsis plaudere paratus sum; ac ne posteris quidem invideo mecum de-

faveo: ego vero et posteris; quos scio nobiscum decertaturos, sicut ipsi fecimus cum prioribus.

Argumentum hujus[1] stomachi[1] mei habebis, quod in his voluminibus [2] auctorum nomina prætexui. Est enim benignum, ut arbitror, et plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris: non ut plerique ex iis, quos attigi, fe-
cerunt. Scito enim conferentem auctores me deprehen- 17
disse a juratissimis[3] et proximis[4] veteres transcriptos ad verbum, neque nominatos: non illa Virgiliana[5] virtute, ut certarent: non Ciceroniana simplicitate, qui in[6] libris de Republica Platonis se comitem profitetur; in [7] consola-

certandi facultatem. Anceps locus, et quem pluribus modis legunt: alii *perinde vero occupantibus*; alii: *perinde vero occ. loc. faveo et posteris.* Harduinus Dalecampium secutus est, nos Harduinum. Ed.

1. *Stomachi.* Indolis: Gallice, *goût*, *humeur*. Ed.

2. *In his voluminibus auctorum nomina prætexui.* Sic libro XVIII, 5, « quos sequentes prætexuimus in hoc volumine. » Prætexit enimvero Plinius Auctorum nomina in elencho præfationi subjecto, tam benigne, ut ipse ait, tamque ingenue, ut perverse calumniati videantur, qui omissam ab illo Dioscoridis mentionem exprobrant, quum potius ipse et Dioscorides ex iisdem fontibus hauserint, ut diximus ad Fabricii notitiam de Plinio. Ed.

3. *A juratissimis.* Ab iis qui sua se scribere quovis sacramento jurarent, nec aliena se pro suis venditare prædicarent; quos religiosissimos et sanctissimos putes. Hard.

4. *Proximis.* Recentissimis. Ed.

5. *Virgiliana virtute.* Virgilius multa e Græcis præsertim mutuatus est, quæ singulari opere collegit Fulvius Ursinus, et insigni commentario illustravit Germanus Valens Guellius. Morhofius ad rem nostram hæc referens: « Virgilius, ait, in Eclogis Theocritum imitatus est, in libris Æneidos Homerum, immo ipsos latinos qui ante se scripserant, Ennium, Lucretium, Catullum, quos tamen ita imitatus est, ut.... superaret. » Razz.

6. *In libris de Republica.* Rezzonicus duo verba, *in libris*, tanquam supervacua eradi jubet, ex codd. Ambrosiano utroque, et Londinense. Ciceronis de Repub. libri, diu desiderati, reperti novissime, et magna ex parte restaurati ab ill. Angelo Maio, nunc in omnium manibus versantur: ubi tamen testimonium hoc de Platone frustra quæras. Sane ex deperdito libri primi initio desumptum erat; nam in sequentibus Cicero non se ipsum, sed alias personas inducit loquentes. Ed.

7. *In consolatione filiæ.* Tullia ex partu mortua, Cicero solatium quærens librum a multis laudatum

tione filiæ, Crantorem, inquit, sequor; item[8] Panætium, de Officiis: quæ [9] volumina ejus ediscenda, non modo in ma-
18 nibus quotidie habenda, nosti. Obnoxii [10] profecto animi et infelicis ingenii est, deprehendi in furto malle, quam mutuum reddere; quum præsertim [11] sors fiat ex usura.

Inscriptionis [1] apud Græcos mira felicitas: κηρίον in-

de consolatione scripsit, anno vitæ suæ 62. Pauca nunc fragmenta hujus libri supersunt. Pariter olim apud Græcos vetus academicus Crantor *de consolatione* librum scripserat, Cic. Tusc. I, 48, vel potius *de luctu*, Idem, Acad. IV, 135; græce, περὶ πένθους, Diog. Laert. in Crantoris vita. Ed.

8. *Item Panætium, de officiis.* Hæc non Ciceronis, sed Plinii verba videntur, repugnante quamvis verborum textura. Panætii philosophi stoici, qui περὶ τοῦ καθήκοντος scripserat, sæpe meminit Cicero in libris de Officiis. Ed.

9. *Quæ volumina.* Libros nempe de Republica, de Consolatione, de Officiis. Ed.

10. *Obnoxii.* Servilis et abjecti. Ita Phædrus, lib. III, Prol. « Servitus obnoxia. » Sueton. Tib. XII: « Enim vero tunc non privatum modo, sed etiam obnoxium et trepidum egit. » Ed.

11. *Quum præsertim sors fiat ex usura.* Quum magno fœnore id restituendum sit, quod subreptum est. Qui enim plagii aliquando damnatus fuerit, nihil jam de suo proferre posse videbitur. Metaphora ducta ab iis qui, magno fœnore mutuati pecuniam, usura sortem duplicant. Gallice, *l'intérêt double le capital.* Ed.

1. *Inscriptionis.* Titulorum operibus suis inscriptorum. Totum hunc locum A. Gellius pæne ad verbum transcripsit, cujus hæc sunt verba, in præfationis principio: « Idcirco eas inscripsimus Noctium Atticarum, nihil imitati festivitates inscriptionum, quas plerique alii utriusque linguæ scriptores in id genus libris fecerunt. Nam quia variam et miscellam et quasi confusaneam doctrinam conquisiverant, eo titulos quoque ad eam sententiam exquisitissimos indiderunt. Namque alii *Musarum* inscripserunt; alii *Sylvarum;* ille κηρίον; alius κέρας Ἀμαλθείας; quidam *lectionis suæ;* alius *antiquarum lectionum;* atque alius πινακίδιον; et item alius ἐγχειρίδιον. Sunt etiam qui *pandectas* inscripserunt; sunt autem qui διατριβάς. Sunt adeo qui *de disciplina regia*, et *de philosophia*, et *de natura humana.* Est qui *memoriales titulos* fecerit, est qui *studiosorum*, et *de ridiculis*, et περὶ ποικίλης ἱστορίας. Est item qui *historiæ naturalis;* est qui βιβλιοθήκην; est præterea qui *pratum;* est item qui ἐποπτίδων; est qui scripsit συγγραφήν; sunt item multi qui *conjectanea;* neque item desunt qui indices libris suis fecerint, aut *epistolarum moralium*, aut *epistolicarum quæstionum*, aut *confusarum;* et quædam alia inscripta nimis lepida multasque prorsus concinnitates redolentia. » In his duo tituli *studiosorum*

scripsere, quod volebant intelligi[2] favum; alii κέρας Ἀμαλθείας[3], quod Copiæ cornu; ut vel lactis gallinacei[4] sperare possis in volumine haustum. Jam [5]Μοῦσαι, πανδέκται[6],

et *historiæ naturalis* manifesto ad Plinium spectaut; cujus præfatio si, nt apparet, Gellio fuit ob oculos, eadem ab Harduino quam inique damnatur, velut supposita et apuria! Ed.

2. Κηρίον, *favum*. Quis hoc titulo usus fuerit, ignoratur. Scriptores vero, eos præsertim qui multiplicem tractant materiam, apum mellifico labori operam suam comparare, vulgo notum est. Sic Hor. lib. IV, Od. 2, 27: «Ego apis matinæ more modoq.» Et Lucr. III, 11: «Florigeris ut apes in saltibus omnia libaut, Omnia uos itidem depascimur aurea dicta.» Hinc, κηρίον, sive *favus*, cognomen libro inditum. Ed.

3. Κέρας Ἀμαλθείας. Plinius hoc loco ad Phocionis Peripatetici librum alludit, qui ex Platonis et Xenocratis discipulo orator evasit, claruitque Demosthenis temporibus. Gellium audiamus, libro I, cap. 8: «Phociou ex Peripatetica disciplina haud sane ignobilis vir fuit. Is librum multæ variæque historiæ refertum composuit, eumque inscripsit κέρας Ἀμαλθείας. Ea vox ferme valet tanquam si dicas *cornucopiæ*.» Qui libros suos *Amalthæum*, *Amaltheam*, *Cornucopiæ* inscripserunt, Phocionem imitati sunt; Phocionem dico, non Sotionem, ut perperam post alios in Gellio Proustius, verum ab Henrico Stephano in errorem adductus, qui primus Phocionis vice Sotionem reposuit. Antiquam lectionem ex optimis exemplaribus atque ex Aristophanis scholiaste (ad Plutum, p. 16, ed. 1607) restituit Harduin.

4. *Lactis gallinacei*. Proverbium de re singulari et admodum rara. Petron. in Fragm. «Omnia domi nascuntur lana, creta, piper; lac gallinaceum si quæsieris, invenies.» Meminit hujus adagii Mnesimachus comicus apud Athen. lib. IX; vide etiam Erasmum. Lucianus in dramate de mercede conductis, pag. 243, edit. Paris. 1615: καὶ ἕξεις τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, καὶ ἀμέλξεις ὀρνίθων γάλα. Hard.

5. *Jam* Μοῦσαι. Variis modis quum apud MSS. tum in editis legitur, *jam musæ*, *jamjam musæ*, *jamjam* Μοῦσαι: apud Gelenium *jamjam musæ*; apud Alex. Benedictum, *jam* ἴα, κύαμος; apud Rezzonicum, ἴα Μοῦσαι; apud Broterium, *jam* ἴα, μοῦσαι, quod proposuerat Harduinus, qui tamen edidit, *jam musæ*. Ἴα, quod est *violæ*, sicut apud Gellium ἀνθηρῶν, id est, *floridorum*, accommodatus sane titulus florum suavium referto operi. Sed quis ex Græcis hac inscriptione usus sit, Rezzonicus ignorare se fatetur; idcirco non ausi sumus eam nos in textum recipere. *Musarum* autem nomine opus suum apud Græcos insignivit Herodotus. Item Alexander Ætolus poeta, apud Macrob. lib. V; Bion rhetor, apud Laertium in Bione; Aureliusque Opilius, qui philosophus, rhetor et grammaticus Smyrnæ consenuit, apud Sueton. ill. gramm. 6, et A. Gell. I, 25. Ed.

6. Πανδέκται. Quasi omnium re-

ἐγχειρίδιον[7], λειμὼν[8], πιναχίδιον[9], inscriptiones propter quas
19 vadimonium deseri possit[10]. At quum intraveris, [11]Dii Deæque! quam nihil in medio invenies! Nostri [12]crassio-

rum receptacula. Tullius Tiro de variis quæstionibus libros composuit, quos *pandectas* inscripsit, teste Gellio, uti dicemus in Auctorum Indice. Dorothei *pandectæ* citantur a Clem. Alex. lib. I, Strom. p. 334. Horum exemplo veteres jurisconsulti volumen legum, *pandectarum* nomine vocavere. Harn.

7. Ἐγχειρίδιον. Manuale quod in promptu, paratumque foret. Gellius in præf. ἐγχειρίδια dixit. Sic Epicteti liber inscribitur. Glossæ Isidori : « Manuale, liber ad gerendum aptus, qui *enchiridion* dicitur. » Augustin. in Enchir. ad Laur. cap. 5 : « tu autem *enchiridion* a nobis postulas, id est, quod manibus possit adstringi, non quod armaria possit onerare. » Harn.

8. Λειμών. Pamphilus Alex. grammaticus, apud Suidam, t. II, p. 415, hunc libro suo titulum præfixit, quasi variarum rerum collectanea varios pratorum flores referentia : ἔγραψε λειμῶνα · ἔστι δὲ ποικίλων περιοχή. Hard. — Non omittendus Cicero, qui adolescens poema edidit hoc *limonis* titulo, unde Ælius Donatus in vita Terentii quatuor attulit versus : « Tu quoque qui solus lecto sermone, Terenti, etc. » Quanquam ad hoc opus non respexit Plinius, quoniam de Græcis agit. Idem quod Plinio λειμών, Gellio est *pratum*. Cujus, ut obiter dicam, inscriptionis festivitatem multi recentiores imitati sunt. Huc affertur a Rezzonico libri cujusdam italice scripti mentio, cui titulus inscribitur *prato fiorito*. Nos vero in hoc genere plurimos auctorum nostratium *hortos* novimus ; *le Jardin des Racines Grecques*. Ed.

9. Πιναχίδιον. Id est *tabella*. Sic ad nos Cebetis πίναξ, sive tabula pervenit. Aurelii Opilii *pinax* a Suetonio etiam laudatur. Unde Harduinus legendum primo censuerat duobus verbis πίναξ, σχίδιον. Sed postea nec immerito ad πιναχίδιον rediit. Nam σχίδιον, id est, ut exponit ipse, opusculum tumultuarium ac subitarium, gallice *essai*, minime ad lectores invitandos fucata esset inscriptio. Hunc tamen titulum operi suo præposuisse dicitur Himerius sophista apud Photium in Biblioth. Ed.

10. *Propter quas vadimonium deseri possit.* Tam multa pollicentur inscriptiones hujuscemodi, ut ad librorum lectionem fruendam vel vadimonium illud deserere, in quo de fortunis ageretur, in lucro ponas. Hard. — *Vadimonium deserere*, gallice : *manquer à l'assignation*, *faire défaut*. Ed.

11. *Dii deæque* etc. Exclamandi formulam et verba Gellius imitatur Noct. Attic. XIV, 6 : « accipio, inquit, cupidus ac libens, tanquam si copiæ cornum nactus essem... et quæ scripta erant, Proh Jupiter! mera miracula. » Rezzon.

12. *Nostri crassiores.* Nostri, id est latini, simpliciores in operibus inscribendis fuerunt. Pro *crassiores* multi et optimi codd. *grossiores*, aut *grossioris*, barbare. Ed.

res, Antiquitatum[13], Exemplorum; Artiumque[14], quam facetissimi. Lucubrationem[15], puto, qui ait: «[16] Bibaculus

13. *Antiquitatum, Exemplorum.* Varro *antiquitatum* volumina sæpe laudata, sæpe desiderata; Cornelius Nepos, et post hunc Valerius Maximus, *exemplorum* libros ediderunt. Plinius vero genitivum usurpavit, quoniam in titulis operum frequens hic casus adhibetur, propter nomen *libri* quod proxime sequi solet, ut *Titi Livii historiarum*, *Plinii naturalis historiæ*, *Ovidii metamorphoseon*, etc. Infra quoque legemus βιβλιοθήκης. Ed.

14. *Artiumque quam facetissimi.* Titulus hic a nescio quo adhibitus, quamvis admodum simplex si ad Græcorum delicias respexeris, Plinio tamen nimis exquisitus videbatur. Quid si de Apuleii Floridis, de Gellii Noctibus Atticis, de Macrobii Saturnalibus audiisset? Sed alii aliter legunt ac dissentiunt. Vide notam proximam. Ed.

15. *Lucubrationem* etc. Corruptissimus locus, ad quem varias hic lectiones codd. et edd. præstantiorum exhibendas putavimus. Codd. Vatic. 1950, 1951, 1952: «Lucubrationem dico qui ait Bibaculus eram et vocabar. Pantominus, asserit Varro in satyris sustulit et flexibula.» Vatic. 1953, cæteris antiquior: «Lucubrationem dico quia ut masculus erat et vocabatur. Paulo minus asserit Varro in satyris sustulit et flexiabula.» Escorial. I: «Nostri erassiores antiquitatum exemplorum artiumque quam facetissimi. Lucubrationem dico q. ait Bibaculus eram et vocabar. Pantominus asserit Varro in satyris suis sustulit et flexabula.» Murbacensis vetus quo Rhenanus usus est: «Nostri grossioria antiquitatum exemplorum artiumque facetissimi lucubrationem puto quia ut baculus erat et vocabatur paulominus. Asserit Varro in satyris suis sustulit et flexiabula.» Puteanus a nobis inspectus: «Nostri grossioris antiquitatum, exemplorum artiumque facetissimi lucubrationem puto. Quia vivaçulus erat et vocabatur paulominus adserit Varro in satyris visus tulit et flaxiabula.» Regius 6796, qui alio nomine Colb. 2: «puto q. ut baculus erat et vocabatur paulo minus. Asserit etc.» Primus proposuit Hermolaus: «Nostri crassiores, antiquitatum, exemplorum, artium: quam facetissimi lucubrationum, ut qui ait: Bibaculus eram et vocabar. Paullo nimia asserit Varro in satyris suis sesculixem et flexibula.» Rhenanus: «Nostri crassiores antiquitatum exemplorum artiumque facetissimi. Lucubrationem, puto, qui Antii civis erat et vocabatur, P. Valerius primus asserit: Varro in satyris suis sustulit et flexibula.» Verba hæc *qui Antii civis* ex Murbacense suo codice exprimere posse sibi visus est, ubi *qui ut baculus*; ad id sane adductus, propter Furii Bibaculi nomen, quod illi Furii Antiatis, ac deinde Valerii Antiatis memoriam attulit. Sequentes editores mixtas Hermolai et Rhenani conjecturas amplexi sunt. Legit Dalecampius: «Nostri crassiores antiquitatum, exemplorum, ar-

eram[17] et vocabar," paulo minus[18] asserit[19]: Varro[20] in

tiumque quam facetissimi. Lucubrationem, puto, qui Antias civis erat et vocabatur, Valerius primus asserit. Varro in satyris suis sesculixem et flexibulas." Pro *Valerius primus*, codices potius iudicabant *P. Valerius*; sed antiquissimus ille historicus prænomen *Quintum* non *Publium* habuisse creditur. Lectio deinde, *qui Antias civis*, satis accedit ad Vatic. 1953, ubi *qui ait masculus*; sed ibi vox *civis* supervacat, et vix proprie dici potuit de eo qui quamvis genere Antias, in civitatem romanam receptus non ambigitur: insuper ille *annales* a multis laudatos, non *lucubrationem* scripserat, quem titulum tanquam recentiorem et affectationis plenum carpere videtur Plinius. Itaque Harduinus, explosa Rhenani conjectura, non proposuit modo, sed etiam edidit: « Nostri crassiores antiquitatum, exemplorum artiumque; facetissimi lucubrationem, ut qui Bibaculus erat et vocabatur. Paulo minus serio Varro in satyris suis aesculissem et flextabula. » Ut verum dicamus, locus iste desperatus videtur: verba quædam certioribus conjecturis restituta videntur; de reliquis lis manet integra. Quod ergo unum in hoc discrimine faciendum superat, fecimus: textum exhibuimus, quam potuimus codd. lectioni simillimum; sensum inde qualemcumque extudimus; varias lectiones et conjecturas ad hunc locum cumulavimus. Perfuncti munere nostro, cætera lectoris judicio permittimus, donec aliquis fortasse interpretibus omnibus felicior hunc nodum solvat. Ed.

16. *Bibaculus*. Grammaticum fuisse Furium Bibaculum significat Suetonius, de ill. Gram. cap. IV. Hunc inter Catulli et Horatii ævum Quintilianus collocat, Instit. lib. X, cap. 1. Ciceronis aliorumque veterum jocos et dicta ab eo collecta testatur Macrobius, lib. II, Saturn. cap. 1. Denique Hieronymus in Chron. ad Olymp. 169, anno 3: « M. Furius poeta cognomento Bibaculus, Cremonæ nascitur. » Carmina ejus aliquot Pet. Pithœus collegit, epigrammata, poematiaque varia, pag. 36. Hard.

17. *Eram et vocabar*. Credit Hermolaus hoc e Bibaculi carminibus desumptum esse qui scripserat: *Bibaculus eram et vocabar*. Anacreontia imitatione de se idem confitentis, οἰνοπότης δὲ πεποίημαι. Hinc recepta a nobis lectio quæ ab antiquissimis editionibus minime distat, codicibus certe Vaticanis et Escorialensi faventibus. Malit fortasse aliquis legere cum Harduino, *ut qui Bibaculus erat et vocabatur*; vel cum aliis, *qui, ut ait, Bibaculus erat et vocabatur*; vel etiam, *qui et bibaculus erat et vocabatur*. Datur optio. Ed.

18. *Paulo minus*. Veniam hoc verbo petit Plinius, si cui vox *asserit* audacius translata videatur. *Paulo minus* pro *quasi* aut *propemodum*, frequens in sacra scriptura, etiam hoc aut simili sensu a Suetonio usurpatum reperitur, Tib. c. XXXIX: « Quod paulo minus utrumque evenit. » Ed.

19. *Asserit*. Pro suo vindicat, et se novi tituli auctorem profitetur. Metaphora e jure civili petita,

satyris suis Sesculixem[21] et [22] Flexibula. Apud Græcos desiit[23] nugari Diodorus[24], et Βιβλιοθήκης[25] historiam suam inscripsit. Apion [26]quidem grammaticus (hic quem Tiberius Cæsar cymbalum[27] mundi vocabat, quum publicæ

in quo *asserere* est injecta manu detinere, ac reposcere tanquam suum. Translato sensu *aliquid sibi asserere* aut *vindicare*, notissima est apud bonos auctores locutio; Suetonius, Velleius et alii prouomen *sibi* omittere amant. Ed.

20. *Varro in satyris suis.* Varronis satyras *sesculixem* vel *sesquiulissem*, *flexibulas* vel *flextabula* (nam de orthographia adhuc certatur) Nonius Marcellus haud uno loco adducit. Notat Plinius Varronem his inscriptionibus usum, additque *in satyris suis*, id est, liberrimo scribendi genere, tanquam Varroni veniam petens. Inducendum fortasse epitheton *suis*, quod e sequentis verbi primis elementis nasci potuit. Ed.

21. *Sesculixem.* Quasi sesqui-Ulyssem, sive Ulyssem unum integrum, et dimidium : pro summe astuto, ac veteratore plane expolito. Inde festivum illud apud Gallos adagium : *à trompeur trompeur et demi.* Quod sic latine reddas haud inconcinne : suus Ulyssi sesqui-Ulysses opponetur. Hard.

22. *Flexibula.* Variarum rerum ambages et quasi intortus circuitus hoc verbo significari videtur; quod non ἀπὸ βουλῆς, sed annotante Hermolao, communi apud Latinos terminatione formatum est, ut *rutabula*, *prostibula*, etc. Ed.

23. *Desiit nugari.* Ironice dictum : Diodorus, inquit, cæterorum titulis tanquam modestioribus non contentus, ipse altius quid sapere cœpit. Ed.

24. *Diodorus.* Siculus nempe, cujus bibliotheca historica dimidia fere parte ad nos pervenit : hanc Noster magni fecisse non videtur. Ed.

25. Βιβλιοθήκης. Notat Possevinus, quod licet *Bibliothecæ historicæ* titulus præfigatur operi Diodori, alii eam plurali numero *bibliothecas* appellarunt. Eusebius : ὁ τὰς βιβλιοθήκας ἐπὶ ταὐτὸν ὁμοῦ καταγαγών. Div. Justinus : ὁ τὰς βιβλιοθήκας ἐπιτεμών. Rezz. — Ergo βιβλιοθήκας legi vellet Rezzonicus, pro quo alii βιβλιοθήκην. Genitivum tamen in similibus usurpari jam vidimus. Ed.

26. *Apion quidem.* De eo dicemus in Auctorum syllabo. H. — Particula *quidem* non vacat, sed sententias hoc fere modo connectit : Quid mirum si Diodorus emphatica inscriptione usus est, quum Apion, græculus alter, iis ad quos opera sua componebat, non dubitaverit immortalitatem quasi jure suo polliceri? Ed.

27. *Cymbalum mundi... publicæ famæ tympanum.* Cymbalorum tinnitus acutus et late resonans, unde apud D. Paulum, 1 Cor. 13 : « æs sonans, aut cymbalum tinniens. » Ergo Tiberius Apionem irridebat tanquam controversiis suis, a quibus πλειστονείκου nomen accepit, omnia loca personantem. Plinius vero tanquam hominem omni laude indignum, et qui emendicatæ famæ

famæ tympanum potius videri posset) immortalitate donari a se scripsit, ad quos aliqua componebat. Me [28] non pœnitet nullum festiviorem excogitasse titulum; et ne videar Græcos in totum insectari, ex illis [29] nos velim intelligi pingendi fingendique conditoribus, quos in his libellis [30] invenies absoluta opera, et illa quoque, quæ mirando non satiamur, pendenti [31] titulo inscripsisse, ut APELLES FACIEBAT, aut POLYCLETUS, tanquam inchoata semper arte et imperfecta, ut contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo [32] quidquid
21 desideraretur [33], si non esset interceptus [34]. Quare plenum

strepitu diutius omnium aures exsurdaverit, tympanum publicæ famæ vocari vult. Rhetores in Virgilii catalectis vocantur *inane cymbalon juventutis*, quod puerorum auribus obstrepant; Quintilianus pro vano et inerti verborum strepitu *tympana eloquentiæ* dixit. Ed.

28. *Me non pœnitet*. Ambrosiani codd. et post illos Rezzonicus, *non me pœnitet*, sed male: nam de Græcis modo locutus est, nunc de se; itaque *me* pronomen initio sententiæ ponendum erat, quo transitus indicaretur. Ed.

29. *Ex illis* etc. Pictoribus, qualis Apelles fuit; et statuariis, qualis Polycletus. Turnebus hunc locum corrigendo depravat, quum ait legi oportere: *ex illis non velim intelligi pingique conditoribus*. Quintilianus, lib. XII, cap. 10, Euphranorem laudat, quod « pingendi fingendique idem mirus artifex fuit. » Hard. — Recepimus Dalecampii et Harduini lectionem, quæ certissima, ut videtur, olim Gelenio placuerat. Rezzonicus legit: *ex illis nos velim intelligi fingique conditoribus*. Scripti et editi libri variant. Nec mirum: nam propter similitudinem vocum, e duabus altera facile omitti potuit; deinde *fingi* aut *pingi* pro *fingendi pingendique* scriptum fuerit propter vocem proxime præcedentem *intelligi*; ac deinde *coloribus* ob verbum *pingi*. Sic plerumque error errorem trahit. Ed.

30. *In his libellis*. Historiæ nempe naturalis. Ed.

31. *Pendenti titulo*. Non dubio, vel pendulo, ut Dalecampius interpretatur: sed qui nondum absolutum opus significaret, verum adhuc pendere, velut imperfectum, ut Maro cecinit, Æneid. IV, 88: « pendent opera interrupta. » Hard.

32. *Emendaturo*. Ovidius pæne iisdem verbis Trist. I, Eleg. 7, 37: « Quoque magis faveas, non sunt hæc edita ab ipso, Sed quasi de domini funere rapta sui. Quidquid in his igitur vitii rude carmen habebit, Emendaturus, si licuisset, eram. » Ed.

33. *Desideraretur*. Sic inesse docet in veteri codice Harduinus. Ipse

verecundiæ illud est, quod omnia opera tanquam novissima inscripsere, et tanquam[35] singulis fato adempti. Tria, non amplius, ut opinor, absolute traduntur inscripta: ILLE FECIT[36], quæ suis locis[37] reddam; quo apparuit summam artis securitatem auctori suo placuisse, et ob id in magna invidia fuere omnia.

Ego plane meis adjici posse multa confiteor, sed et 22

tamen cum multis legit *desideretur*. Res est parvi momenti. Ed.

34. *Interceptus*. Fato. Sic paulo post: « tanquam singulis fato adempti », hoc est, tanquam fato prærepti absolvere non potuerint. Hard. — Libro XXXV, c. 40, commemorans « suprema opera artificum imperfectasque tabulas, » hæc tradit: « In majori admiratione esse quam perfecta. Quippe... in lenocinio commendationis dolor est; manus quum id agerent exstinctæ desiderantur. » Rezz.

35. *Tanquam singulis fato adempti*. Legit Dalecampius in manuscripto vetere: *tanquam aliquid singulis fato sit ademptum*; et hæc est veterum editionum scriptura. Rezzonicus in cod. Ambros. 1: *fato ademptum*; in Ambros. 2 sive Guarinian., *tanquam aliquid singulis fato adempti*. Ed.

36. *Ille fecit*. Legitur in manuscripto: *tria non amplius, ut opinor, traduntur, quæ absolute inscripta ille fecit*: sed male. Nam *ille* Latinis est quod Græcis ὁ δεῖνα, nobis *un tel*. Citat Harduinus ex Marculfo illu, ut ita dicam, totius medii ævi protonotario, formulam hanc: « Glorioso illi Regi in Dei nomine ille Rex. » Ed.

37. *Quæ suis locis reddam*. Non stetit promisso Plinius, et quænam hic intelligantur tria perfectæ artis opera dubitari potest, ipso reticente. Harduinus ex libro XXXV, 11 et 39, intellexit duas Niciæ tabulas et aliam Lysippi, in quibus inscriptum erat ἐνέκαυσε; sed Rezzonicus dissentit, qui, secutus doctissimos Herculanensium antiquitatum interpretes, Jovis Olympii inscriptionem adducit, a Pausania V, 10, memoratam: Φειδίας Χαρμίδου υἱὸς Ἀθηναῖός μ' ἐποίησε. Idem affert alias hujus modi inscriptiones inter antiquitatis vestigia repertas: 1° ad tabulam primam Herculanensium picturarum, ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΓΡΑΨΕ. 2° Sub una e Regalis Musei statuis, ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕ. 3° In pictura cujusdam vasis Etrusci, ΜΑΞΙΜΟΣ ΕΓΡΑΨΕ. Nobis, si quod in hac re judicium ferre licet, videtur Plinius ad Phidiæ Jovem sine dubio respexisse; de cæteris nihil certi, nisi quod Plinius sane non de universis artificibus, sed de celeberrimis tantum et in arte sua primis, hoc loco agere voluit. Mediocria enim ingenia raro modestia commendantur; nemo semidoctus dubitaverit vel rudi et inchoato operi subscribere illam phidiacam inscriptionem ΕΠΟΙΗΣΕ. Ed.

omnibus quæ edidi; ut obiter[1] caveam istos Homeromastigas[2], ita enim verius dixerim; quoniam audio et Stoicos et Dialecticos[3], Epicureos quoque (nam[4] de Grammaticis semper exspectavi), parturire[5] adversus libellos quos de grammatica[6] edidi, et subinde abortus facere jam decem
23 annis, quum celerius etiam elephanti[7] pariant. Ceu vero nesciam adversus Theophrastum[8] hominem in eloquentia

1. *Ut obiter.* Harduinus ex MSS. *ut ob id.* Minus eleganter. Ed.

2. *Homeromastigas.* Zoilus Amphipolites quum adversus Homerum multa scripsisset, *Homeromastix*, id est, Homeri flagellum, appellatus est; et post eum omnes qui boni alicujus scriptoris famam inique lacessiverunt. Gallice dicimus : *un Zoïle.* Ed.

3. *Stoicos et Dialecticos.* Recte Stoicos a Dialecticis diversos facit, uti et Priscianus, lib. II, cap. de Oratione : « Partes orationis sunt secundum Dialecticos duæ, secundum Stoicos vero quinque sunt. » Cicero tamen Dialecticos et Stoicos pro iisdem sæpenumero videtur accipere : quod nimirum Stoici, et quicumque alii dialecticarum captionum amantes, Dialecticorum etiam plerumque appellatione censebantur : quanquam secta Dialectica fuit, propria ac peculiari nomenclatione appellata, cujus Clitomachus Carthaginiensis princeps exstitit, ut auctor est Laertius in proœm. Hard.

4. *Nam de Grammaticis semper exspectavi.* Quod argutiarum amantissimi, et quod æmulatio inter illos acerbissima. Ed.

5. *Parturire.* Puteanus codex, *parere*; Rezzonicus e Ricardiano, *parturisse.* Rectius cæteri MSS. et edd. *parturire :* nondum enim pepererant prægnantes semper, semperque abortientes. Eodem verbo et metaphora simili Horatius Art. Poet. v. 139 : « Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus. » Ed.

6. *De grammatica.* Quos *dubii sermonis* inscripserat, libros octo, novissimis Neronis temporibus exaratos, ut ait Plinius junior, libri III Epistola quinta, quæ huic est præfixa operi. Hard. — Respice, si plura quæris, Broterii præfationem et Fabricii notitiam. Ed.

7. *Elephanti.* Simili, sed non ironica comparatione Quintilianus X, 3 : « nihil, ait, rerum ipsa natura voluit magnum effici cito .... ut majora animalia diutius visceribus parentum continentur. » De elephantorum partu Plinius ipse, lib. VIII, c. 10 : « Decem annis gestare in utero vulgus existimat : Aristoteles biennio. » Vid. notas ad h. l. Ed.

8. *Theophrastum.* Cic. lib. I, de Natura Deorum : « Istisne fidentes somniis, non modo Epicurus, et Metrodorus, et Hermæus, contra Pythagoram, Platonem Empedoclemque dixerunt : sed meretricula etiam Leontium contra Theophrastum scribere ausa sit? Scito illa quidem sermone, et Attico : sed tamen tantum Epicuri hortus habuit licentiæ, etc. » Hard.

tantum ut nomen divinum inde[9] invenerit, scripsisse etiam feminam, et proverbium inde natum *suspendio*[10] *arborem eligendi*. Non queo mihi temperare, quo minus[11] ad hoc pertinentia ipsa censorii Catonis verba ponam, ut inde appareat etiam Catoni de[12] militari disciplina commentanti (qui sub Africano, immo et sub Hannibale[13] didicisset militare, et ne Africanum quidem ferre[14] potuisset; qui imperator triumphum[15] reportasset) paratos[16] fuisse

9. *Inde*. Ab oris nempe et eloquentiæ suavitate quasi divina. Tyrtamus initio dictus, *Euphrasti* cognomen, *bene* tanquam *loquentis* invenit; postremo *Theophrastus* a θεὸς, *Deus* et φράσις, *elocutio*. Cic. in Brut. « Quis Aristotele nervosior, Theophrasto dulcior? » Rezz.

10. *Suspendio arborem eligendi.* De re vehementer indigna nec ullo pacto toleranda, vide Erasmi Chiliades. Suspendio jam quærere mortem oportet vitæque renunciare, quum tantum licentiæ vel feminæ vel imperiti homines sumant, ut in doctissimos scribant. Hard. — Alii legunt *eligendam*, ut subaudiatur *esse* : alii *eligendum*, quæ græca esset syntaxis, αἱρετέον ἀγχόνην. Manuscripti variant. Ed.

11. *Quominus. Quin ad hoc*, M. apud Dalecampium. Ed.

12. *De militari.* Libros de militari disciplina scripsisse Catonem hunc majorem, sive Censorium, auctores sunt præterea Fl. Vegetius lib. I, cap. 8, et Priscianus lib. VII. Non est igitur Turnebus audiendus qui hoc loco legit, *de militari disciplina comminanti*. Hard. — Dant etiam *comminanti* codd. Ambros. I, Londinensis, alii, sed male. De Catonis militaribus scriptis novum testem attulit Rezzonicus A. Gellium, lib. VII, c. 4, fragmentum ex illis recitantem. « Verum esse, inquit Gellius, quod supra dixi, Cato quoque in eo libro quem composuit de re militari, docet. Verba sunt hæc Catonis : Ut populus sua opera potius ob rem bene gestam coronatus supplicatum eat, quam re male gesta coronatus veneat. » Ed.

13. *Sub Hannibale.* Quum adversus eum arma ferret, in Africa præsertim, ubi majoris Africani quæstor magistros simul habuit duos omnium præstantissimos, suum et hostium ducem. Ed.

14. *Ferre potuisset.* Livius, lib. XXXVIII : « Morte Africani crevere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui vivo quoque eo allatrare ejus magnitudini solitus erat. » Hard. — Cornelius Nepos in vita Catonis, c. I : « Quæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano consuli; cum quo non pro sortis necessitudine vixit, namque ab eo perpetua dissensit vita. » Idem fere Plutarch. in Catone. Ed.

15. *Triumphum.* Anno U. c. dlx, Fastorum capitolinorum dlix, M. Porcius Cato pro consule ex Hispania citeriore triumphum egit. T. Liv. Plutarch. Sigonius in Fastis. Ed.

16. *Paratos fuisse.* Ad obtrectandum scilicet. Ed.

istos qui obtrectatione alienæ scientiæ famam sibi aucupantur.
24 Quid enim ait in eo volumine? « Scio ego, quæ scripta sunt, si palam proferantur, multos fore[17] qui vitilitigent[18]; sed hi potissimum, qui veræ laudis expertes sunt[19]. Eorum ego orationes sino[20] præterfluere. » Nec Plancus[21] illepide, quum diceretur Asinius Pollio[22] orationes in eum parare, quæ ab ipso aut liberis[23] post mortem Planci ederentur, ne respondere posset: « cum[24] mortuis nonnisi larvas luctari. » Quo dicto sic repercussit illas, ut apud eruditos nihil impudentius judicetur.

25 Ergo securi etiam contra *vitilitigatores*, quos Cato eleganter ex *vitiis* atque *litigatoribus* composuit (quid enim illi aliud quam litigant aut litem quærunt?), [1]exsequemur

17. *Multos fore.* Ambros. uterque, *esse* pro *fore*. Rezz.

18. *Qui vitilitigent.* Alii *qui vellicent; qui ita reprobent ut eligant; qui inviti legant.* Sed post Camertem et Hermolaom, beue bunc locum interpretaotes de vera lectione dubitandum minime foit; haoc enim seqoentia confirmant : « Ergo securi etiam contra vitilitigatores, quos Cato, etc. » Ed.

19. *Expertes sunt.* Ex Ricardiano, Londinensi, Harduino et Dorando. In Ambrosiaois reliquisque codd. τὸ *sunt* desideratur. Rezz.

20. *Sino præterfluere.* Ambrosiani et nounulli codd. jejuno senso habent *sibi prætereo*: hoc ex compendiosis ootis quiboa *sino præterfluere* in primigeoiis exemplaribus reddebatur, procul dubio manavit. In Londinensibus membranis, *orones s. ptereo.* Cicero, Tuscul. lib. V, cap. 33, de voluptate, iisdem Catonis verbis: « Nec præteritam præterfluere sinere. » Rezzonicus.

21. *Nec Plancus.* Lucios Munatius Plancus orator, et idem Ciceroois auditor, qui eum Cæsare in Gallia militavit. Hard. — Idem a Plioio sæpe laudatur dux egregius et bis consul, anois post U. c. DCCII et DCCXVIII. Ed.

22. *Asinius Pollio.* De quo mox agetur io Aoetorum syllabo. Vir magnos fuit, prono tamen ad obtrectandom ingenio, quod arguunt ejus cum Cicerooc simultates. Ed.

23. *Aut liberis.* De Pollionis liberis, inter quos eminuit Asinius Gallos, vide Senecam Controv. IV procemio, et Lipsii notam ad Tacitom, Aon. III, 72. Ed.

24. *Cum mortuis nonnisi larvas luctari.* Apud Rhodig. c. 32, 21, Philostratus Æliano Sophistæ mortui Ginnidis accosatiooem paranti, « miratum se dixit, si vivum accusasset. » Dalec.

1. *Exsequemur.* Ambrosiani codd. apud Rezzonicum, et MS. apud Dalecampium, *exsequamur*. Ed.

reliqua propositi. Quia vero[2] occupationibus tuis publico bono[3] parcendum erat, quid singulis contineretur libris huic epistolæ subjunxi[4], summaque cura, ne legendos[5] eos haberes, operam dedi. Tu per hoc et aliis præstabis, ne 26
perlegant; sed ut quisque desideraverit[6] aliquid, id tan-

2. *Quia vero.* Codd. plerique *vero* non habent, quod et Harduinus omisit. Sed Ugoletus, Jovius, et ipse Dalecampius testantur hoc in membranis quibusdam legi, et in breviario Vallicelliano Rezzonicus. Sensus certe postulat. Ed.

3. *Publico bono.* Publicæ utilitatis causa. Sic Livius XXXIV, 5: « Accipe, quoties id fecerint, et quidem semper bono publico. » Plinius Horatium videtur imitari, lib. II, Epist. 1, 1, ad Augustum: « Quum tot sustineas et tanta negotia solus, ... in publica commoda peccem, Si longo sermone morer tua tempora, Cæsar. » Ed.

4. *Subjunxi.* Quid Plinius epistolæ addiderit, re ipsa patet, nempe elenchum librorum omnium XXXVI, quæque in iis essent præcipua, suo quæque volumini adscripta; rerum, historiarum, observationum summam, Auctorumque in latinos externosque distributorum nomina. Paginarum etiam numerum non omisisse credi potest, ut omnia faciliori negotio Titus inveniret. Inde amanuenses naturalis historiæ libris sectiones seu capita improbe addiderunt. Quamvis in præfatione tot sustulerim errata, nec minora in attexto Indice lateant, quæ adhuc supersunt minime corrupta Harduiniani judicii iniquitatem arguunt, quum primum Plinii librum ptooirseris ævi figmentum venditavit. Quis enim barbaris sæculis tam doctus esse potuit, ut similia eruditionis et sapientiæ refertissima consarciens nusquam erraret? Quisnam Plinium Valerii Sorani sequi methodum nosset, nisi ipse de se talia affirmaret? Rezzon. — Adde quod antiqui scriptores quotiescumque Plinium Majorem citant, ex ejusque libris fragmenta producunt, eosdem numeros indicant, quos etiam nunc habemus. Quod si liber primus suppositus esset, qui hodie tricesimus septimus olim tricesimus sextus fuisset; itemque de reliquis. Rem autem aliter se habuisse patet ex Veterum testimoniis quæ attulimus. Ed.

5. *Legendos.* In plerisque codd. et editt. *perlegendos*, quod ex proximo verbo *perlegant* attractum videtur. Sed codd. Ambrosiani, Escorialensis, Londinensis, *legendos* habent, quod post Rezzonicum prætulimus; nobisque in Plinii sententia acumen idem esse videtur, quod in hoc Gallici cujusdam scriptoris dicto, quum fidelem et diligentem regni administrum laudaret: *il travailloit tous les jours à se rendre inutile.* Latine dixisset; « Id satagebat in dies, ut se faceret inutilem. » Plinius pariter operam se dedisse ait, ut libros suos ne legendos quidem haberet Titus: *perlegendos* minus esset acutum. Ed.

6. *Desideraverit.* Manusc. apud Dalecamp. *desiderabit.* Ed.

tum quærat, et sciat, quo loco inveniat. Hoc ante me fecit in literis nostris Valerius Soranus[7], in libris quos *epoptidon*[8] inscripsit[9]. Vale[10].

7. *Valerius Soranus.* Rursus de illo Plinius, III, 9. Plura conferentur in Auctorum Indicem. Singulare vero argumentum est Plinii verecundiæ, quod ne in minimis quidem plagii vult agi reus. Hinc etiam colligere cum Rezzonico possumus, hanc præfationem vere Plinii esse; non, ut Harduino visum est, alicujus neoterici fœtum; quis enim medii ævi interpolator Valerii Sorani meminisset? Ed.

8. *Epoptidon.* Latinis litteris scribendam putavi latini operis inscriptionem, quamvis apud Gellium, laudato supra loco, ἐποπτίδων græce legatur, editorum forte incuria. *Epoptides* sunt quasi *arcana*, a mysteriorum inspectoribus qui græce ἐπόπται; verbum videtur eadem analogis formatum, quo *ephemerides.* Itaque Rezzonico non adstipulor, legenti ἐποπτειδῶν. Ed.

9. *Inscripsit.* Puteanus et Colbertinus 2, quos ad manum habui, *scripsit*: nec male forsitan; verum ex utraque lectione idem sensus exsistit. Ed.

10. *Vale.* Hanc vocem recipiunt codices Ugoleti, Jovii, autographus Palmarii, et plures vetustæ editiones; et, quamvis a recentioribus typographis omissam, videtur exposcere titulus: *C. Plinius secundus T. Vespasiano suo salutem*, quæque *licentiore epistola* amico Cæsari narravit. Rezz. — Recepimus et nos, auctore Rezzonico, hanc vocem, quæ in Dalecampio, Harduino cæterisque deest. Ed.

C. PLINII SECUNDI

HISTORIARUM MUNDI

ELENCHOS[1],

QUI ET LIBER PRIMUS.

Libro II continetur de Mundo et Elementis.

1. *Elenchos*. Index iste in nullo exemplari manuscripto est integer: et qui locupletissimus ex iis repertus est, a nobis nihilominus augendus multis locis fuit, id quod Italico charactere fecimus. Ex eo autem indicio apparet, jure non videri esse hunc Plinii, hoc est, scriptoris perquam accurati fœtum. Hard.—Immo verissimus Plinii fetus est *elenchus* iste, sive *index* (Plinio dicitur *elenchos*, græca terminatione); sed misere deformatus ad nos pervenit, incuria et fastidio librariorum, quibus jejuna sorderet nomenclatura. Harduino quidem non objiciam Plinianæ præfationis testimonium, in qua compendium hoc totius operis diserte ac duobus locis prænunciari vidimus; nam Harduinus ne præfationi quidem parcit, eamque velut confictam et spuriam insectatur. Verum Plinius loco non controverso, lib. XVII, 2: « Aquilonis situm, inquit, ventorumque reliquorum nos diximus secundo volumine. » Idem lib. XVIII, 75, de Lunæ aspectu disserens: « neque, ait, facilior est observatio ac jam dicta a nobis secundo volumine. » Passimque alias secundum vocat, qui nobis secundus est liber, primus

certe dicendus, si spuria essent præfatio et elenchus. Ab antiquis item auctoribus Gellio, Charisio, Prisciano, aliis, libri naturalis historiæ eodem ordine recensentur quem nunc habemus (vide illorum Testimonia); Cæcilius denique triginta septem libros ab avunculo scriptos ait, qui omisso elencho triginta sex numerandi essent, teste ipso Plinio in præfatione sua. Restat ut periisse verum Plinii indicem et postea suppletum fuisse dicas ab aliquo recentiorum; sed quis inter neotericos tot auctorum nomina vix doctissimis nota in singulos libros congesserit? Et ecce Plinius ad elenchum nostrum ipse provocat, libro XVIII, 5, ubi complures magni nominis auctores de agrorum cultura scripsisse commemorat, «quos sequentes, inquit, prætexuimus in hoc volumine, non ingrate nominando M. Varronem.» Enimvero in hoc elencho ad librum decimum octavum M. Varro non ultimus nuncupatur. Ac vide, quæso, verborum convenientiam. Dixerat in præfatione Noster: «in his voluminibus auctorum nomina prætexui.» Eumdem stylum agnoscis. Primum ergo librum a Plinii manu profectum esse nemo sanus dubitabit, frustra obstrepente Harduino. Cæterum duæ hujus editiones admodum diversæ circumferuntur. Vetustiorem illam, quam Dalecampius satis probe constituerat, Harduinus multis in locis refecit: capitum numeros, textum ipsum sæpe mutavit; quædam addidit de suo, salva tamen fide, quoniam hæc diverso charactere scripsit. Porro quum se manuscriptis optimis usum testetur, ac plerumque illi adhærere solemus, ne in hac quidem parte deficere a duce nostro ausi sumus; priscum tamen Dalecampii textum in fine Pliniani operis inter indices edendum curabimus, ut utrasque lectiones facile quivis conferre possit. Ed.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Sulpicio Gallo, [1] Tito Cæsare Imperatore, Q. Tuberone, [2] Tullio Tirone, L. Pisone, T. Livio, Corn. Nepote, Statio Seboso, Cælio Antipatro, Fabiano, Antiate, Muciano, Cæcina qui de Etrusca disciplina scripsit, Tarquitio qui item, Julio Aquila qui item, Sergio Paulo.

Externis :

Platone, Hipparcho, Timæo, Sosigene, Petosiri, Necepso, Pythagoricis, Posidonio, Anaximandro, Epigene Gnomonico, Euclide, Cœrano Philosopho, Eudoxo, Democrito, Critodemo, Thrasyllo, Serapione, Dicæarcho, Archimede, Onesicrito, Eratosthene, Pythea, Herodoto, Aristotele, Ctesia, Artemidoro Ephesio, Isidoro Characeno, Theopompo.

Libro III continentur situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensuræ, populi qui sunt aut fuerunt,

Europæ *in universum fines ac situs præmittuntur.* CAP. I.

Tum Hispaniæ totius. II.

1. *Tito Cæsare.* In codd. MSS. *T. Cæsare Imp.* quod imperiti de Tiberio acceperunt, atque ita in libris ediderunt, qui hactenus sunt typis impressi. Vide quæ dicturi sumus lib. II, cap. 22. In veteribus nummis et inscriptionibus, T. Titum, Ti. Tiberium significat. Hard.

2. *Tullio Tirone.* Ita quidem MSS. quos vidi. At Parmensis editio, aliæque vett. *Tullio Cicerone :* id quod fortassis sincerius est : plurima certe quidem in Tullianis libris similia esse hoc operis Pliniani secundo volumine, sumus ostensuri sæpissime : quid a Tirone acceperit, difficile est conjicere, præter locum fortassis unum, quem sect. 39. hujus libri indicaturi sumus. Hard.

1. *Oppida et gentes*, etc. Deest numerus in omnibus MSS. HARD. —Minime est dolenda talis jactura, quum plerique numeri in hoc elencho turpiter depravati ad nos pervenerint. ED.

Insulæ....

Quæ intercidere oppida aut gentes....

Res, et historicæ, et observationes CCCXXVI.

Ex Auctoribus:

Turannio Gracile, Corn. Nepote, T. Livio, Catone Censorio, M. Agrippa, M. Varrone, Divo Augusto, Varrone Atacino, Antiate, Hygino, L. Vetere, Mela Pomponio, Curione patre, Cælio, Arruntio, Seboso, Licinio Muciano, Fabricio Tusco, L. Atteio Capitone, Verrio Flacco, L. Pisone, [1] Gelliano, Valeriano.

Externis:

Artemidoro, Alexandro Polyhistore, Thucydide, Theophrasto, Isidoro, Theopompo, Metrodoro Scepsio, Callicrate, Xenophonte Lampsaceno, Diodoro Syracusano, Calliphane, Timagene.

Libro IV continentur situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensuræ, populi qui sunt aut fuerunt,

1. *Gelliano.* In libris editis hactenus perperam legebatur, *C. Æliano:* in Regio 1 et 2, *Celliano.* Citatur Gellianus sect. 17. Vide Auctorum Indicem, sub libri hujus calcem additum. Hard.

1. *Oppida et gentes.* Numerus deest in omnibus MSS. HARD.

Flumina clara . . . .

Montium clari . . . .

Insulæ . . . .

Quæ intercidere oppida, aut gentes . . . .

Res, Historiæ, et observationes [1] . . .

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Catone Censorio, M. Agrippa, Divo Augusto, Varrone Atacino, Corn. Nepote, Hygino, L. Vetere, Pomponio Mela, Licinio Muciano, Fabricio Tusco, Atteio Capitone, Atteio Philologo.

Externis :

Polybio, Hecatæo, Hellanico, Damaste, Eudoxo, Dicæarcho, Timosthene, Ephoro, Cratete Grammatico, Serapione Antiochense, Callimacho, Artemidoro, Apollodoro, Agathocle, [2] Eumacho, Timæo Siculo, Myrsilo, Alexandro Polyhistore, Thucydide, Dosiade, Anaximandro, Philistide Mallote, Dionysio, Aristide, Callidemo, Menæchmo, [3] Aglosthene, Anticlide, Heraclide, Philemone, [4] Xenophonte, Pythea, Isidoro, Philonide, Xenagora, Astynomo, Staphylo, Metrodoro, Cleobulo, Posidonio.

1. *Observationes.* Numerus hic, ut in præcedentibus, deest. Ed.

2. *Eumacho.* In editis hactenus legebatur, *Eumacho Siculo Musico.* In R. 1, 2, *Timæo Siculo Musseio.* In Colb. 2. *Timæo Siculo Mursilo.* Unde nos sinceram lectionem eruimus. Vide Indicem Auctorum. Hard.

3. *Aglosthene.* Ita restituimus, quum prius legeretur *Ædosthene.* Vide Indicem Auctorum. Hard.

4. *Xenophonte.* Lampsaceno scilicet, cujus mentio apud Plin. libri hujus sect. 27, et in Indice prioris ac subsequentis libri. In editis hactenus corrupte legitur, *Menephonte.* Hard.

Libro V continentur situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensuræ, populi qui sunt aut fuerunt,

Summa : Oppida, et gentes[1] . . . .
Flumina clara . . . .
Montium clari . . . .
Insulæ, CXVIII . . . .
Quæ intercidere oppida aut gentes . . . .
Res, Historiæ et observationes . . . .

Ex Auctoribus :

Agrippa, Suetonio Paulino, M. Varrone, Varrone Atacino, Cornelio Nepote, Hygino, L. Vetere, Mela, Domitio Corbulone, Licinio Muciano, Cl. Cæsare, Arruntio, Livio filio, Seboso, Actis triumphorum.

Externis :

Juba rege, Hecatæo, Hellanico, Damaste, Dicæarcho,

1. *Oppida et gentes.* Numerus deest in omnibus MSS. Numerus insularum CXVIII manifesto in mendo cubat. Forte CCCXVIII. HARD.

Bætone[1], Timosthene, Philonide, Xenagora, Astynomo, Staphylo, Aristotele, Dionysio, Aristocrito, Ephoro, Eratosthene, Hipparcho, Panætio, Serapione Antiocheno, Callimacho, Agathocle, Polybio, Timæo Mathematico, Herodoto, Myrsilo, Alexandro Polyhistore, Metrodoro, Posidonio qui περίπλουν aut περιήγησιν, Sotade, Periandro, Aristarcho Sicyonio, Eudoxo, Antigene, Callicrate, Xenophonte Lampsaceno, Diodoro Syracusano, Hannone, Himilcone, Nymphodoro, Calliphane, Artemidoro, Megasthene, Isidoro, Cleobulo, Aristocreonte.

Libro VI continentur situs, gentes, maria, oppida, portus, montes, flumina, mensuræ, populi qui sunt aut fuerunt,

1. *Bætone*. Ita restituimus ex R. 1, 2, et Colb. 2, pro *Bione*. In Indice libri seq. rursum Dicæarcho, ut hic, Bæto subjungitur. Hard.

Summa : Oppida, MCXCV.
Gentes, DLXXVI.
Flumina clara, CXV.
Montes clari, XXXVIII.
Insulæ, CVIII.
Quæ intercidere oppida aut gentes, XCV.

Res, Historiæ, et observationes, MMCCXIV.

1. *Gedrosi, etc.* Pro his Broterius legit : *Ariani et junctæ gentes.* ED.

2. *Mensuræ.* Brot. *per mensuras.* An ex idoneo codice? ED.

Ex Auctoribus :

M. Agrippa, M. Varrone, Varrone Atacino, Corn. Nepote, Hygino, L. Vetere, Mela Pomponio, Domitio Corbulone, Licinio Muciano, Claudio Cæsare, Arrontio, Seboso, Fabricio Tusco, T. Livio, Seneca, Nigidio.

Externis :

Juba[1] rege, Hecatæo, Hellanico, Damaste, Eudoxo, Dicæarcho, Bætone, Timosthene, Patrocle, Demodamante, Clitarcho, Eratosthene, Alexandro Magno, Ephoro, Hipparcho, Panætio, Callimacho, Artemidoro, Apollodoro, Agathocle, Polybio, [2]Eumacho, Timæo Siculo, Alexandro Polyhistore, Isidoro, Amometo, Metrodoro, Posidonio, Onesicrito, Nearcho, Megasthene, Diogneto, Aristocreonte, Bione, [3]Dalione, Simonide minore, Basile, Xenophonte Lampsaceno.

Libro VII continetur hominum generatio et institutio, atque inventio artium.

1. *Juba.* Ita R. 1, 2. In editis hactenus libris, *Polybio, Hecatæo :* male, quum Polybius iterum inferius repetatur. Hard.

2. *Eumacho.* Timæum Siculum rursus suo loco reddidimus ex iisdem codd. quum in vulgatis editionibus legeretur, *Eumacho Siculo.* Hard.

3. *Dalione.* Ita nos emendavimus, pro *Dialdon.* Laudatur Dalion sect. 35, libri hujus. Hard.

Summa. Res, historiæ, et observationes, DCCXLVII.

Ex Auctoribus :

Verrio Flacco, Cn. Gellio, Licinio Muciano, Massurio Sabino, Agrippina [1] Claudii, M. Cicerone, Asinio

1. *Claudii.* Ita editi omnes et Colb. 2. Perperam emendant *Claudio Cæsare.* Laudatur Agrippina Claudii, sect. 6, libri hujus. Paulo antea, post *Muciano, Mucio* expunximus, natum ex prioris vocis repetitione, secuti eumdem cod. Colb. 2. HARD.

Pollione, Messala, Rufo, Corn. Nepote, Virgilio, Livio, Cordo, Melisso, Seboso, Corn. Celso, Maximo Valerio, Trogo, Nigidio Figulo, Pomponio Attico, Pediano Asconio, [1] Fabiano, Catone Censorio, [2] Actis, Fabio Vestale.

Externis:

Herodoto, Aristea, Bætone, Isigono, Cratete, Agatharchide, Calliphane, Aristotele, Nymphodoro, Apollonide, Phylarcho, Damone, Megasthene, Ctesia, Taurone, Eudoxo, Onesicrito, Clitarcho, Duride, Artemidoro, Hippocrate medico, Asclepiade medico, Hesiodo, Anacreonte, Theopompo, Hellanico, Damaste, Ephoro, Epigene, Beroso, Petosiri, Necepso, Alexandro Polyhistore, Xenophonte, Callimacho, Democrito, [3] Diyllo historico, Stratone qui contra [4] Ephori εὑρήματα scripsit, Heraclide Pontico, Asclepiade qui τραγῳδούμενα, Philostephano, Hegesia, Archimacho, Thucydide, Mnesigitone, Xenagora, Metrodoro Scepsio, Anticlide, Critodemo.

Libro VIII continentur terrestrium animalium naturæ.

1. *Fabiano.* Prius in editis *Sabino*. Nos ita reposuimus ex R. 2, quum Sabinus habere locum in hoc libro nullus queat, præter Massurium Sabinum, jam antea in hoc ipso Indice laudatum. Hard.

2. *Actis.* Hanc vocem addidimus ex R. 1, 2, Colb. 2. Hard.

3. *Diyllo.* Prius *Duillio*, *Polyhistore historico*: male. Vide Auctorum syllabum. Expunximus et hanc vocem *Polyhistore*, ex superiori versu a librariis imprudenter iterum huc revocatam. Hard.

4. *Ephori.* Hunc locum ita correximus, quum antea legeretur, *contra Ephori theoremata*. Vide syllabum Auctorum. Hard.

Ex Auctoribus :

Muciano, Procilio, Verrio Flacco, L. Pisone, Corn. Valeriano, Catone Censorio, Fenestella, Trogo, [1] Actis, Columella, Virgilio, Varrone, [2] Lucilio, Metello Scipione,

1. *Actis.* Ita R. 1, 2, Colb. 2, ut in superiorum librorum Indice : in editis *Actio* mendose. HARD.

2. *Lucilio.* Ita restituimus ex R. 1, 2, quum antea perperam legeretur, *L. Metello Scipione.* HARD.

Corn. Celso, Nigidio, Trebio Nigro, Pomponio Mela, Mamilio[1] Sura.

Externis :

Juba rege, Polybio, Herodoto, Antipatro, Aristotele, Demetrio Physico, Democrito, Theophrasto, Evanthe, Agrippa qui [2] Ὀλυμπιονίκας, Hierone rege, [3] Attalo Philometore item, Ctesia, Duride, Philisto, Archyta, Philarcho, Amphilocho Athenæo, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Aristandro Athenæo, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Athenæo, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphronio Athenæo, Hegesia Maroneo, Menandris, Prienæo et Heracleote, Menecrate poeta, Androtione qui de agricultura scripsit, Æschrione qui item, [4] Lysimacho qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Archelao rege, Nicandro.

LIBRO IX continetur aquatilium natura.

1. *Mamilio*. Ex iisdem codd. tum hoc loco, tum in Indice lib. X. Antea *Manilio*, male. HARD.

2. Ὀλυμπιον. Qui de victoribus Olympiorum scripsit. HARD.

3. *Attalo*. Vide Auctorum Indicem : locum hunc a nobis emendatum intelliges. HARD.

4. *Lysimacho*. Hunc addidimus ex iisdem MSS. HARD.

1 *Piscentur.* Ita recte Colb. etsi alii legant, *miscentur.* Sic in Ind. lib. seq. « Quibus in locis societate accipitres et homines aucupentur. » Et sane quam diligentem ac fidam piscatoribus operam delphini navarent in captura mugilum, describitur a Plinio hoc libro, cap. 9. HARD.

1. *Quæ nationes.* Libentius agnoverim, *quæ rationes.* HARD.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, DCL.

Ex Auctoribus :

Turranio Gracile, Trogo, Mæcenate, Alfio Flavio, Corn. Nepote, Laberio mimographo, Fabiano, Fenestella, Muciano, Ælio Stilone, Statio Seboso, Melisso, Seneca, Cicerone, Macro Æmilio, Messala Corvino, Trebio Nigro, Nigidio.

Externis :

Aristotele, Archelao rege, Callimacho, Democrito, Theophrasto, Thrasyllo, Hegesidemo Cythnio, Alexandro Polyhistore.

LIBRO X continentur volucrum naturæ.

Summa. Res, et Historiæ, et observationes, DCCXCIV.

Ex Auctoribus :

Manilio, Corn. Valeriano, Actis, Umbricio Meliore, Massurio Sabino, Antistio Labeone, Trogo, Cremutio, M. Varrone, Macro Æmilio, Melisso, Muciano, Nepote, Fabio Pictore, T. Lucretio, Corn. Celso, Horatio, [1] D. Eculeone, Hygino, Sasernis [2], Nigidio, Mamilio Sura.

Externis :

Homero, Phemonoe, Philemone, [3] Bœo qui ὀρνιθογονίαν, Hyla qui de auguriis, Aristotele, Theophrasto, Callimacho, Æschylo, Hierone rege, Philometore rege, Archyta Tarentino, Amphilocho [4] Atheniense, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cimæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Aristandro Atheniense, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Atheniense, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Democrito, Diophane Nicæense, Epigene Rhodio, Evagone [5] Thasio, Euphronio Athenæo, Juba, Androtione qui de agricultura, Æschrione qui item, Lysimacho qui

1. *D. Eculeone*. Ita correximus, pro *Desulone*, quæ nihil vox est. Vide syllabum Auctorum. HARD.

2. *Sasernis*. Male antea *Sarsenis*. Vide Auctorum syllabum. HARD.

3. *Bœo*. Nos ita emendavimus, quum prius *Boëto* et *Boetho* legeretur. Vide syllabum Auctorum. HARD.

4. *Atheniense*. Plinius *Atheniensi* diceret. HARD. — Utrumque recte dici grammatici docent. ED.

5. *Evagone*. In editis prius *Evagora*, male. Nos *Evagone*, ex R. 1, 2. Colb. 2, et Th. HARD.

item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Nicandro, Onesicrito, Phylarcho, Hesiodo.

Libro XI continentur insectorum animalium genera.

1. *Conniveant.* MSS. *colluceant*, male. HARD.— Plinius ipse, XI, 55 : «non connivere diximus, etc.» ED.

2. *Animantium.* Ita emendavimus, quum in MSS. perperam *ruminantium* legatur. HARD.

1. *Jocinera.* Plinius *jecinera* scribit, non *jocinera.* HARD.

1. *Non fiat.* Subintelligitur caseus. Sed mihi videtur potiùs legendum, *non fiant*; vel paulo ante, *de caseo.* Quanquam in hoc elencho multa occurrunt pariter incorrecta. Ed.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, MMCCLXX.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Hygino, Scropha, Saserna, Celso Cornelio, Æmilio Macro, Virgilio, Columella, Julio Aquila qui de Etrusca disciplina scripsit, Tarquitio qui item, Umbricio qui item, Catone Censorio, Domitio Calvino, Trogo, Melisso, Fabiano[1], Muciano, Nigidio, Mamilio[2], Oppio[3].

Externis :

Aristotele, Democrito, Neoptolemo qui μελιτουργικὰ[4], Aristomacho qui item, Philisto qui item, Nicandro, Menecrate, Dionysio qui Magonem transtulit, Empedocle, Callimacho, Attalo rege, Apollodoro qui de bestiis venenatis, Hippocrate, Herophilo[5], Erasistrato, Asclepiade[6], Themisone, Posidonio Stoico, Menandris Prienense et Heracleote, Euphronio Athenæo, Theophrasto, Hesiodo, Philometore rege.

1. *Fabiano.* Vulgo in editis, *Favonio Fabiano :* voce una scilicet eademque bis posita, et ex unico auctore duobus confictis. HARD.

2. *Mamilio.* Nempe Mamilio Sura, qui cum Nigidio in superiore Indice pariter jungitur. Ita Chiffl. cod. R. 1, 2. In editis, *Manilio*, male. HARD.

3. *Oppio.* Ita Chiffl. R. 1, 2. Colb. 2. Prius *Opio*, male. Nota gens Oppia. HARD.

4. Μελιτουργικά. De ratione mellis parandi. HARD.

5. *Herophilo.* Ita emendavimus, quum prius legeretur, *Eriphilo.* Reg. 1, 2. *Erophylo.* Vide Auctorum syllabum. HARD.

6. *Asclepiade.* In editis *Asclepio :* sed mendose. Is est Asclepiades medicus, de quo in sequentibus Indicibus mentio erit : nos de eo in syllabo Auctorum ampliora dicemus. HARD.

Libro XII continentur arborum naturæ.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, DCCCCLXXIV.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Muciano, Virgilio, Fabiano, Seboso, Pomponio Mela, Flavio[1], Procilio, Trogo, Hygino, Claudio Cæsare, Corn. Nepote, Sextio Nigro qui Græce de medicina scripsit, Cassio Hemina, L. Pisone, Tuditano, Antiate.

Externis :

Theophrasto, Herodoto, Callisthene, Isigono[2], Clitarcho, Anaximene, Duride, Nearcho, Onesicrito, Polycrito, Olympiodoro, Diogneto, Nicobulo, Anticlide, Charete Mitylenæo[3], Menæchmo, Dorotheo Athenæo[4], Lyco, Antæo, Ephippo, Chærea, Democle, Ptolemæo Lago, Marsya Macedone, Zoilo item, Democrito, Amphilocho, Aristomacho, Alexandro Polyhistore, Juba,

1. *Flavio.* Is est Alfius Flavius, de quo in Auctorum Indice. Alter Procilius, de quo ibi etiam dicturi sumus. Nos ita edidimus ex utroque R. eod. Hactenus in editionibus *Flavio Proculo* legebatur, duobus scriptorum nominibus in unum procusis. HARD.

2. *Isigono.* Vulg. *Isidoro.* At secuti sumus R. 1, 2. Chiffl. Colb. 2. H.

3. *Charete.* Ita emendavimus, pro *Charace*, ex Colb. 2. Vide et Auctorum syllabum. HARD.

4. *Dorotheo.* Ita codices laudati, in quibus abest vox *Xenia*, quam libri impressi habent : haud gravi jactura, quum nusquam in toto opere appelletur a Plinio. HARD.

Apollodoro qui de odoribus scripsit, Heraclide medico, Archidemo item, Dionysio item, Democede item[1], Euphronio item, Mneside item[2], Diagora item, Iolla item, Heraclide Tarentino, Xenocrate Ephesio[3].

Libro XIII continentur historiæ de peregrinis arboribus, et unguentis.

1. *Democede*. Vulgatæ editiones, *Democlide*, gravi errore. Vide Auctorum Indicem. Item *Euphronio* pro *Euphrone*, emendamus, ex iisdem codd. Hard.

2. *Mneside*. Ita reponimus ex R. 2, et ex Prisciano Grammatico. In vulg. edit. *Obsenide*, absurde. Ex Indice librorum sequentium error deprehenditur. Hard.

3. *Xenocrate*. Ita codd. R. 1, 2. Colb. 2, habent, tum hoc loco, tum in sequenti Indice : non, ut libri editi, *Xenocrito*. Hard. — Post verba *Xenocrito Ephesio*, addit Dalecampius *Eratosthene*. Ed.

1. *Epipactis. Epicactis* in omnibus sed male. Vide ad h. l. Ed.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, CCCCLXVIII.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Muciano, Virgilio, Fabiano, Seboso, Pomponio Mela, Fabio[1], Hygino, Trogo, Procilio, Claudio Cæsare, Corn. Nepote, Sextio Nigro qui Græce de medicina scripsit, Cassio Hemina, L. Pisone, Tuditano, Antiate.

Externis :

Theophrasto, Herodoto, Callisthene, Isigono[2], Clitarcho, Anaximene, Duride, Nearcho, Onesicrito, Polycrito, Olympiodoro, Diogneto, Cleobulo, Anticlide, Charete Mitylenæo, Menæchmo, Dorotheo Atheniense, Lyco, Antæo, Ephippo, Dione, Adimanto, Ptolemæo Lago, Marsya Macedone, Zoilo item, Democrito, Amphilocho, Alexandro Polyhistore, Aristomacho, Juba rege, Apollodoro qui de odoribus scripsit, Heraclide medico, Botrye medico, Archidemo item, Dionysio item, Democede item, Euphronio item, Mneside item, Diagora item, Iolla item, Heraclide Tarentino, Xenocrate Ephesio.

1. *Fabio*. Est is Fabius Pictor, ut ex Indice libri sequentis plane apparet. Hard.

2. *Isigono*. Sic MSS. omnes, *Isidoro*, ut habent editi. Iterum in hoc Indice emendamus, uti supra *Charede*, *Democede*, *Euphronio*, *Charace*, *Democlide*, *Euphrone*. H.

Libro XIV continentur fructiferæ arbores.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, DX.

Ex Auctoribus:

Corn. Valeriano, Virgilio, Celso, Catone Censorio, Sasernis patre et filio, Scropha, Varrone, D. Silano, Fabio Pictore, Trogo, Hygino, Flacco Verrio, Græcino, Julio Attico[1], Columella, Massurio Sabino, Fenestella, Tergilla, M. Accio Plauto, Flavio, Dosseno[2], Scævola, Ælio, Atteio Capitone, Cotta Messalino, L. Pisone, Pompeio Lenæo, Fabiano, Sextio Nigro, Vibio Rufo.

Externis:

Hesiodio, Theophrasto, Aristotele, Democrito, Attalo Philometore rege, Hierone rege, Archyta, Xenophonte, Amphilocho Athenæo, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Aristandro Athenæo, Botrye item, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Atheniense, Chæristo item, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphronio Athenæo[3], Androtione qui de agricultura scripsit, Æschrione qui item, Lysimacho qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Asclepiade medico, Onesicrito, Juba rege.

Libro XV continentur naturæ frugiferarum arborum.

De olea. Quandiu apud Græcos tantum fuerit. Quando primum in Italia, Hispania, Africa, esse cœperit. CAP. I.

1. *Julio Attico.* Sic emendamus ex R. 1, 2. Colb. 2, et Th. quum prius corrupte legeretur, *Græcino Julio, Actio.* Hard.

2. *Dosseno.* In vulg. *Dorseno.* H.

3. *Euphronio.* Ita codd. omnes supra laudati. Male in editis hactenus libris, *Euphrone.* Hard.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, DXX.

Ex Auctoribus :

Fenestella, Fabiano, Virgilio, Corn. Valeriano, Celso, Catone Censorio, Sasernis patre et filio, Seropha, M. Varrone, D. Silano, Fabio Pictore, Trogo, Hygino, Flacco Verrio, Græcino, Attico Julio, Massurio Sabino, Tergilla, Cotta Messalino, Columella, L. Pisone, Pompeio Lenæo, M. Accio Plauto, Flavio, Dosseno, Scævola, Ælio, Atteio Capitone, Sextio Nigro, Vibio Rufo.

Externis :

Hesiodo, Aristotele, Democrito, Hierone rege, Archyta, Attalo Philometore rege, Xenophonte, Amphilocho Athenæo, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno[1], Aristandro Athenæo, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Athenæo, Chæristo item, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphronio Athenæo, Androtione qui de agricultura scripsit, Æschrione qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen

1. *Apollonio.* Ita restituimus ex R. 1, 2, Colb. 2, et ex Indice libri sup. ac lib. XVII, pro *Apollodoro* quem vitiose libri impressi habent. H.

fecit, Asclepiade medico, Erasistrato item, Commiade qui de conditura vini, Aristomacho qui item, Hicesio qui item, Themisone medico, Onesicrito, Juba rege.

Libro XVI continentur silvestrium arborum naturæ.

1. *Rimam.* Prius in editis, *ruinam*, male. HARD.

Summa. Res, et historiæ, et observationes MCCXXXV.

Ex Auctoribus:

M. Varrone, Fetiale, Nigidio, Cornelio Nepote, Hygino, Massurio, Catone, Muciano, L. Pisone, Trogo, Calpurnio Basso, Cremutio, Sextio Nigro, Corn. Boccho, Vitruvio, Græcino.

Externis:

Alexandro Polyhistore, Hesiodo, Theophrasto, Democrito, Homero, Timæo mathematico.

1. *Arbores.* Totum hunc locum male interpunxit Harduinus. Ed.

Libro XVII continentur sativarum arborum naturæ.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, MCCCLXXX.

Ex Auctoribus :

Cornelio Nepote, Catone Censorio, M. Varrone, Celso, Virgilio, Hygino, Sasernis patre et filio, Scropha, Calpurnio Basso, Trogo, Æmilio Macro, Græcino, Columella, Attico Julio, Fabiano, Sura Mamilio, Dosseno Mundo, C. Epidio [2], L. Pisone.

Externis :

Hesiodo [3], Theophrasto, Aristotele, Democrito, Theo-

1. *Castratio.* Rectius *scarificatio.* Hard.

2. *C. Epidio.* Ita restituimus ex R. 2, et Th. Vide Auctorum syllabum. H. — Olim *Epidico* legebatur, græcum, haud latinum nomen. Ed.

3. *Hesiodo.* In editis prius *Isidoro*, legebatur. Nos secuti sumus R. 1, 2. Colb. 2, Th. ac libri sequentis Indicem. Hard.

pompo, Hierone rege, Attalo Philometore rege, Archyta, Xenophonte, Amphilocho Atheniense, Anaxipoli Thasio, Apollodoro Lemnio, Aristophane Milesio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Atheniense, Chæristo item, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphronio Athenæo, Androtione qui de agricultura scripsit, Æschrione qui item, Lysimacho qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Aristandro qui de portentis.

Libro XVIII continentur naturæ frugum.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, MMLX.

Ex Auctoribus:

Massurio Sabino, Cassio Hemina, Verrio Flacco, L. Pisone, Corn. Celso, Turranio Gracile, D. Silano, M. Varrone, Catone Censorio, Scropha, Sasernis patre et filio, Domitio Calvino, Hygino, Virgilio, Trogo, Ovidio, Græcino, Columella, Tuberone, L. Tarutio qui Græce de astris scripsit, Cæsare Dictatore qui item, Sergio Paulo, Sabino Fabiano, M. Cicerone, Calpurnio Basso, Atteio Capitone, Mamilio Sura, Accio qui Praxidica.

Externis:

Hesiodo, Theophrasto, Aristotele, Democrito, Hierone rege, Attalo Philometore rege, Archelao rege, Archyta, Xenophonte, Amphilocho Athenæo, Anaxipoli Thasio, Aristophane Milesio, Apollodoro Lemnio, Antigono Cymæo, Agathocle Chio, Apollonio Pergameno, Aristandro Athenæo, Bacchio Milesio, Bione Solense, Chærea Atheniense, Chæristo item, Diodoro Prienæo, Dione Colophonio, Epigene Rhodio, Evagone Thasio, Euphronio Athenæo, Androtione qui de agricultura scripsit, Æschrione qui item, Lysimacho qui item, Dionysio qui Magonem transtulit, Diophane qui ex Dionysio epitomen fecit, Thalete, Eudoxo, Philippo, Calippo, Dositheo, Parmenisco, Metone[1], Critone, OEnopide, Zenone, Euctemone, Har-

1. *Metone*. Sic emendavimus. *Meltone* prius mendose legebatur. HARD.

palo, Hecatæo, Anaximandro, Sosigene, Hipparcho, Arato, Zoroastre, Archibio.

Libro XIX continentur lini natura, et cultus hortensiorum.

Summa. Res, et historiæ, ct observationes, MCXLIV.

Ex Auctoribus :

M. Accio Plauto, M. Varrone, D. Silano, Catone Censorio, Hygino, Virgilio, Muciano, Celso, Columella, Calpurnio Basso, Mamilio Sura, Sabino Tirone, Licinio Macro, Q. Hirtio[1], Vibio Rufo, Cæsennio qui κηπουρικὰ[2] scripsit, Castritio item, Firmo item, Petricho[3].

Externis :

Herodoto, Theophrasto, Democrito, Aristomacho, Menandro qui Βιόχρηστα[4] scripsit, Anaxilao.

Libro XX continentur medicinæ ex his quæ seruntur in hortis.

1. *Q. Hirtio.* In Th. et Colb. 2, *Q. Hirrio.* Hard. — Sic quoque in aliis legi testatur Dalecampius. Ed.

2. Κηπουρικὰ. Hoc est, de rebus hortensibus. Hard.

3. *Petricho.* In editis *Petreio.* Nos *Petricho* emendavimus. Vide Auctorum syllabum. Hard.

4. Βιόχρηστα. Vitæ et victui utilia. Hard.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, MDCLX.

Ex Auctoribus :

Catone Censorio, M. Varrone, Pompeio Lenæo, C. Valgio [1], Hygino, Sextio Nigro qui Græce scripsit, Julio Basso qui item, Celso, Antonio Castore.

Externis :

Democrito, Theophrasto, Orpheo, Menandro qui Βιόχρηστα scripsit, Pythagora.

Medicis :

Hippocrate, Nicandro, Chrysippo, Diocle, Ophelione [2], Heraclide, Hicesio, Dionysio, Apollodoro Tarentino, Apollodoro Citiense, Praxagora, Plistonico, Medio, Dieuche, Cleophanto, Philistione [3], Asclepiade, Crateva, Petronio Diodoto, Iolla, Erasistrato, Diagora, Andrea, Mneside, Epicharmo, Damione, Dalione, Sosimene, Tlepolemo [4], Metrodoro, Solone, Lyco, Olympiade Thebana, Philino [5], Petricho, Mictone, Glaucia, Xenocrate.

1. *C. Valgio.* Ita emendavimus tum ex R. 2. Colb. 2, et Th. tum ex Indicibus librorum sequentium : quum prius in editis legeretur, *Gallione.* HARD.

2. *Ophelione.* In editis, *Ophione*, R. 1, 2, et Colb. 2, *Ophlone.* Nos inde *Ophelione,* conjecimus, de quo in Auctorum syllabo. HARD.

3. *Philistione.* Vulgo libri præferunt *Plistione.* Sinceram lectionem firmstam vidimus auctoritate MSS. Reg. 1, 2. Colb. 2, et Th. et ex lib. XX, cap. 48. HARD.

4. *Tlepolemo.* Its prædicti codices : non, nt in libris, *Theopolemo.* HARD.

5. *Philino.* Tria hæc nomins sanavimus fœde corrupta, quæ prius ita legebantur, *Phyllino*, *Petreio Mictione.* Vide Auctorum syllabum. HARD.

Libro XXI continetur natura florum et coronamentorum.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DCCXXX.

Ex Auctoribus :

Catone Censorio, M. Varrone, Massurio, Antiate, Cæpione[1], Vestino, Vibio Rufino, Hygino, Pomponio Mela, Pomponio Lenæo, Cornelio Celso, Calpurnio Basso, C. Valgio[2], Licinio Macro, Sextio Nigro, qui Græce scripsit, Julio Basso qui item, Antonio Castore.

1. *Cæpione*. Male in editis *C. Helio Vestino*. In R. 1, 2. Colb. *Cælione*. Nos inde Cæpionem expressimus, qui laudatur a Plinio, cap. 10 libri hujus. HARD.

2. *C. Valgio*. Ex vestigiis codicum, R. 1, 2, in quibus legitur *Vargio*, veram lectionem eruimus, pro *P. Largio*, quem exemplaria hactenus impressa exhibent. Juvant et aliorum librorum Indices, in quibus idem fere observatur ordo nomenclaturæ scriptorum. HARD.

Externis :

Theophrasto, Democrito, Orpheo, Pythagora, Magone, Menandro qui Βιόχρηστα scripsit, Nicandro, Homero, Hesiodo, Musæo, Sophocle, Anaxilao.

Medicis :

Mnesitheo qui de coronis[1], Callimacho qui item, Phania physico, Simo, Timaristo[2], Hippocrate, Chrysippo, Diocle, Ophelione, Heraclide, Hicesio, Dionysio, Apollodoro Citiense, Apollodoro Tarentino, Praxagora, Plistonico, Medio[3], Dieuche, Cleophanto, Philistione, Asclepiade, Crateva, Petronio Diodoto, Iolla, Erasistrato, Diagora, Andrea, Mneside, Damione, Dalione, Sosimene, Tlepolemo, Metrodoro, Solone, Lyco, Olympiade Thebana, Philino, Petricho, Mictone, Glaucia, Xenocrate.

Libro XXII continetur auctoritas herbarum et frugum.

1. *Mnesitheo.* Editi libri, *Mnesitheo.* Vide syllabum Auctorum. H.

2. *Timaristo.* Forte *Timareto*, ut in Colb. 2. Hard.

3. *Medio.* Ita nos restituimus, quum prius legeretur, *Plistonico Medico :* etsi hanc lectionem incautus approbet Reinesius, lib. II, Var. Lect. cap. 6. Vide Indicem Auctorum. Hard.

1. *Acercum*. Forte *astericum* vel *altercum*. HARD.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DCCCCVI.

Ex Auctoribus :

Iisdem, quibus priore libro, et præter eos, Chrysermo, Eratosthene, Alcæo.

Libro XXIII continentur medicinæ ex arboribus cultis.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, MCCCCXVIII.

Ex Auctoribus :

C. Valgio, Pompeio Lenæo, Sextio Nigro qui Græce scripsit, Julio Basso qui item, Antonio Castore, M. Varrone, Cornelio Celso, Fabiano.

Externis, et Medicis :

Iisdem, quibus libro XXI.

LIBRO XXIV continentur medicinæ ex arboribus silvestribus.

1. *Diaxylo*. Vulgo *diatiron*, sed barbare. Ed.

1. *Rhodora.* Colb. 2. *Rodarum.* Hard.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, MCLXXVI.

Ex Auctoribus :

Iisdem, quibus anteriore libro.

Libro XXV continentur naturæ herbarum sponte nascentium, et auctoritas.

1 *Cachlas.* Omnes MSS. et edd. *sive cachlam;* sed omnino solœce. Verba *sive cachlam* ab inepto interpolatore forsitan huc intrusa fuerint. Ed.

Ex Auctoribus :

Iisdem quibus supra, et præter eos Xantho.

LIBRO XXVI continentur reliquæ ex herbis per genera morborum medicinæ.

1. *Molemonium.* Barbare. *Lemonium*, an *Polemonium* legendum? Ed.

1. *Corison.* Apud Dioscoridem *corion*, servata Græcæ linguæ analogia. *Coriton* autem barbarum nescio quid redolet, ut vix scias, ad cujus declinationis normas sit inflectendum hoc nomen. Et tamen hic et in ipso opere constant manuscripti. Ed.

Ad capillos. Lysimachia. Ophrys[1]. CAP. XCIII.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, MCXXVIII.

Ex Auctoribus:

Iisdem, quibus anteriore libro.

LIBRO XXVII continentur reliqua genera herbarum, et medicinæ.

1. *Ophrys.* In MSS. *Orbris.* H.

2. *Arcturum.* Legas *arcturus*; neque enim verisimile est neutro genere hanc vocem extulisse Plinium. Fortassis etiam interpolata sunt verba, *sive arcturum.* ED.

1. *Alfacate*. In MSS. R. 1, et Colb. 2, *aplica*; forte *aphaca*. HARD.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DCCLII.

Ex Auctoribus :

Pompeio Lenæo, Sextio Nigro qui Græce scripsit, Julio Basso qui item, Antonio Castore, Cornelio Celso.

Externis :

Theophrasto, Apollodoro Citiense, Democrito, Aristogitone, Orpheo, Pythagora, Magone, Menandro qui βιόχρηστα scripsit, Nicandro.

Medicis :

Mnesitheo, et cæteris iisdem quibus in priore libro.

Libro XXVIII continentur medicinæ ex animalibus.

Sunt medicinæ ex apro VII. Sue, LX. Cervo, III. Lupo, XXVII. Urso, XXIV. Onagro, XII. Asino, LXXVI. Polea, III. Equifero, XI. Equulei coagulo, I. Equo, XLII. Hippace, I. Bubus feris, II. Bove, LXXXI. Tauro, LIII. Vitulo, LIX. Lepore, LXIV. Vulpe, XX. Mele, II. Fele, V. Capra, CXVI. Hirco, XXXI. Hœdo, XXI.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observat. MDCLXXXII.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, L. Pisone, Fabiano, Valerio[1] Antiate, Verrio Flacco, Catone Censorio, Servio Sulpicio, Licinio Macro, Celso, Massurio, Sextio Nigro qui Græce

1 *Valerio Antiate.* Ex nostra id emendatione, quum prius legeretur, *Verre Antiate.* HARD. Enimvero sic distinguebant : *Verre, Antiate.* ED.

scripsit, Bythio Dyrracheno, Opilio[1] medico, Granio medico.

Externis :

Democrito, Apollonio qui μύρωσιν[2], Mileto, Artemone, Sextilio, Antæo, Homero, Theophrasto, Lysimacho, Attalo, Xenocrate, Orpheo qui Διφυεῖς[3], Archelao qui item, Demetrio, Sotira, Laide, Elephantide, Salpe, Olympiade Thebana, Diotimo Thebano, Iolla, Mictone Smyrnæo, Æschine medico, Hippocrate, Aristotele, Metrodoro, Icetida medico[4], Hesiodo, Dalione, Cæcilio, Bione qui περὶ δυνάμεων[5], Anaxilao, Juba rege.

Libro XXIX continentur medicinæ ex reliquis animalibus, quæ aut placida non sunt, aut fera.

1. *Opilio.* Male prius *Ophilio* libri editi præferebant. Hard.

2. Μύρωσιν. Pro monstrosa voce *Myrsin*, sic emendavimus. Vide syllabum Auctorum. Hard.

3. Διφυεῖς. Hactenus *Diophios* in omnibus libris. Ita, uti emendavimus, scribi oportere, docturi sumus in Auctorum syllabo. Hard.

4. *Icetida.* Prius *Icacidæ*, male. In R. 1, 2. Colb. 2, *Ichatida.* H. — An potius *Hicetida?* Ed.

5. Περὶ δυνάμεων. De virtutibus herbarum. Hard.

Ad parotidas. CAP. XL.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DCCCLIV[1].

Ex Auctoribus :

M. Varrone, L. Pisone, Verrio Flacco, Antiate, Nigidio, Cassio Hemina, Cicerone, Plauto, Celso, Sextio Nigro qui Græce scripsit, Cæcilio medico, Metello Scipione, Ovidio poeta, Licinio Macro.

1 In indice libri XXIX hæc addantur in fine, quæ ex codd. Reg. 1, 2, etc. Colb. summa fide repræsentamus, nunquam antehac edita :
Medicinæ ex pecude, XXII, et sequente libro, LV : LXXVII.
Mulis, VI, et s. l. III : IX.
Cane, XVI, et s. l. XLI : LVII.
Cane rabioso, III, et s. l. II : V.
Ichneumone, I.
Mure, araneo, II, et s. l. III : V.
Glire, II, et s. l. VI : VIII.
Sorice, IV, et s. l. II : VI.
Mustela, XIX, et s. l. XXV : XLIV.
Stellione, IV, et s. l. XII : XVI.
Herinaceo, V, et s. l. XIII : XVIII.
Hystrice, II, et s. l. I : III.
Lacerta, XIII, et s. l. XXX : XLIII.
Salamandra, I, et s. l. III : IV.
Cochlea, XXVII, et s. l. LXXIV : CI.
Aspide, IV, et s. l. III : VII.
Basilisco, IV.
Dracone, VI, et s. l. XXI : XXVII.
De vipera, XIV, et s. l. XXI : XXXV.
Hydro, I.
Bova, IV, et s. l. III : VII.
Enhydride, I, et s. l. II : III.
Serpentibus cæteris, VII, et s. l. VIII : XV.
Scorpione, IV, et s. l. II : VI.
Araneorum et phalangiorum genera, XI; medicinæ ex eis, IX, et s. l. XXV : XXXIV.
Gryllo sive tauro, I, et s. l. VII : VIII.
Scolopendra, sive multipeda, sive millepeda, sive centipeda, sive onisco, sive tylo, medic. I, et s. l. XXI : XXII.
Admiratio naturæ nihil sine usu gignentis.
Limace, I, et s. l. III : IV.
Eruca, I, et s. l. II : III.
Verme terreno, II, et s. l. XXII : XXIV.
Verme ex arboribus, I, et s. l. IV : V.
Ex volucribus : aquila, IV, et s. l. III : VII.
Vulture, IX, et s. l. IX : XVIII.
Gallinaceo, XXI, et s. l. XXXV : LVI.
Gallina, X, et s. l. XXI : XXXI.
Ovis, XXII, et s. l. XLIII : LXV.
Ansere, IX, et s. l. XV : XXIV.
Cygno, I, et s. l. V : VI.
Corvo, II, et s. l. IV : VI.
Cornice, I, et s. l. II : III.
Accipitre, II, et s. l. II : IV.
Milvo, II, et s. l. VI : VIII.
Cenchreide, II.
Ciconia, II, et s. l. I : III.
Anate, II, et s. l. XIV : XV.
Pico Martio, I.
Turture, IV, et s. l. I : II.
Ulula, I, et s. l. I : II.
Bubone, II, et s. l. V : VII.
Vespertilione, IV, et s. l. IX : XIII.

Externis :

Philopatore, Homero, Aristotele, Orpheo, Democrito, Anaxilao.

Medicis.

Botrye, Apollodoro, Archidemo, Aristogene[1], Xenocrate, Diodoro, Chrysippo philosopho, Horo, Nicandro, Apollonio Pitanæo.

LIBRO XXX continentur medicinæ ex animalibus reliquæ.

Apibus, v, et sequent. l. VIII : XIII.
Bupresti, III, et s. l. III : VI.
Pityocampis, III, et s. l. IV : VII.
Naturæ benignitatem etiam fœdis animalibus inseruisse magna remedia :
Scarabæo, IX, et s. l. VIII : XVII.
De genere cantharidico, medic. ex his, v, et s. l. XI : XVI.
Cimice, IX, et s. l. VII : XV.
Musca, VII, et sequent. l. V : XII.
Locusta, IV, et s. l. IV : VIII.
Attelabis, I.
Formicis, III, et s. l. VIII. — HARD.

1. *Aristogene.* Ita nos edi curavimus, ex R. 1, 2. Colb. 2, quum prius *Aristone* mendose legeretur. HARD. — Legebat Dalec. *Archidemo*, *Anaxilao*, *Aristone*, etc. ED.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DCCCLIV[1].

1. Adjecta hæc similiter ad calcem indicis libri XXX, quæ nunc primum ex iisdem codicibus MSS. exhibemus.
Medicinæ ex pecude, LV, et priore libro, XXII : LXXVII.
Lana, XXV, et pr. l. XXX : LV.
Œsypo, XX, et pr. l. XXXII : LII.
Mulis, III, et pr. l. VI : IX.
Caballis, III, et pr. l. I : IV.
Cane, XLI, et pr. l. XVI : LVII.
Cane rabioso, II, et pr. l. III : V.
Mure, XXVIII, et pr. l. XIV : XLII.
Mure araneo, III, et pr. l. II : V.
Glire, VI, et pr. l. II : VIII.
Sorice, II, et pr. l. IV : VI.
Mustela, XXV, et pr. l. XIX : XLIV.
Stellione, XII, et pr. l. IV : XVI.
Herinaceo, XIII, et pr. l. V : XVIII.
Hystrice, I, et pr. l. II : III.
Lacerta, XXX, et pr. l. XIII : XLII.
Salamandra, III, et pr. l. I : IV.
Cochlea, LXXIV, et pr. l. XXVII : CI.
Aspide, III, et pr. l. IV : VII.
Dracone, XXI, et pr. l. VI : XXVII.
Vipera, XXI, et pr. l. XIV : XXXV.
Bova, III, et pr. l. IV : VII.
Enhydride, II, et pr. lib. I : III.
Amphisbæna, III, et pr. l. IV : VII.
Serpentibus cæteris, VIII, et pr. l. VII : XV.
Scorpione, II, et pr. l. IV : VI.
Araneorum et phalangiorum genera XI. Medicinæ, XXV, et pr. l. IX : XXXIV.
Gryllo sive tauro, VII, et pr. l. I : VIII.
Troxalide, III.
Phryganione, I.
Scolopendra, sive multipeda, sive millepeda, sive onisco, sive tylo, XXI, et pr. l. I : XXII.
Admiratio naturæ nihil sine usu gignentis.
Limace, III, et pr. lib. I : IV.
Eruca, II, et pr. l. I : III.
Verme terreno, XXII, et pr. l. II : XXIV.
Verme ex arbore, IV, et pr. l. I : V.
Verme ex herba, IV.
Herpete, I.
Ricino, III.
Ex volucribus :
Aquila, III, et pr. l. IV : VII.
Vulture, IX, et pr. l. IX : XVIII
Ossifraga, VI.
Gallinaceo, XXXV, et pr. l, XXI : LVI.

Ex Auctoribus:

M. Varrone, Nigidio, M. Cicerone, Sextio Nigro qui Græce scripsit, Licinio Macro.

Externis:

Eudoxo, Aristotele, Hermippo, Homero, Apione, Orpheo, Democrito, Anaxilao.

Medicis:

Botrye, Horo, Apollodoro, Menandro, Archidemo [1], Aristogene, Xenocrate, Diodoro, Chrysippo, Nicandro, Apollonio Pitanæo.

Gallina, XXII, et pr. l. X : XXXII.
Ovis, XLIII, et pr. l. XXII : LXV.
Commageno, V, et pr. l. I : VI.
Cygno, V, et pr. l. I : VI.
Corvo, IV, et pr. l. II : VI.
Cornice, II, et pr. l. I : III.
Accipitre, II, et pr. l. II : IV.
Milvo, VI, et pr. l. II : VIII.
Grue, I.
Ciconia, I, et pr. l. II : III.
Ibide, III.
Anate, XIV, et pr. l. II : XVI.
Ardeola, I.
Palumbe, XIV, et pr. l. VII : XXI.
Galerita, IV.
Cuculo, I.
Pico Martio, I.
Turture, V, et pr. l. IV : IX.
Turdis, III.
Merula, II.
Hirundine, XXIV, et pr. l. IX : XXXIII.
Ulula, I, et pr. l. I : II.
Upupa, I.
Bubone, I.
Passere, I.
Galgulo, III.
Vespertilione, IX, et pr. l. IV : XIII.
Cicada, I.
Apibus, VIII, et pr. l. V : XIII.
Bupresti, III, et pr. l. III : VI.
Pityocampis, IV, et pr. l. III : VI.
Naturæ benignitatem et fœdis animalibus inseruisse magna remedia:
Scarabæo, VIII, et pr. l. IX : XVII.
Blattis, XII, et pr. l. VII : XIX.
De generibus cantharidum; medicinæ ex his, XI, et superiore lib. V : XVI.
Cimice, VII, et pr. l. IX : XVI.
Musca, V, et pr. l. VII : XII.
Locustis, IV, et pr. l. IV : VIII.
Formicis, V, et pr. l. III : VIII. — Hard.

1. *Archidemo.* Archidemum et Aristogenem, tum ex cod. R. 2, tum ex Indice superioris libri, pro *Archimede* et *Aristone* hic restituimus. Hard.

LIBRO XXXI continentur medicinæ ex aquatilibus.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DCCCCXXIV.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Cassio Parmense, Cicerone, Muciano [1], Cælio [2], Celso, Trogo, Ovidio, Polybio, Sornatio.

1. *Muciano*. Laudatur is a Plinio, sect. 13 libri hujus. Quare perperam libri hactenus editi *Mutio* legunt. HARD. — Vide Auctorum indicem. ED.

2. *Cælio*. In editis, *Cornelio Cel-*

Externis :

Callimacho, Ctesia[1], Eudico, Theophrasto, Eudoxo, Theopompo, Polyclyto[2], Juba, Lyco, Apione, Epigene, Pelope, Apelle, Democrito, Thrasyllo, Nicandro, Menandro comœdo[3], Attalo, Sallustio Dionysio[4], Andrea, Nicerato, Hippocrate, Anaxilao.

Libro XXXII continentur medicinæ ex aquatilibus.

10. At R. 1, 2. Colb. 2, *Cælio*, *Celso*: quæ lectio sincera est. Cælius libri hujus cap. 18, citatur a Plinio. Hard.

1. *Ctesia*. Uterque codex Regius, *Callimacho*, *Cæcilio*, *Ctesia*. Hard.

2. *Polyclyto*. An *Polycrito* potius? Vide quæ dicturi sumus in Auctorum syllabo. Hard.

3. *Comœdo*. Ita exemplaria MSS. ante laudata. Libri editi, *Comico*. Hard.

4. *Sallustio Dionysio*. Hæc duo nomina conjunctim legenda sunt, quæ prius erant in libris editis perperam divulsa et distracta. Hard. — Recte : sed jam præiverat Latius in Elzev. editione. Ed.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes; DCCCCXC.

Ex Auctoribus :

Licinio Macro, Trebio Nigro, Sextio Nigro qui Græce scripsit, Ovidio poeta, Cassio Hemina, Mæcenate, L. Atteio.

Externis :

Juba, Andrea, Salpe, Apione, Pelope, Apelle Thasio, Thrasyllo, Nicandro.

Libro XXXIII continentur metallorum naturæ.

1. *Sive alabastro.* Addit Harduinus *sive lithasi*, sed manifesto corrupta hæc sunt e sequentibus, *sive larbaso*. ED.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, MCXXV.

Ex Auctoribus[1]:

L. Pisone, Antiate, Verrio, M. Varrone, Corn. Ne-

1. Totum hunc Auctorum Indicem ex MSS. refinximus, præsertim ex Regio 2. HARD. — Post *Messala* quondam ita legebatur : « Messala, Rufo, Marso poeta, Julio Basso qui de medicinis græce scripsit,

pote, Messala, Junio Gracchano, Attico Pomponio, Muciano, Calvo Licinio [1], Boccho, Fetiale, Fenestella, Valerio Maximo, Julio Basso qui de medicina Græce scripsit, Sextio Nigro qui item, Marso poeta.

Externis:

Democrito [2], Theophrasto, Juba, Timæo historico qui de medicina metallica scripsit, Heraclide, Andrea, Diagora, Botrye, Archidemo, Dionysio, Aristogene, Democle, Mneside, Attalo medico, Xenocrate item, Theomnesto, Nymphodoro, Iolla, Apollodoro, Pasitele qui mirabilia opera scripsit, Antigono qui de torcutice, Menæchmo qui item, Xenocrate qui item, Duride qui item, Menandro qui de torcutis, Heliodoro qui de Atheniensium anathematis, Metrodoro Scepsio.

Libro XXXIV continentur æris metalla.

Sextio Nigro qui item, Fabio Vestale.» Ed.

1. *Calvo Licinio.* Harduinus post hæc verba, nescio an aliud agens, male iterum inseruerat *Corn. Nepote*; nos sustulimus. Ed.

2. *Democrito.* Totus hic locus ante Harduinum sic legebatur: «Democrito, Metrodoro Scepsio, Menæchmo qui de torentice scripsit, Xenocrate qui item, Heliodoro qui de Atheniensium anathematis, Pasitele qui admirabilia opera scripsit, Nymphodoro, Timæo qui de medicina metallica scripsit, Iolla, Apollodoro, Andrea, Heraclide, Diagora Botryense, Archimede, Dionysio, Aristogene, Democrito, Mnesicle, Attalo medico, Xenocrate Zenonis, Theomnesto.» Ed.

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, MCCCCXV.

Ex Auctoribus :

Iisdem, quibus anteriore libro.

Libro XXXV continetur de pictura et coloribus.

Ex Auctoribus :

Messala oratore, Messala sene, Fenestella, Attico, Verrio, M. Varrone, Cornelio Nepote, Decio Eculeone, Muciano, Melisso, Vitruvio, Cassio Severo Longulano, Fabio Vestale qui de pictura scripsit.

Externis :

Pasitele, Apelle, Melanthio, Asclepiodoro, Euphranore, Parrhasio, Heliodoro qui ἀναθήματα scripsit Athenis, Metrodoro qui de architectonice scripsit, Democrito, Theophrasto, Apione Grammatico qui de metallica disciplina scripsit, Nymphodoro, Andrea, Heraclide, Iolla, Apollodoro, Diagora, Botrye, Archidemo, Dionysio, Aristogene, Democle[1], Mneside, Xenocrate Zenonis, Theomnesto.

Libro XXXVI continetur lapidum natura.

1. *Democle*, *Mneside*. Olim *Demone*, *Mneicles*, mendose. Constat emendatio ex superiorum librorum Indice. Hard

Summa. Medicinæ, et historiæ, et observationes, DXXIII.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Cælio, Galba, C. Ictio, Muciano, Nepote Cornelio, L. Pisone, Tuberone, Seneca, Fabio Vestale, Annio Fetiale, Fabiano, Catone Censorio, Vitruvio.

Externis :

Theophrasto, Pasitele[1], Juba rege, Nicandro, Sotaco, Sudine, Alexandro Polyhistore, Apione, Plistonico, Duride, Herodoto, Euhemero[2], Aristagora, Dionysio, Artemidoro, Butorida[3], Antisthene, Demetrio[4], Demotele, Lycea.

1. *Pasitele*. Ita nos correximus ex R. 1, 2, et ex cap. 4 libri hujus. Antea *Prazitele* legebatur. Hard.

2. *Euhemero*. Dalec. et Elz. *Evemero*, quod idem est nomen. Ed.

3. *Butorida*. Ex iisdem codd. et cap. 17 libri hujus, pro *Bucorida*. Hard.

4. *Demetrio*. Ita codices antea laudati : non, ut est in editis, *Democrito*. Stabilitur hæc emendatio ex cap. 17 libri hujus. Hard.

Libro XXXVII gemmæ continetur.

1. *Lepor.* Nomen dubium. Ed.

2. *Alabastrites.* Legendum videtur *alabastritis*; legendum etiam infra *aromatitis*, *batrachitis*, etc. Ed.

3. *Ægyptilla*, vulgo *ægypulla*. Cod, R. 2. *agistilla*. Ed.

Belus. Baroptenus, sive Baripe. Botryites. Bostrychites. Bucardia. Bronte. Bolœ. CAP. LV.

Cadmitis[1]. Callais. Capnitis. Cappadocia. Callaica. Catochitis. Catopyritis. Cepitis, sive cepolatitis. Ceramititis. Cinædiæ. Ceritis. Circos. Corsoides. Coralloachates. Corallis. Crateritis. Crocallis. Cytis. Chalcophonos. Chelidoniæ. Chelonia. Chelonitis. Chloritis. Choaspitis. Chrysolampis. Chrysopis. Cepionides[2]. LVI.

Daphnia. Diadochos. Diphyes. Dionysias. Dracontites. LVII.

Encardia, sive ariste. Enorchis. Exebenus. Erystalis[3]. Erotillos, sive amphicome, sive hieromnemon. Eumeces. Eumithres. Eupetalos. Euneus. Eurotias. Eusebes. Epimelas. LVIII.

Galaxias. Galactites, sive leucogæus, sive leucographias, sive synophitis. Gallaica. Gassidiana. Glossopetra. Gorgonia. Goniæa. LIX.

Heliotropion. Hephæstitis. Horminodes[4]. Hexecontalithos. Hieracitis. Hammitis. Hammonis cornu. Hormision. Hyæniæ. LX.

Idæi dactyli. Icterias. Jovis gemma. Indica. Ion. LXI.

Lepidotis. Lesbias. Leucophthalmos. Leucopœcilos. Libanochrus. Limoniatis. Lipare. Lysimachos. Leucochrysos. LXII.

Memnonia. Medea. Meconitis. Mithrax. Morochites. Morion, sive Pramnium, sive

1. *Cadmitis*. In Regio 2, *calamitis*. HARD.

2. *Cepionides*. In Regio 2, *ceponides*. H. — In textu item. ED.

3. *Erystalis*. In Regio 1, *erystallis*. H. — In textu, *erustalis*. ED.

4. *Horminodes*. In Regio 2, *hermeodes*: in cæteris *hermuredian*, quam lectionem, ut nimis barbaram, ablegavimus. ED.

Summa. Res, et historiæ, et observationes, MCCC.

Ex Auctoribus :

M. Varrone, Actis triumphorum, Mæcenate, Iaccho, Cornelio Boccho.

Externis :

Juba rege, Xenocrate Zenonis, Sudine, Æschylo, Philoxeno, Euripide, Nicandro, Satyro, Theophrasto, Charete, Philemone[1], Demostrato, Zenothemi, Metrodoro, Sotaco, Pythea, Timæo Siculo, Nicia[2], Theochresto, Asaruba, Mnasea, Theomene, Ctesia, Mithridate, Sophocle, Archelao rege, Callistrato, Democrito, Ismenia, Olympico[3], Alexandro Polyhistore, Apione, Horo, Zoroastre, Zachalia[4].

1. *Philemone.* Ex cap. 11, 23 et 51, hujus libri, rescripsimus *Philemone, Demostrato, Zenothemi*: pro *Philomene, Democrate, Xenotimo.* In Regio cod. 1, *Demostrato* legitur, et cap. 11 ac 23, hujus libri. HARD.

2. *Nicia.* Dalec. et Elz. *Nicea.* ED.

3. *Olympico.* Forte, *Olympiaco.* Vide Auctorum syllabum. HARD.

4. *Zachalia.* Ita scribitur sect. 60 libri hujus. In indice hactenus edito, *Zactalia* perperam. HARD.

HARDUINI
INDEX[1] AUCTORUM
QUI A PLINIO VEL IN ELENCHO LIBRI PRIMI, VEL IN IPSA NATURALI HISTORIA APPELLANTUR.

A.

Accius, sive, ut alii malunt, Attius: utramque scripturam approbant inscriptiones veteres apud Gruterum. Prænomen ei Lucius fuit. Floruit Olymp. clx, anno U. C. dcxv, belli Numantini temporibus. Tragœdiarum scriptor haud ignobilis. Pacuvio seni, ipse 50 annis junior, sua scripta Tarenti recitavit. Laudatur Accius in Pragmaticis a Gellio lib. XX, cap. 3, quod opus illud ipsum est, quod a Plinio Praxidicum appellatur, lib. XVIII, cap. 55. Scripsit et annales carmine, quorum Macrobius meminit, lib. I, Saturn. cap. 7. Horum librum XXVII citat Festus, verbo *Metelli*.

Accius Plautus. Vid. Plautus.

* Acopas. Vide Agriopas.

Acta Triumphorum. Videntur esse eæ Tabulæ Consulares et Triumphales, quarum fragmenta exstant apud Onuphrium Panvinium. Auctorem illarum sunt qui Verrium Flaccum putent, de quo nos inferius: etsi ille Tiberii principatu obiit.

Acta Populi Romani. Libro VIII, cap. 61. Acta Senatus laudat Suetonius in Augusto, cap. V. Acta publica, in Caligula, cap. VIII.

Acta temporum Augusti. Libro VII, cap. 11.

Adimantus. Ἀδείμαντος Straboni, lib. XIII, pag. 589. Patria Lampsacenus.

* Æglosthenes. Vid. Aglosthenes.

* Ælius Gallus. Ægypti præfectus, Straboni familiaris, qui de illius expeditione Arabica multa scripto consignavit. Ejus mentio fit lib. VI, cap. 32.

1. Hic est Index sive Syllabus Auctorum, ad quem sæpe lectores dirigit Harduinus in notis, quum ad Plinii superiorem elenchum, tum ad reliquas operis partes. Unus igitur notarum pæne infinitarum locum tenet. Epitomen quidem ejus a Millero compactam, summæ fidei opus et omni laude dignum, ad manum habuimus. Maluimus tamen ipsum Harduini laborem edere, ut magis integrum. Nihil temere mutavimus: pauca tantum, quæ deerant, addidimus; quædam manifesto falsa aut mendosa omisimus, quæ de nostro aut ex Millero supplere cura fuit. Quæcumque sunt a nobis inserta, vel asterisco * notavimus, vel uncis quadratis [ ] inclusimus. Ed.

Ælius Stilo. Hominem doctum, et Varronis magistrum appellat hunc Gellius, lib. XVI, cap. 8, et Sosipater, lib. I, pag. 64. Eum Cicero adolescens audivit. Prænomen ei Lucius fuit : cognomen duplex, teste Suetonio, lib. de Illust. Gramm. cap. 3. Nam et Præconinus, quod pater ejus præconium fecerat, hoc est, præco fuerat, vocabatur : et Stilo sive Stylo, quod orationes nobilissimo cuique scribere solebat. Meminit utriusque cognominis Plinius, lib. XXXIII, cap. 6. Passim a Festo citatur.

Ælius. In Indice libri XIV et XV, et lib. XIV, cap. 15, tres Jurisconsulti simul a Plinio memorantur, Scævola, Ælius, Atteius Capito : quorum meminit Pomponius, Dig. I, tit. de origine juris. Sextus Ælius hic vocatur, [cognomine Pætus et Catus]. Scripsit Commentarios Juris civilis, de quibus Cicero, lib. I, de Orat. Enniano præconio celebratur :

Egregie cordatus homo Catus Æliu' Sextus.

Consul fuit cum T. Quintio Flaminio, anno U. C. DLVI. Landatur a Plinio, lib. IX, cap. 59.

Æmilius Macer. Veronensis poeta appellatur ab Hieronymo in Chron. Olymp. CXCI, an. I, quo eum obiisse ait. Fuisse grandiorem ævo, quam Ovidium, ex ipso Ovidio discimus, Trist. lib. IV, Eleg. 10, vers. 43 et seq. :

Sæpe suas volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer.

Unde et quæ scripserit, intelligimus. Opus de volucribus, ὀρνιθογονία appellabatur. Meminit Diomedes lib. I, pag. 371, qui ὀρνιθογονίας librum secundum laudat. Meminit et Nonius, verbo *Picumnus :* ubi Theogonia perperam in quibusdam libris pro ornithogonia scribitur. Theriaca Nicandri exemplo scripsisse, versus alter indicat. Cujus operis librum quintum citat Sosipater, lib. I, pag. 61. Sed præter ista scripsit Annales, quorum liber sextus decimus laudatur a Prisciano, lib. X, p. 895. Qui Æmilii Macri nomine circumfertur libellus, de virtutibus herbarum, fetus est omnino supposititius, quum et Plinium, et Galenum, et Oribasium, ac multo etiam recentiores laudet.

Æschines. In Indice lib. XXVIII, medicus; ejusdem libri cap. 10, Atheniensis dicitur.

Æschrion. In Indice lib. VIII, de agricultura scripsisse dicitur. Inter probatissimos rei rusticæ scriptores, quorum ignota sit patria, hunc reponunt Varro, et Columella, cap. I operis sui. Ad eum Hipparchus libros tres Enarrationum ad Arati Phænomena inscripsit. Αἰσχρίων ἐν ἑβδόμῳ τῆς Ἐφεσίδος landatur a Tzetze in Lycophr. pag. 101.

Æschylus. Tragœdiis suis, quarum hodieque supersunt aliquæ, notissimus. Atheniensis fuit. Floruit Olymp. LXXXI, circa Marathoniæ pugnæ tempora.

*Æsopus. E Cotyeo Phrygiæ oriundus, fabularum philosophus, Solonis æqualis, floruit circa Olymp. LII, et laudatur a Plinio lib. XXXVI, cap. 17.

Agatharchides. Cnidius a patria cognomento dictus. De eo multa Photius in Biblioth. cod. 213, pag. 548. Olympiade circiter CL floruit. Historiæ Asiaticæ ab eo libris X conscriptæ meminere Photius et Diodorus Sicul. lib. III, pag. 149. Egit etiam de rebus Europæis, libris omnino XLIX, teste eodem Photio, et Athenæo, lib. IV, pag. 168, et lib. VII, pag. 297. Item de collectione admirabilium ventorum, et de Troglodytis libros quinque: librum singularem de mari rubro: aliaque a Photio recensita. Est et alius Agatharchides Samius, cujus librum IV περὶ λίθων, de lapidibus pretiosis, laudat Plutarchus, lib. de fluminibus, pag. 1153. Librum secundum rerum Persicar. idem Plut. in Parall. pag. 305. Quartum Stobæus, serm. 48, pag. 171.

Agathocles. Babylonius fuit: ætatis incertæ. Res Cyzicenorum litteris mandavit: unde et Cyzicenus ipse est appellatus ab Athenæo, lib. XII, pag. 515. Meminit illius et Festus, verbo *Roma*, aliique. Sed est præter hunc Agathoclem et alius

Agathocles Chius, rei rusticæ scriptor, de quo apud Varronem et Columellam honorifica mentio, lib. I de Re rust. cap. 1. A Plinio laudatus, lib. VIII, alibique passim. Citatur et Ἀγαθοκλῆς ἐν τῷ περὶ διαίτης, a Schol. Nicandri in Theriac. pag. 29. Est et Agathocles Milesius, qui librum scripsit de fluminibus, teste Plut. I, de flumin. p. 1161.

Aglosthenes, contracte sic appellatus a Polluce, lib. IX, cap. 6, Ἀγλωσθένης pro Ἀγλαοσθένης: in Plinianis libris hactenus corrupte Æglosthenes et Ædosthenes dictus. Historiam rerum Naxicarum conscripsit, ut auctor est Hyginus in poet. Astron. lib. II, cap. de Arcto minore, fol. 58 et cap. de Aquila, pag. 67. Incertæ ætatis scriptor.

Agriopas. Olympionicas scripsisse dicitur: tum in Indice lib. VIII, tum cap. 34 ejusdem libri. In codicibus MSS. quos vidi, tum in Indice, tum libri VIII capite proxime appellato, Acopas modo, modo Copas scribitur: atque ita retinent vetustæ editiones omnes usque ad Gelenium, qui suorum codicum fide Agriopam se dicit rescripsisse. Erit igitur Doricum nomen, Ἀγριώπας, ut Γοργώπας, pro Ἀγριωπός, Γοργωπός.

Agrippa. Cui prænomen Marcus, [nomen] Vipsanius fuit. Augusti Cæsaris amicus et gener. Orbem terrarum in tabula spectandum proposuisse dicitur a Plinio, lib. III, sect. 3, quam ipse secutum se profitetur. [Libros quoque *de vita sua* scripserat, notissimus vir et merito clarissimus, de quo plura huc addere supervacuum sit.]

Agrippina Claudii. Cæsaris illa Germanici et Agrippinæ Marco Agrippa natæ filia, Augusti proneptis, Cn. Domitii primum, et Passieni, tum Claudii Imp. conjux: mater Neronis. Meminit illius commentariorum de vita sua, Tacitus Annal. VI, cap. 54 (nost. edit. tom. I, pag. 478. Ed.) et Plinius, lib. VII, cap. 6.

Alcæus. Qui Alcaico carmini nomen dedit: cujus minaces Camœnas appellat Horatius, lib. IV, Od. 9, versu 7. [Mitylenæus, e Lesbo, scripsit res bellicas, odas, navigationem suam, hymnos, etc.: e quibus

omnibus hodie pauca fragmenta habemus. Meminit Plinius lib. XXII, cap. 43].

ALEXANDER MAGNUS. Hujus Ephemerides sive Diarium citat Plutarchus in ejus vita, pag. 706, Epistolas idem, pag. 688. Libros de herbis, vetus interpres libri Physico-medici, qui Kiranidum Kirani Persarum regis falso inscribitur, pag. 2. Circumfertur ejusdem epistola ad Aristotelem, de mirabilibus Indiæ: [item alia de lapide philosophorum, a chemicis inter scriptores artis auriferæ relata, Basil. 1593 et 1610].

ALEXANDER POLYHISTOR. Vid. CORNELIUS ALEXANDER.

ALFIUS FLAVIUS. Cestii auditor, M. Senecæ æqualis, Tiberii temporibus floruit, ut liquet ex Controversia 14, pag. 127. De Bello Carthaginiensi scripsisse, auctor est Festus verbo *Mamertini*, pag. 8.

AMOMETUS. De Attacoris Indiæ populis editum ab eo volumen Plinius testatur, lib. VI, cap. 20. Eumdem a Memphi ad Isidis fontem navigasse, Antigonus Carystius, Hist. Mirabil. cap. 164. Meminit ejusdem Ælianus, lib. XVII, de Animal. cap. 6, et Sotion in Excerptis de fluminibus et fontibus, pag. 140.

AMPHILOCHUS Athenæus a Varrone et Columella, cap. 1 operis sui, inter probatissimos rusticæ rei scriptores, nominatur. Edidisse de avena et cytiso volumen, auctor est Plinius, lib. XVIII, cap. 43.

ANACREON, Teius poeta dictus, ex urbe Ioniæ Teo. Floruit Olymp. LXII, ut scribit Euseb. in Chron. Scripta ejus omnia, si odaria quædam exceperis, quæ exstant hodieque, injuria temporum perierunt. Laudat Anacreontem ἐν τῷ περὶ ῥιζοτομικῆς, in libro de Re herbaria, Nicandri scholiastes in Theriacis, pag. 28.

*ANAXAGORAS, Clazomenius, Euripidis, Socratis et aliorum præceptor, primus e physicis Græcorum de causa rerum efficiente sollicitus, Olymp. LXXVIII, 2, cælestium litterarum scientia prædixisse fertur, quibus diebus saxum casurum esset e sole.

ANAXILAUS. De eo Hieronymus in Chron. pag. 154: « Anaxilaus inquit, Larissæus, pythagoricus et magus, ab Augusto, Urbe Italiaque pellitur. » Medicus insignis fuit, qui ludicra quædam faceret, non maleficis artibus, sed arcanis quibusdam viis, quæ causæ ignaros rei novitate stupidos detineret. Refert ex iis quædam Plinius, lib. XXVIII, cap. 49, et lib. XXXV, cap. 50. Anaxilai παίγνια sive ludicra, (sic enim inscripsisse librum is videtur), citantur ab Epiphanio, lib. I, advers. hæres. hær. 34, pag. 230. Item ab Irenæo adversus Marcum, lib. I, cap. 8.

ANAXIMANDER. Patria Milesius, Thaletis discipulus, Xenophonti æqualis fuit. Hunc Strabo primum exstitisse ait, lib. I. pag. 7, qui orbis situm in tabula descripserit. Idem testatur et Agathemerus, lib. I, Geogr. cap. 1. Obiisse Olymp. LVIII, auctor est Apollodorus in Chronicis, apud Diogenem Laert. in Anaximandro. Plura de eo dicemus, lib. II, cap. 78.

*ANAXIMENES. Lampsacum ei patria fuit: magister, Diogenes Cynicus. Rhetoricorum librorum qui Aristoteli vulgo tribuuntur, auctorem

hunc Anaximenem eruditi aiunt. Scripsit et de rebus ab Alexandro gestis, cui in expeditionibus comes fuit. Laudatur in Indice libri XII, quo in libro eæ arbores describuntur, quas in orbe Indico, ut Plinii verbis utar, mirata est Alexandri M. victoria.

* ANAXIMENES MILESIUS, Anaximandri auditor, scripsit opus physicum, e quo varias antiqui referunt sententias, primusque horologium quod appellant sciotericon Lacedæmone ostentavit. Nonnulli etiam epistolas binas ad Pythagoram quas servavit Laertius, ipsius esse putant; quæ vero supposititiæ videntur.

ANAXIPOLIS THASIUS. Varroni et Columellæ laudatus initio operis sui, cap. 1 inter scriptores rei rusticæ.

ANDREAS [ANDREAS vel ANDRON, medicus]. Meminere illius Celsus in præfat. lib. V; Dioscorides in præfat. Galenus in Explic. vocum Hippocr. tomo II, pag. 92, ubi Ἀνδρέας ὁ τοῦ Χρύσαρος vocatur; et scholiastes Nicandri in Theriac. pag. 32, qui librum ejus laudat, quem Νάρθηκα inscripserat. Ejus libri περὶ δακετῶν, de iis quæ morsu venenata sunt, et alterius, de iis quæ falso creduntur, mentio apud Athen. lib. VIII, pag. 312.

ANDROTION. Ἀνδροτίων Theophrasto, lib. II, hist. plant. cap. 8, et Athenæo, lib. III, pag. 75, Varroni et Columellæ initio operis sui laudatus inter scriptores rei rusticæ, quorum patriam non comperissent. Androtionis Georgicon citat Athenæus, lib. III, 75 et 82, quod opus *de agricultura* appellatur in Indice libri VIII. A Pausania rursum, lib. VI, pag. 357, et ab Harpocr. in Ἀμφίπολις, pag. 20, Ἀττίδος, hoc est, de rebus Atticis commentarios scripsisse dicitur.

ANNALES. Pontificum Maximorum Annales Tullius vocat, lib. I, de Legibus, pag. 295. De his idem, lib. II, de Orat. pag. 325: « Erat enim historia nihil nisi Annalium confectio: cujus rei, memoriæque publicæ retinendæ causa, ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium Pontificem Max. res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex Max. efferebatque in album, et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi: iique etiamnunc Annales Maximi nominantur. »

ANNIUS FETIALIS. Laudatur a Plinio, lib. XXXIV, cap. 13. Historiam seu Annales rerum Romanarum condidisse is videtur.

ANTÆUS. Medici hujus mentio est in Indice libri XII [et XIII], et libro XXVIII, cap. 2.

ANTIAS. Vid. VALERIUS ANTIAS.

ANTICLIDES. Ἀντικλείδης Harpocrationi in Καλαύρεια, pag. 161. Librum περὶ νόστων, hoc est, de reversione Græcorum ab expeditione Trojana, sive Argonautarum a Colchide, laudat Athenæus, lib. XI, pag. 465, et Euseb. lib. IV, Præp. pag. 157, opus libris ut minimum sedecim comprehensum. Suidas item, pag. 902, et Aristoph. Schol. in Nub. pag. 1321: Δηλιακὰ item, sive de rebus Deliacis scripsisse auctor est Schol. Apollonii, lib. I ad v. 1207. Ætas incerta. Laudatur

a Plutarcho in Alexandro, pag. 691, inter scriptores de rebus ab eo gestis.

Antigenes. Et hic a Plutarcho, loco proxime citato, inter scriptores rerum Alexandri M. nominatur.

Antigonus Cymæus. Patria ei Cyme Æolidis fuit: unde cognomen. A Varrone et Columella, lib. I, de Re rust. cap. 1, inter scriptores rei rusticæ adnumeratus. Est et alter ejusdem nominis

Antigonus Carystius. [Vixit Ptolemæi Lagi et successoris ejus Philadelphi temporibus, scripsitque vitas illustrium virorum, Timonis, Pyrrhonis, Polemonis, Antipatri, Menedemi etc., porro commentarium de animalibus, historiarum mirabilium collectanea, et alia. Harduinus eumdem esse putat qui de Toreutice, seu arte cælatoria scripsit, nullo probabili argumento; quemadmodum et diversus videtur is, qui *de pictura*, ac *de tabulis pictorum* librum composuit.]

Antipater. Lucius Cælius Antipater dictus est: certus Romanæ historiæ auctor, inquit Valer. Max. lib. I, cap. 7. Lucii Crassi Magister, inquit Cicero in Bruto, pag. 545. Scripsit historiam belli Punici ad L. Ælium Stilonem, Varronis magistrum: quam tanti fecisse M. Brutus dicitur, ut ex ea epitomen fecerit. Auctor Cicero, lib. XIII, Epist. 8 ad Attic.

Ἀντίπατρος ἐν τῷ περὶ ζώων laudatur a Schol. Apollonii, ad lib. II, v. 89, qui ab illo diversus est; est enim ille Antipater, qui inter externos scriptores laudatur in Indice libri VIII, qui totus est de animalium historia: Panætii, de quo sæpe Tullius, magister: Tiberio Graccho æqualis. Patria Rhodius.

Antisthenes. Non ille quidem Laertio notus, aliisque scriptoribus: sed ab iis omnibus qui eodem censentur nomine, plane diversus: quem de pyramidibus Ægypti scripsisse Plinius est auctor, lib. XXXVI, cap. 17, de cujus ætate dicemus in Butorida.

Antistius, Labeo cognominatus. Scripsit Commentaria juris Pontificii, quæ Festus citat. Proconsulem Narbonensis Provinciæ fuisse, auctor est Plinius, lib. XXXV, cap. 7. Oblatum ab Augusto Consulatum aspernatus est, quo studiis plurimum operam daret, ut scribit Pompon. lib. I, Digest. tit. 2 orig. juris, § 47, ubi eum quadringenta volumina (alii *quadraginta* legunt ex Gellio, lib. XIII, cap. 10) reliquisse testatur. Libros ejus XV, de disciplulis Etruscis, aliosque, citat Fulgentius, lib. de Prisco sermone, n. 4. Hujus arbitrio legendum Senatum Augustus permiserat, inquit Dio, lib. LIV, pag. 531.

Antonius Castor. [Rhodius, a nonnullis Galata dicitur, quia in Galatia vixit Dejotari regis gener factus; quanquam ab eodem denique, ut a Strabone et Suida accepimus, una cum uxore occisus. Hic certe Chronographus insignis fuit, scripsitque de Babylone, de Nilo, de ignoratione temporum, de iis, qui imperio maris sunt potiti: et alia. Eumdem vero esse a quo Plinius noster in re herbaria profecit, etiamsi nil dubitet Harduinus, persuaderi non possumus. Namque si is a Dejotaro interfectus est, qui Plinius, invisens hortulum ejus, scientiam

ejus in contemplandis herbis uti potuisset? Sed hic fortasse Chronographi filius, ac Dejotari nepos erat; is ipse scilicet, qui avum Romæ accusavit apud Cæsarem, quasi insidias hujus vitæ struxisset. Fortassis ille etiam ob id ipsum Philoromæus dictus est, ut qui Romanorum amore, ipsum avum accusare non dubitavit, et Romæ postea mansit ubi ætatem prospera valetudine ultra centesimum annum extendit.]

*Antonius Musa, princeps Augusti medicus, cujus quidem ille opera ex gravi et ancipiti morbo convaluit; quare populus Romanus ipsum ærea statua honoravit.

Apelles. Qui in Indice lib. XXXI et XXXII Apelles laudatur, medicus is est, Thasius a patria cognominatus: cujus meminit et Galenus, lib. II, de Antidotis, cap. 8, et lib. V, κατὰ γένη, cap. 14. Hunc Gesnerus in Bibliotheca cum Apelle pictore male confundit, quando hunc Thasium facit: quem errorem secutus est et Reinesius, lib. II, Variar. Lect. cap. 6.

Apelles alter Cous a patria dictus, pictor fama insignis: cujus vita, scripta, picturæ, cap. 36 libri XXXV, a Plinio prolixe narrantur.

*Apicius Cælius. Patria, ut nonnulli arbitrantur, Hispanus, qui, quum ingentem opum vim in culinam congessisset, ad extremum vero nonnisi 250000 coronatos de patrimonio sibi superesse intelligeret, veritus, ne sibi esuriendum, vel deliciis gulæ abstinendum esset, veneno vitam finiit. Exstant sub illius nomine de Obsoniis et Condimentis sive de Re culinaria.

Apion. Græcis Ἀπίων. Cognomen huic multiplex fuit: Πλειστονίκης, a crebris victoriis, uti ex Plinio liquet, lib. XXXVII, cap. 19, Gellio, lib. V, cap. 14, pag. 342, et Clemente Alex. lib. I. Strom. pag. 320, quanquam Suidæ Ἀπίων ὁ Πλειστονίκου dicitur, forte mendose; a parente, Posidonii F.; ab arte, Grammaticus; Alexandrinus, a patria, quod jus illius civitatis haberet, quanquam ipse Oasi, Ægypti civitate, natus. Denique ab ingenti eruditionis fama, hunc *cymbalum mundi* Cæsar Tiberius appellavit, ut scriptum est in præfatione ad Titum. Librum edidit adversus Judæos, quem Josephus libris adversus eum scriptis confutat. Scripsit et Ægyptiacorum libros quinque, uti prodidere Gellius et Clemens locis cit. Tatianus, orat. contra Gentes, pag. 185, et alii. Librum item de Apicii luxu, apud Athen. lib. VII, pag. 294. De Metallica disciplina, in Indice libri XXXIII. De Lingua Romana, περὶ τῆς Ῥωμαϊκῆς διαλέκτου, Athen. lib. XV, pag. 680.

Apollodorus. Quem eo nomine laudat, in opere geographico, index libri quarti. Is ætatis incertæ scriptor est: cui Artemita cognomen fuit, a patria. Nam Mesopotamenus fuit. Hujus opus de Rebus Parthicis laudatur a Strabone passim, ut lib. II, pag. 118, et lib. XI, pag. 509, et Athen. lib. XV, pag. 682. Alterum ejusdem opus de Insulis et Urbibus Tzetzes cit. Chiliad. 3, hist. 100. Item ἐν νεῶν καταλόγῳ laudatur ab Athenæo, lib. III, pag. 82, et ab Apollonii Schol. ad lib. III, v. 1089, qui meminit et libri de Rebus Ponticis ab eo conscripti, ad lib. II, vers. 159.

Apollodorus Lemnius, rei rusticæ scriptor, cujus et Varro meminit, lib. I, cap. 1. Fuit et eo nomine tertius

Apollodorus, quem de Bestiis venenatis scripsisse, non solus auctor est Index libri undecimi: sed et Athenæus, lib. XV, p. 681, Ælian. lib. VIII, Hist. animal. cap. 7, et Schol. Nicandri in Theriac. pag. 33 et 39, ubi librum ejus περὶ θηρίων laudant. An idem cum isto, necne sit Apollodorus ille quem de Odoribus scripsisse idem Index ait lib. XII, Athenæus, de coronis et unguentis, περὶ μύρων καὶ στεφάνων, lib. XV, pag. 675, haud satis constat. Diversi certe ab istis, qui reliqui sunt.

Apollodori duo, Tarentinus, et Citiensis, a patria cognominati: hic Citio Cypri, ille Tarento Italiæ civitate. Ætatis uterque incertæ, sed famæ insignis: Dioscoridi passim, ac reliquo veterum Medicorum choro celebrati. Citiensis, ut opinor, fuit, quem Plinius refert, lib. XIV, cap. 9, volumine quodam perscripsisse Ptolemæo regi, quæ vina biberet. Apollonium pariter Citiensem medicum appellat Strabo, lib. XIV, pag. 683, et Cælius Aurel. lib. I, Chron. cap. 4.

Apollonides. Hujus ætas incerta. Europæ περίπλουν scripsit, quem laudat Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 983. Meminit et hujus Strabo, lib. II, pag. 309.

Apollonius Pergamenus. Inter rei rusticæ scriptores Varroni et Columellæ memoratus, lib. I, cap. 1. Hunc esse Apollonium arbitror, quem περὶ βοτανῶν, de Herbis edidisse volumen auctor est Scholiastes vetus Nicandri, pag. 27. De facile parabilibus medicamentis, τῶν εὐποριστων φαρμάκων, Galenus, lib. XI, de facult. simpl. medic. cap. 1, pag. 314, et cap. 8, pag. 350.

Apollonius qui Μύρωσιν (sic enim emendavimus, in Indice libri XXVIII, quum prius legeretur, *qui Myrsin*) hoc est, qui partem illam τῆς κοσμητικῆς attigit, quæ fucos et pigmenta docet. Hic Herophileæ sectæ Medicus fuit, Μῦς cognominatus, ut auctor est Celsus in præfat. lib. V, et Strabo, lib. XIV, pag. 645. De Coronis et Unguentis, περὶ στεφάνων καὶ μύρων librum scripsit, unde Myronides est appellatus, apud Athen. lib. XV, pag. 691. Ex ejus libro *De unguentis* Plinius multa transcribit, lib. XIII, cap. 2, ut ibi dicemus in Notis. Is est fortassis, quem a patria Memphitem appellat Cælius Aurel. lib. III, cap. 8.

Apollonius Pitanæus, in Indice lib. XXIX, a Pitane Laconici agri oppido cognomen accepit. An ille sit Apollonius, quem ἐν πρώτῳ τῶν Ὑπομνημάτων, lib. I. Commentariorum, citat Apollonii Schol. ad lib. I, v. 430, haud satis compertum.

Apollophanes. [Seleuciensis, Antiochi M. medicus, magni ab eo habitus, non artis tantum sed et consilii in rebus arduis, prudentiæque causa].

Aquila, cui Julius prænomen fuit. Scripsit hic de Cultura vitium librum singularem teste Columella, inquit Simlerus in epitome Gesneri: sed Julium Atticum, credo, voluit dicere: nam de Julio Aquila ne μῦ

quidem apud Columellam. De Etrusca Disciplina scripsisse dicitur in Indice libri XI.

Aratus. Solensis e Cilicia fuit [ut plerique referunt; Tarsensis, ut alii], natus Olymp. circiter cxxiv. Scripsit Phænomena et Astrologica: in medicina quoque quæ ad anatomen et compositionem theriacorum attinent: ὀστεολογίαν, de ossibus; ἰατρικὰς δυνάμεις, de medicis facultatibus; διασημείας, de ostentis; ἀνθρωπογονίαν, de hominum generatione; aliaque, quæ commemorat auctor ipsius vitæ, quam Petavius edidit, pag. 268 et 410 in Uranologio. Arati Κανόνα laudat Achilles Tatius in Phænomen. cap. 19. [Hunc virum professione medicum omnes vitæ ejus scriptores referunt; grammaticum ac poetam ipsius scripta loquuntur. Cicero quidem eum ignarum astrologiæ ornatissimis atque optimis versibus de *Cælo et Stellis* scripsisse memorat. Sed alii illum Aristoteri mathematici auditorem fuisse perhibent. Ejus phænomena jam olim plurimi illustrarunt, et Cicero etiam adolescentulus latino carmine reddidit. Nec recentiores in iisdem castigandis atque interpretandis operam suam desiderari passi sunt. Alia illius scripta temporum iniquitate interierunt.]

Archelaus Rex, Cappadociæ nimirum, ut auctor est Plinius, lib. XXXVII, cap. 11 et 25, ubi quæ ex Archelao refert de gemmis, ex eo libro deprompta esse certum est, quem περὶ λίθων, de Lapidibus, scriptum ab eo ait Plut. lib. de Flumin. pag. 1153.

Archelaus, de quo in Indice libri XXVIII, quem scholiastes Nicandri ad Theriaca, pag. 38, laudat ἐν τοῖς ἰδιοφυέσι, hoc est, in libro de iis quæ sunt ancipitis naturæ: quo ex libro refert ea quæ ad murænarum coitum cum serpentibus attinent. Scripsit et epigrammata ad Ptolemæum regem, de mira animalium natura, ut auctor est Antigonus Carystius, Histor. mirab. pag. 23, ubi hunc fuisse patria Ægyptium docet: atque ab eo proinde diversum quem Χεῤῥονησίτην fuisse Athenæus ait, lib. IX, pag. 409, ubi eum laudat in Ἰδιοφυέσι, hoc est, in eo opere, quo agit de rebus quæ singulis in locis propria gignuntur.

Archibius [medicus] scripsit ad Antiochum regem, teste Plinio, lib. XVIII, cap. 70. Laudatur a Galeno, lib. V, κατὰ γένη, cap. 14, pag. 798.

Archidemus [vel Archidamus], medicus. Hujus exstant capita aliquot de Mulomedicina, inter Veterinariæ Medicinæ scriptores Basileæ editos anno 1537.

Archimachus vel Archemachus. Conscripsit hic Rerum Euboicarum libros, quorum tertium citat Athenæus, lib. III, pag. 465. Ἀρχέμαχος ὁ Εὐβοεὺς appellatur, Ætatis incertæ, gente Euboicus.

Archimedes [Syracusanus, nobilissima familia natus, sed ingenio et rerum mathematicarum scientia operibusque admirandis, majorem gloriam adeptus, capta a Romanis patria ab irrumpente milite, inscius, dum nihil interroganti responderet, sed totus esset figuris in arena litoris delineandis, interfectus est. Libri ejus de Sphæris et Cylindro; de circuli Dimensione; de Figuris conoidibus, obtusis et sphæroidibus; de

Quadratura parabolæ; de Numero arenæ etc., a diversis editi sunt; alii autem non pauciores dudum perierunt.]

ARCHYTAS, Tarentinus, [Philosophus Pythagoricus, Astrologus et Geometra, quem Varro et Columella inter scriptores rei rusticæ nominant. Doctum vero hominem et plane sapientem appellat Cicero. Ejus sub nomine exstat libellus, quo Universa *(les Universaux)* in decem classes, quas vulgo categorias seu prædicamenta vocant, distribuit; reliqua ipsius scripta jam diu desiderantur. De Educatione puerorum scripsisse dicitur a Philostrato, lib. VI, de Vita Apoll. c. 14.]

ARISTAGORAS. Scripsit Ægyptiaca, quorum Stephanus meminit in Τάχομψος, et alibi sæpe. Eo in opere egit de pyramidibus, ex quo multa Plinius recitat, lib. XXXVI, cap. 17, quo ex capite colligimus fuisse Duridis Samii æqualem: atque adeo floruisse rege Ægypti Philadelpho, Olymp. circiter CXLIV.

ARISTANDER, Varroni et Columellæ, lib. I, de Re rust. cap. 1, Aristandrus Atheniensis dictus, inter scriptores rei rusticæ. Scripsit et de Portentis, auctore Plinio, lib. XVII, cap. 38.

ARISTARCHUS Sicyonius. In Indice, lib. V. De Rebus Geographicis scripsisse videtur. Eumdem esse suspicor, quem Pausanias, lib. V, pag. 325, rerum Olympicarum scriptorem appellat.

ARISTEAS [vel ARISTÆUS], Castrobii filius, Proconnesius poeta, inquit Herodotus, lib. IV, pag. 229, scripsit Ἀριμάσπεια carmina; Θεογονίαν versibus fere mille: vixit temporibus Cyri et Crœsi: vide Suidam, pag. 426. Vidisse se Aristeæ libros testatur Gellius, lib. IX, cap. 4. De eo plura ad Plinii librum VII, 2.

ARISTIDES patria Milesius fuit. Scripsit libros Rerum Sicularum, Italicarum, ac Persicarum, quos laudat Plutarchus in Parallelis, pag. 305 et alibi passim. Scripsit et Milesiacos, lascivum opus, ut ait idem Plut. in Crasso, pag. 564. Aristidem laudat Pindari scholiastes, pag. 216, ἐν τῷ περὶ Κνίδου συγγράμματι. Ætatis incertæ.

ARISTOCREON. Terrarum, vel Africæ certe situm descripsisse videtur: quum laudetur a Plinio in opere geographico, lib. V, cap. 10, et lib. VI, cap. 35.

ARISTOCRITUS. Commentarium edidisse de Mileto, scribit Apollonii Scholiastes ad lib. I, v. 185.

ARISTOGENES, Gnidius a solo natali, a diuturna commoratione idem Thasius Suidæ appellatus, pag. 408. Chrysippi philosophi servus, et idem regis Antigoni Gonatæ medicus. Floruit Olymp. CXXX. Scripsit multa de Rebus medicis: in his, auxiliorum naturalium epitomen, φυσικῶν βοηθημάτων, πρὸς Ἀντίγονον. De Facultate medicamentorum, περὶ δυνάμεως. De Venenatis animalibus, περὶ δακετῶν, et alia, de quibus Suidas loc. cit.

ARISTOGITON, Græcis Ἀριστογείτων Medicus, in Indice lib. XXVII et cap. 14, ejusdem libri, Plinio memoratus.

ARISTOMACHUS, patria Solensis, Meliturgica scripsisse dicitur in Indice lib. XI, et cap. 9, ejusdem libri: cujus operis et Columella meminit,

lib. IX, cap. 13. De Conditura vini, in Indice libri XV. [Nec non *de Apibus*, ut ex ipso Plinio discimus lib XI, cap. 9].

Aristomachus, alter Atheniensis, de quo in Indice lib. XIII, et cap. 47, ejusdem libri: de Plantis scripsisse videtur.

Aristophanes, Milesius. Ita uno consensu libri omnes editi, et manu exarati: quorum auctoritate stare si quis voluerit, ex iis Varronem emendabit, apud quem non Milesius ille, sed Mallotes, ex Mallo nimirum Ciliciæ oppido, appellatur, lib. I, cap. 1, ubi eosdem de agricultura scriptores recenset, quos Plinius laudat in Indice lib. VIII. Aristophanem hunc ipsum ἐν τοῖς Γεωργοῖς citat Theocriti scholiastes, ad Idyll. I, v. 48.

Aristophanes [incerta patria, sed civitate Atheniensis, comœdiæ veteris princeps, et ob atticum dicendi genus, a multis tanquam græcæ linguæ eximius auctor maxime commendatus, vixit etiamnum Olymp. xcvii et comœdias plures reliquit, quarum vero nonnisi XI superstites habemus].

Aristoteles, Stagirites [natus Olymp. xcix, 1, Platonis auditor], Platonis magisterio, institutione Alexandri, scholæ Peripateticæ celebritate insignis. [Apud Chalcidenses, aconito hausto, diecessit e vita anno ætatis suæ 63. Opera quæ supersunt, nunc uno, nunc duobus, nunc quatuor voluminibus in lucem prodierunt].

Arruntius, sic enim in inscriptionibus antiquis scribitur, et apud Dionem, lib. LVIII, pag. 638. Λούκιος Ἀῤῥούντιος. De eo Seneca, Ep. 114, *Arruntius*, inquit, *vir raræ frugalitatis, qui historias belli Punici scripsit; fuit Sallustianus, et in illud genus nitens*, etc. Vixit Augusti principatu, cujus judicio dignus ipse Arruntius principatu fuit. [Quem vero Seneca, de Beneficiis lib. VI, captatorem testamentorum appellat, diversum ab eo fuisse satis liquet.]

Artemidorus, Ephesius. Vixit in Olymp. clxix, ut Marcianus Heracleotes testatur in Periplo, pag. 97. Terras descripsit, et maria περὶ πλόων libris undecim, ut idem Marcianus docet, pag. 31, qui eos redegit in epitomen. Ipse scripsisse dicitur ἐπιτομὴν τῶν γεωγραφουμένων, a scholiaste Apollonii ad lib. III. Argon. v. 858. Artemidorum Ephesium lib. VIII, Γεωγραφουμένων, laudat Diodor. Sic. lib. III, Bibl. pag. 149.

Artemon, Medicus. In Indice lib. XXVIII et cap. 2 ejusdem libri.

* Aruntius. Vide Arruntius.

Asarubas, qui forte Asdrubas vel Asdrubal vocandus, laudatur a Plinio, lib. XXXVII, cap. 11. Plinio ipsi coævus, ut ipse testatur, loco proxime notato.

Asclepiades, medicus, quem nonnulli crasso errore cum Asclepiade Myrleano confundunt, qui Ptolemæi Evergetis ætate vixit. Hic quem Plinius laudat, lib. VII, XIV, XX, XXII, XXIII, XXIV, XXVI et XXIX, Prusiæus ex Bithynia fuit, Philophysicus cognominatus, Pompeii M. temporibus, teste Strabone, lib. XII, pag. 566, et Plinio ipso, lib. XXV, cap. 3. Fuit primum is rhetor, sed a rhetorica postea

ad medicinam transiit, teste Plinio, lib. XXVI, cap. 7, ubi plura de eo. Hinc *eloquens medicus* dicitur Ciceroni, lib. I, de Orat. pag. 283, qui se eo medico et amico usum esse gloriatur. Librum scripsit de Tuenda sanitate, cujus Celsus meminit, lib. I, cap. 3. « Multarum rerum, inquit idem Celsus, lib. IV, cap. 4, quas ipsi quoque secuti sumus, auctor bonus. » De Dando vino volumen, quod a Plinio laudatur, lib. XXIII, cap. 19: ejusdem libros de Hydrope laudat Cælius Aurel. lib. III, cap. 8, et alios alibi passim. Hujus denique ad Mithridatem scripta volumina de Medicis rebus, laudat Plinius, lib. XXV, cap. 3.

Asclepiades [Isocratis discipulus], qui Τραγῳδούμενα scripsit. Hunc Tragilensem fuisse, ex Tragilo Thraciæ oppido, prope Cherrhonesum, et Macedoniam, ac libris sex scripsisse τὰ τραγῳδούμενα, ea quæ in tragœdiis decantantur, auctor est Stephanus, verbo Τράγιλος. Meminere præterea Asclepiadæ ἐν τοῖς τραγῳδουμένοις, Athenæus, lib. X, pag. 456; Harpocration in Δυσαύλης, pag. 90; Hesychius in Ῥήσαρχος, pag. 814; et Schol. Apollonii, ad lib. II, v. 328.

Asclepiodorus. Est in Indice libri XXXV, qui totus est de Picturæ Laude. Hunc igitur suspicor fuisse pictorem illum in symmetria admirabilem, quem Plinius laudat, cap. 36 libri illius [et Apelles quondam miratus est]. De sua arte scripserit is fortassis aliquid, quod et alii fecerunt.

Asconius Pedianus, a Pedia gente, in quam qui primus est adoptatus, ita vocatus est. In vet. inscript. apud Gruter. pag. 987, Pedianus: etsi Suidas et alii Græci aliquando Παιδιανὸς scribant. Fuit is Virgilio familiaris, a quo audierat se fixisse crucem Grammaticis illo versiculo, Eclog. III, v. 105:

Tres pateat cæli spatium non amplius ulnas.

Hujus exstant Commentarii in Orationes Ciceronis. Serius quam oportuit ejus obitum ponit Hieronym. in Chron. dum ad an. Vespasiani 7 sic loquitur. « Q. Asconius Pedianus scriptor historicus clarus habetur, qui LXXIII ætatis suæ anno captus luminibus, XII postea annis in summo omnium honore consenescit. » Obierit igitur is anno Domitiani septimo, annos tamen natus, quum obiit, tantum LXXXV, qui familiaris Virgilio fuit, ante annos centum et quinque mortuo. Neque vero idcirco necesse est diversum putare illum Asconium Hieronymi, ab eo cujus exstant Commentarii in Ciceronem, ut voluit Scaliger in Eusebii Chron. pag. 184. Quis enim scriptorem historicum clarum existimet, de quo cæteri scriptores silent? Silent autem profecto, si diversus a critico, quem unum omnes noverunt.

Asinius Pollio. Hujus ad Ciceronem exstat epistola, lib. X, ad Fam. Huic Maro Eclogam inscripsit. Edidit ipse Historiarum Romanarum libros XVII, teste Suida in Ἀσίνιος, pag. 456. *Non minima pars Romani stili* appellatur a Valerio Maximo lib. VIII, cap. 13. Ad eum Horatius, lib. II, od. 1, 13 sq.: « Insigne mœstis præsidium reis, et consulenti Pollio curiæ. » [In Ciceronem infesto fuit animo, fortassis quia

nitorem et jucunditatem orationis quam in Tullio fere omnes admirabantur adsequi non potuit. Memoratur a Plinio in Præfatione et alibi.]

Astynomus. Laudat hunc Stephanus, in verbo Κύπρος. Geographica scripsisse videtur.

*Ateius. Vide Atteius.

Attalus. In Indice libri VIII, sic habent libri fere omnes editi: *Hierone rege, Attalo rege, Philometore item.* Atque importunum illud glossema *Rege*, quod insertum est post Attali nomen, incautum ita fefellit Fulvium Ursinum, in notis ad Varronem, pag. 12, ut existimarit duos hic diversos laudari a Plinio reges ac scriptores. Verum ex Varrone, lib. I, cap. 1, intelligimus unius ejusdemque geminum illud nomen esse, atque adeo legendum ἁπλῶς: *Hierone rege, Attalo Philometore item.* Fuit enim Attalus Pergami rex, Eumenis F. amicus populi Rom. quem moriens reliquit hæredem: Philometor idem cognominatus ob pietatem adversus matrem, uti ex Strabone liquet, lib. XIII, pag. 624. Plutarchus item scribens in Demetrio, pag. 897 Ἄτταλος ὁ Φιλομήτωρ ἐκήπευε τὰς φαρμακώδεις βοτάνας, ejus in re herbaria curanda diligentiam extollit. Ex his corrigendus est Columella, apud quem, lib. I, cap. 1 pariter legitur, *Attalus et Philometor*, perperam. Haud diversum ab eo puto Attalum esse eum, quem medicum appellat Index libri XXXII et XXXIII: quum hunc ipsum Pergamenorum regem, omnis generis medicamentorum perquam studiosum fuisse Galenus affirmet, lib. I, κατὰ γένη, cap. 13, et lib. I, de Antidotis, cap. 1, de Medicinis ex animalibus scripsisse, lib. X, de Facult. simpl. medic. cap. 1.

Atteius Capito, cui Lucius prænomen fuit. Hunc Augusti ævo Consulem fuisse cum Vibio Postumo, et Pomponius, lib. I. Digest. tit. 2, orig. Juris, § 24, et vetus testatur inscriptio, anno U. C. DCCLVIII. Sed suffectos Consules oportet fuisse, non ordinarios. Maximæ auctoritatis Jurisconsultus vocatur a Pomponio. Conjectanea illius, ac libri de jure Pontificio, a Gellio laudantur, lib. IV, cap. 5. Commentarius de judiciis publicis ab eodem, lib. X, cap. 5. Liber primus Sacrificiorum, a Macrobio, lib. III, Saturn. cap 10. [Epistolæ quoque illius laudantur. Auctor fuit sectæ inter jurisperitos claræ Sabinianorum; cumque Labeo in jure novator esset, ipse a majoribus tradita mordicus tenebat, accommodato tamen imperantibus ingenio, ita ut quæ Augustus de novo instituebat, facile probaret. Diem suum obiit an. U. C. DCCLXXV.]

Atteius Philologus. De eo Suetonius, lib. de illustr. Gram. cap. 10: « Atteius Philologus, libertinus, Athenis natus: Hunc Capito Atteius Jurisconsultus, inter Grammaticos Rhetorem, inter Rhetores Grammaticum fuisse ait.... Philologi appellationem assumpsisse videtur, quia sicut Eratosthenes, qui primus hoc cognomen sibi vindicavit, multiplici variaque doctrina censebatur. Coluit familiarissime C. Sallustium, et eo defuncto Asinium Pollionem. » Citatur a Festo,

verbo *Naucum*; ejus liber glossematorum, ab eodem, verbo *Ocrem*. Tertius πινάκων, a Sosipatro, lib. I, pag. 108. Pudentis Grammatici discipulum se fuisse ipse profitetur in inscriptione vetere apud Gruter. pag. 653.

Atticus Julius. Hunc sui temporis scriptorem, et Corn. Celso æqualem vocat Columella : eumdemque ait, lib. I, cap. 1, de Una Specie culturæ pertinentis ad vites singularem librum edidisse.

Atticus Pomponius. Huic Titus prænomen fuit : idem post adoptionem, Q. Cæcilius Pomponianus Atticus Ciceronis familiaritate notissimus. Scripsit de virorum illustrium Imaginibus, teste Plinio, lib. XXXIII, cap. 2. Citantur ejus Annales, quibus et temporum seriem et origines familiarum amplexus est, ab Asconio Pediano in Orat. Cic. in Pison. pag. 6.

Augustus Cæsar. Scripsisse eum de Vita sua libros XIII auctor est Suetonius in Augusto : unde decerptum illud quod Plinius refert, lib. II, cap. 23, etsi id quidem non aperte Plinius significat : sed ex Bæbii Macri verbis agnoscitur apud Servium in I Georg. eadem ex eo opere narrantis. Hosce commentarios rerum suarum ad Agrippam et Mæcenatem inscripsit, teste Plutarcho in Cicer. pag. 887, et in Antonio, pag. 947. Scripsit et Breviarium totius imperii, de quo idem Suetonius, cap. ult. Notitiam imperii posterior ætas vocasset. Ex ejus commentariis compositionem medicam exscribit et laudat Plinius Valer. lib. I, de Re med. cap. 18. Librum Epistolarum D. Augusti, quas ad Caium nepotem suum scripsit, laudant Quintilianus, lib. I, cap. 6, Gellius, lib. XV, cap. 7. Plin. lib. 18, cap. 38.

B.

Bacchius [medicus empiricus, Herophileus Galeno, commentarios scripsit in lib. VI Epidemiorum Hippocratis, nec non in alios obscuriores Hippocratis libros; glossas item Hippocratis, auscultationes, et compendium de pulsibus. Hunc eumdem esse conjicit Harduinus, ac scriptorem rei rusticæ a Varrone, Columella, et Plinio laudatum. Sed hic Milesius fuit; ille medicus autem ab antiquis patria Tanagræus fuisse dicitur].

Bæton. Βαίτων Athenæo, lib. X, pag. 442, dimensor itinerum Alexandri, cui comes fuit, in eo libro quem inscripsit, Σταθμοὶ τοῦ Ἀλεξάνδρου πορείας, Stationes expeditionis Alexandri.

Basilis. Inter eos qui Æthiopiæ mensuram litteris consignarunt, hic annumeratur a Plinio, lib. VI, cap. 35; ab Agatharchide, lib. de Rubro mari, cap. 31; apud Photium in Bibl. pag. 1360, cod. 250, inter eos qui Orientis loca descripserunt : Βάσιλις, καὶ Ἑκαταῖος, etc. Denique ex ejusdem libro secundo Rerum Indicarum nonnulla refert Athenæus, lib. IX, pag. 390.

Bassus Calpurnius, sic enim in vetustis omnibus Inscript. legitur apud Gruter. non uti vulgo Calphurnius. Laudatur in Indice libri XVI et sequentium.

Bassus Julius. Vixit hic Augusti temporibus : ac licet homo Latinus, Græce tamen de Re medica scripsit, teste Dioscoride in Præfat. in qua Βάσσος ὁ Ἰούλιος, non ὁ Τύλιος vel Τυλαῖος, uti et apud Epiph. lib. I, adversus hæres. num. 3, ubi ejus Bassi meminit inter insignes medicos, legi oportere viderunt ante nos eruditi. Julius Bassus a Scribonio laudatur in Compos. 29.

Berosus. Non Mosis ille temporibus, ut quidam statuunt, sed Alexandri M. æqualis, ut docet Eusebius, lib. X, Præpar. pag. 493. Scripsit Babylonica, sive Chaldaica, hoc est, de Patria sua, libris tribus, teste Tatiano, orat. contra Græcos, pag. 184, quos libros dicavit Antiocho τῷ Θεῷ, qui Soteri successit, teste eodem Eusebio. « Astrologia enituit, atque ob divinas prædictiones Athenienses ei publice in gymnasio statuam inaurata lingua statuere, » inquit Plinius, lib. VII, cap. 37. « Berosus, qui Belum interpretatus est, » inquit Seneca, lib. III. Natur. quæst. cap. 29.

Bion Solensis, a Solis Ciliciæ oppido, natali solo, nomen habet. Laudatur in Indice libri V et VIII. Æthiopica conscripsit, et est quintus ejusdem nominis apud Diogenem Laert. in Bione, pag. 111. Historicum vocat Plutarchus, in Theseo, pag. 12. Fortassis ab eo diversus est natali solo et disciplina, quem patria non appellata, περὶ δυνάμεων, hoc est, de virtute et usu herbarum scripsisse ait Index libri XXVIII.

Bocchus Cornelius. Laudat hunc inter auctores haud pœnitendos, Solinus, cap. 1. Ætas incerta.

Boeus, qui hactenus in Plinianis libris *Boetus*, *Boetius et Boethus* perperam est appellatus. Nam ex Athenæo, lib. IX, pag. 369, et Antonino Liberali, in Metamorphosi, fab. 5, veram ejus nominis scripturam didicimus, quum ab iis Βοῖος ἐν ὀρνιθογονίᾳ non semel laudatur. Citatur a Plinio, lib. X, cap. 3, ubi de aquilis agit, et in Indice ejusdem libri, qui totus in avibus describendis versatur.

Botrys, medicus. Atheniensis hic fuit, ut est in Indice libri IV. Βότρυος compositiones medicas laudat Galenus, lib. III, κατὰ τόπους, cap. 1.

Bruti Epistolæ laudantur a Plinio, lib. XXXIII, cap. 12. Ab Ovidio, lib. I, ex Ponto, Epist. 1, v. 23.

..... Antoni scripta leguntur;
Doctus et in promptu scrinia Brutus habet.

A Diomede, lib. I, pag. 383, et a Prisciano, lib. IX, pag. 863. Anteferre has solitus olim Platonis ipsius Demosthenisque scriptis, Marcianus quidam traditur, apud Photium, in Biblioth. cod. 158.

Butorides. Habet hic locum, lib. XXXVI Plinianæ Historiæ, cap. 17, inter scriptores duodecim, qui de Pyramidibus Ægypti litteris aliquid mandarunt : quibus in recensendis, quum rationem temporum servare Plinius videatur, licet existimare Butoridem, Antisthenem, Demetrium, Demotelem, nec Ptolemæo Lathuro antiquiores esse, cujus principatu floruit Alexander Polyhistor qui hos antecedit : nec rursum Tiberio Cæsare juniores, cujus ætate Apion vixit, qui postremo loco recensetur. Græcis Βουτορίδης et Βουτορίδα hic appellatur.

Bythus Dyrrachenus. Salmasius, pag. 27, Exercit. in Solin. mallet legi Bithum, quale nomen est gladiatoris apud Horat. Verum hanc scripturam esse sinceram docet inscriptio vetus Albæ reperta, quam Reinesius recitat, Epist. 41. pag. 352. Chiæ. Ti. Claudius. Bythus. Bene. merit. tribuit. Laudatur in Indice libri XXVIII, et cap. 23 ejusdem libri.

C.

Cæcilius, medicus. Inter externos scriptores positus in Indice libri XXVIII; Achæus certe, quantum conjicio, fuit. Καῖκλον pro Καικίλιον contracte Athenæus vocat, lib. I, pag. 13, ac libros Halieuticon scripsisse refert; commentarios, Plinius ipse, libr. XXIX, cap. 27.

***Cæcilius**, Calactinus Siculus, vixit Augusti tempore, et nobilis plane rhetor fuit. Ejus scripta sunt : Commentarii bellorum servilium; itemque de iis quæ ab oratoribus secundum historiam vel præter historiæ veritatem dicta sunt. Plinius quidem noster, lib. XXIX, cap. 27, Cæcilii commentarios excitans, videtur commentarios intelligere medici argumenti qui adeo antecedenti medico rectius, quam huic rhetori, tribui possent. Memorandi tamen ambo, ne confundantur.

Cæcina, sic in vetustis inscriptionibus legitur, non uti vulgo scribunt, *Cecinna*. De Etrusca disciplina, ut dicitur in Indice lib. II, volumen edidit; ex quo nonnulla de fulguribus recitat Seneca, lib. II. Natur. quæst. cap. 56, cum hoc elogio : « Facundus vir, inquit, qui habuisset aliquod in eloquentia nomen, nisi illum Ciceronis umbra pressisset. »

Cælius Lucius. Vid. Antipater.

Cæpio. Tiberii principatu vixit. Scripsit de Floribus et Coronamentis.

Cæsar [C. Julius], Dictator, Indice libri XVIII. Græce is dicitur, ut Tarrutius fecit, astrologicum studium illustrasse. Ideo, credo, græce maluit quam latine, quod in eo astrologiæ studio familiariter uteretur Sosigene, homine Ægyptio græce perito, non item latine. Macrobius lib. I, Saturn. cap. 16 : « Julius Cæsar, inquit, siderum motus, de quibus non indoctos libros reliquit, ab Ægyptiis disciplinis hausit. » Ex hoc opere Cæsaris, permulta de ortu siderum et occasu Plinius refert, lib. XVIII. An Commentarii de bello Gallico, qui

sub ejus nomine vulgo circumferuntur, illius sint, an Julii Celsi, lis est inter criticos. Priscianus tamen Cæsari adjudicat, lib. VII, pag. 770.

Cæsennius. In Indice libri XIX dicitur κηπουρικὰ scripsisse, hoc est, de Re hortensi. At qui illius meminisset præterea, reperi adhuc neminem. Animus aliquando fuit Cæsennium in Cæsellium mutare, cujus Commentarii Lectionum Antiquarum citantur a Gellio, lib. II, cap. 16, et lib. III, cap. 16; sed religio deinde fuit contra omnium codicum, quos vidi, fidem ire.

Calippus, græce Κάλιππος, Cyzicenus a patria cognominatus apud Censorinum, cap. 18. Astronomus antiquissimus, cujus apud Geminum mentio in Elementis Astronomiæ, cap. 6, et Ptolemæum, lib. de Apparentiis pag. 93; apud Petavium in Uranologio, ubi Calippi observationes in Hellesponto factæ narrantur.

Callicrates. In Indice libri V. Geographica scripsisse videtur.

Callidemus. Indice libri IV. Laudatur a Solino, cap. 11.

Callimachus. Patria Cyrenæus : vixit ad Ptolemæi Evergetæ tempora. [Scripta composuit et reliquit, si Suidæ credamus, plura octingentis, et inter ea, multa historica, cujusmodi sunt : descriptio eorum qui in quavis disciplina clari fuerunt, lib. CXX; necnon et] κτίσεις, sive origines insularum et urbium; de Rebus in Peloponneso et Italia admirandis; de Piscibus; de Ventis; de Avibus, περὶ ὀρνέων, cujus operis meminit et Isaac Tzetzes in Lycophr. pag. 82, et Schol. Apollonii ad lib. I, v. 1040; de Orbis terrarum Fluminibus; aliaque multa quæ ex Suida peti possunt, pag. 1360. Edidit præterea hymnos, qui hodieque exstant. De Asiæ Fluminibus edidisse volumen, auctor est Schol. Apollonii ad lib. I, v. 1165.

Calliphanes. In Indice, lib. III et VII, ac lib. VII, cap. 2, scripsit τὰ γεωγραφούμενα.

* Callippus. Vide Calippus.

Callisthenes. Patria hic Olynthius fuit, teste Æliano, lib. XVI, Hist. anim. cap. 3. Aristotelis auditor idem et consobrinus, teste Laertio in Theophrasto, pag. 123. Scripsit libros decem Rerum a Græcis gestarum, teste Diodoro Siculo, lib. XIV, pag. 325, et Athenæo lib X, pag. 452. De radicum herbarumque Viribus, ut auctor est Epiphanius, lib. I, adv. hær. num. 3. Ejusdem Macedonica laudat Stobæus, serm. 48, pag. 171, et Plutarchus in Parallelis, pag. 307. Thracica, idem pag. 313. Metamorphoses, idem pag. 306, et Stobæus loc. cit. pag. 172. Persica, Suidas tomo II, pag. 717, in Σαρδανάπαλους. Strabo, lib. XVII, pag. 813, libros de Rebus gestis Alexandri. Denique Callisthenes ἐν τῷ πρώτῳ τοῦ περίπλου laudatur ab Apollonii Schol. ad lib. I, v. 1040.

Callistratus. Laudatur a Plinio cap. 12 et 25, lib. XXXVII; quibus ex locis apparet scripsisse Callistratum περὶ λίθων, de Lapidibus pretiosis, sive de Gemmis.

Calpurnius. Vide Bassus Calpurnius.

Calvinus Domitius. In Indice libri XI.

Calvus (C. Licinius), poeta et orator. Catullo familiaris fuit, ut ex hujus ad illum hendecasyllabis liquet: cum Tullio de facundiæ principatu decertavit, ut testis est Seneca, lib. III, Controv. 19. Hujus in Julii Cæsaris famam exaratos versus recitat Suetonius in Julio, cap. 49, pag. 9. Ejusdem poema laudat Charisius, lib. I, pag. 120, Orationes, lib. II, pag. 203.

Cassius Hemina. Laudat hunc Solinus, cap. 2. Nonius, cap. 2: «Cymbalissare, inquit, est cymbala quatere. Cassius Hemina, lib. III: Mulier cantabat tibiis Phrygiis, et altera cymbalissabat.» Ejusdem librum Annalium primum citat Gellius, lib XVII, cap. 21; secundum, Macrobius, lib. I Saturn. cap. 16; quartum, idem Nonius, cap. 2, verbo *Litterosus*. Vixit ludis sæcularibus quartis, C. Corn. Lentulo, L. Mummio Achaico Coss. anno U. C. dcvii, teste quidem Censorino, cap. 17. Quare Simlerus hallucinatur, qui eum scripsisse ad Tiberium putat, quem imperare scimus cœpisse anno dcclxviii. Cassium Heminam scilicet cum Cassio Severo confundit.

Cassius Parmensis, idem Severus cognominatus: unus e Cæsaris percussoribus, qui omnium postremus parricidii pœnas luit, ut a Velleio proditum, lib. II. Scripsit ad Antonium epistolam, quam Plinius laudat, lib. XXXI, cap. 8. De eo Horat. lib. I, Epist. 4, v. 3:

Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat.

Hujus exstat Epigramma de Orpheo, inter Poematia vetera a Pithœo edita, Paris. 1590, lib. IV, pag. 185.

Cassius Severus Longulanus, a natali solo, Italiæ oppido, sic appellatus, ut a Cassio Severo Parmensi distingueretur. Floruit extremis Augusti temporibus, et Tiberii principatu: insignis orator a Plinio vocatus, lib. VII, cap. 10, et a Quintil. lib. X, cap. 1, ubi eximie ejus ingenii forma, et acerbitas depingitur. Hactenus in Plinianis editionibus legebatur divisim, *Cassio Severo, Longulano*: unde Simlerus in epitome Gesneri, ut scriptorum, credo, numerus cresceret, Longulanum putavit proprium esse scriptoris nomen. Hujus Cassii Severi libellum scriptum ad Mæcenatem citat Charisius, lib. I, pag. 79, et Priscianus, lib. VII, pag. 759. Ad Tiberium librum secundum, Diomedes, lib. I, pag. 370.

* Cassius Silanus, præceptor Cæsaris Germanici, Drusi filii.

Castor. Vide Antonius Castor.

Castritius. Falso Simlerus aliique existimant, laudari a Plinio T. Castritium Rhetorem, de quo mentio frequens apud Gellium, qui se eo usum esse magistro testatur, lib. XIII, cap. 21, Hadriani Imp. ætate. Hujus patrem potius fuisse oportet eum, quem scripsisse κηπουρικὰ, hoc est, de Re hortensi, Plinius ait in Indice libri XIX.

Cato Censorius (M. Porcius). Laudat hunc breviter, at eximie Quintilian. lib. XII, cap. 11. De eo multa dicemus, lib. VIII, cap. 28. Scripsit de Re militari, ut in notis ad Præfat. diximus. Epistolam ad filium, cujus meminit Priscianus, lib. VII, pag. 762. Originum libros, quorum septem a Grammaticis citantur. Agricolationem latine loqui

primus instituit, inquit Columella, lib. I, de Re rust. cap. 1. Exstat hodieque hic ejus liber, de Re rustica.

*Catullus Q. Valerius, Veronensis poeta, prisca suavitate venustus, at ob sales carminibus adspersos, eosque paulo lasciviores, caute legendus, obiit Romæ circa A. U. dccv, quo bellum civile inter Pompeium ac Cæsarem exardere cœpit. Exstat etiamnum liber ejus epigrammatum variorumque poematum, diverso carminis genere scriptorum. Citatur in præfatione Plinii.

Celsus. Vide Cornelius Celsus.

*Censoriæ leges, sunt edicta censorum, ea, quæ ad civium disciplinam pertinebant, complexa; e quibus quædam Plinius.

Chæreas Athenæus, Varroni et Columellæ laudatus inter probatissimos rei rusticæ scriptores, lib. I, cap. 1.

Chæristus vel Chæristeus, Atheniensis, qui Columellæ *Chrestus*, Varroni rectius *Chæristeus* : ab utroque loc. cit. annumeratus inter scriptores de agricultura.

Chares Mitylenæus, quem Characem pro Charete scripserunt hactenus Plinii editores in Indice libri XII. Hunc de gestis Alexandri scripsisse auctor est Plutarch. in ejus vita, pag. 696. Cujus historiæ librum decimum laudat Athenæus, lib. XII, pag. 538. Χάρης a Græcis dicitur. De eo plura Suidas. Characem quidem non diffiteor historiarum Græcarum condidisse libros XL, in quibus, ut idem Suidas ait, Augusti Cæsaris facta narrantur, et Neronis, et successorum : verum is, et Plinio junior, ut apparet, et Lampsacenus idem, non Mitylenæus fuit.

*Chilo, Lacedæmonius, unus e septem Græcis sapientibus, cujus tria Delphis in Apollinis templo dicta fuere conseerata, cujusque apophtegmata alia exposita sunt a Stobæo serm. 28. Ejus epistolium ad Periandrum producit Laertius qui et versus illum circiter ducentos scripsisse contestatur.

*Chiron, medicus, musicus et philosophus insignis, qui, quod equis venari docuisset, Centaurus appellatus est. Idem Æsculapii, Jasonis, Achillis aliorumque illa ætate heroum præceptor fuisse, herbarumque vires et medicamenta reperisse perhibetur.

Chysermus. Medicus hic fuit, cujus placita laudantur a Plinio, lib. XXII, cap. 32 : ab historico cognomine, patria Corinthio, de quo Plutarchus, libro de Fluviis, pag. 1150, et Stobæus serm. 157, pag. 551, fortasse diversus.

Chrysippus, philosophus, qui natus Solis, Ciliciæ oppido, Cleanthis auditor fuit. Vitam illius scripsit Laertius, lib. VII, pag. 207. Edita ab illo aiunt volumina septingenta septem. Vixit Ptolemæi Evergetæ, et Philopatoris ætate : obiit Olymp. cxliii, ut Suidas refert. Libros ejus περὶ φύσεως laudat Plutarchus, lib. de Stoicor. repugnant., pag. 1045, aliaque opera.

Chrysippus, medicus, Erasistrati magister, ut Plinius ait, lib. XXIX, cap. 3. Galenus, lib. de venæ Sectione contra Erasistr. cap 2,

et Erasistratus ipse apud Laert. lib. VII, in Chrysippo, pag. 109. Vixit igitur is Alexandri M. et Ptolemæi Lagidæ temporibus : patria Cnidius fuit. Venæ sectionem improbabat. De brassica scripsisse scimus ex Plinio Laertioque. Sed et opus integrum περὶ λαχάνων *de Oleribus*, ab eo editum auctor est Schol. Nicandri ad Theriac. pag. 39. Chrysippum alium ab eo diversum, medicum pariter, sed Rhodium, laudat Schol. Theocriti ad Idyll. 16, vers. 128.

Cicero [Marcus Tullius, natus ex equestri familia A. U. dcxlviii, consulatum gessit anno Urb. dcxci, nec tantum eloquentiæ Romanæ princeps, sed et philosophus tam insignis fuit, ut in sui admirationem Græcos omnes converterit. Quum M. Antonii furoribus, scriptis adversus illum orationibus Philippicis, paulo imprudentius se objecisset, periit annum ætatis lxiv ingressus, et Antonii jussu a Popilio quodam, quem homicidii reum aliquando defenderat, obtruncatus est. Opera ejus quidem hodie multa supersunt, sed tamen multa etiam desiderantur quæ temporum injuria interierunt.]

Claudius Cæsar [Imperator]. Scriptas ab eo historias, auctor est Seneca in Ἀποκολοκυντώσει, pag. 932. Suetonius in Claudio, cap. 41 et 42, historiam ait scribere illum aggressum in adolescentia, T. Livio hortante, Sulpicio Flavio etiam adjuvante : initium duxisse a Cæsaris cæde : reliquisse de hoc argumento XLIII volumina : octo, de vita sua : epistolarum, unum : Τυῤῥηνικὰ item et Καρχηδονιακά, etc.

Clemporus vel Cleamporus [medicus, cui nonnulli adscribunt librum de Virtutibus medicis herbarum, quem tamen pertinax fama et antiquitas vindicavit Pythagoræ].

Cleobulus. In Indice libri IV laudatur : quamobrem scripsisse γεωγραφούμενα potest videri. Diversus certe ab iis, quos eodem nomine fuisse appellatos prodidere Laertius et Stobæus.

Cleophantus. Vini rationem ab eo illustratam ait Plinius, lib. XXVI, sect. 8. De eo Celsus, lib. III, cap. 14, agens de tertiana febri : « Quidam ex antiquioribus medicis Cleophantus, inquit, in hoc genere morborum, multo ante accessionem, caput ægri multa calida aqua perfundebat, deinde vinum dabat : quod, quamvis pleraque ejus viri præcepta secutus est Asclepiades, recte tamen præteriit : est enim anceps. » Asclepiadem igitur antecessit ætate : Prusiæum intelligo, qui Mithridatis et Pompeii M. temporibus floruit. Idem a frigida ægris danda Ψυχρολούτης cognominari voluit, ut dicetur lib. XXVI, cap. 8. Cleophanti Antidotus laudatur a Galeno, lib. II, de Antidotis, cap. 1.

* Cleostratus, Tenedius, astronomus, quem primum octaeteridis, seu periodi illius octo annorum auctorem fuisse, Censorinus existimat. Octaeteridem autem primam illius Dodwellus auspicatur ab Olympiadis lix initio, ut Scaliger ab Olymp. lxi; idem primus in Zodiaco intellexit signa, et prima Arietis et Sagittarii.

Clitarchus. Comes hic fuit expeditionum Alexandri M. cujus res gestas libris pluribus consignavit, teste Athenæo, lib. IV, pag. 148, et lib. XII, pag. 530. Item Apollonii Schol. ad lib. III, v. 906.

Citat eumdem et Ælianus lib. XVII, Hist. anim. cap. 2. Curtius, non semel. Dinonis historici filius a Plinio vocatur, lib. X, cap. 70. Verum de eo parum honorifice Quintilianus, lib. X, cap. 1 : «Clitarchi probatur ingenium, fides infamatur.»

Cornanus. Ita hoc nomen scribitur in codd. R. 1, 2, et Colb. 2, Græcis Κόρνανος. Græci ipse generis fuit, teste Tacito, Annal. XIV, cap. 59 (nost. edit. tom. II, pag. 394), qui eum sapientiæ doctorem appellat, Musonio æqualem. Vixit Neronis temporibus.

Columella. L. Junius Moderatus Columella dictus est, cujus exstant hodieque libri de Re rustica duodecim, ac de Arboribus liber singularis. Gaditanum fuisse ex ipso scimus, lib. V, cap. 5, et lib. VII, cap. 2. Floruit Imp. Claudii temporibus. Edidit ille præterea librum Lustrationum, Sacrificiorumque priscorum pro frugibus, cujus operis ipse meminit lib. III, cap. 22. Libros quoque adversus Astrologos et Chaldæos, lib. XI, cap. 1.

Commiades, quem de conditura vini, in Indice libri XV, ac lib. XIV, cap. 24, de apparatu vini scripsisse Plinius ait. Codex Thuaneus, et Colb. uterque, Commiadem scribunt, et ante eos Priscianus, lib. VI, pag. 705, ubi ex Pliniano Indice quædam scriptorum nomina colligens: «Plinius, inquit, in XV Naturalis Historiæ, *Commiade*.»

Corbulo Domitius, Claudii ac Neronis principatu vixit, vir consularis, domi militiæque clarus. Quibus ortus parentibus fuerit, Plinius docet, lib. VII, cap. 4. Descripsisse regionum illarum situm et oppida, in quibus militavit, ex variis Plinii locis intelligitur. Multa de eo Tacitus, Annal. lib. XIII.

Cordus Cremutius, cui Aulus prænomen, res ab Augusto gestas conscripsit, historiamque bellorum civilium, teste Sueton. in Augusto, cap. 35, et in Tiberio, cap. 61. Mortem ejus describit Seneca plenissime in Consolat. ad Marciam, cap. LXII.

Cornelius Alexander, Polyhistor a multiplici doctrina nominatus. Patria hunc Milesium Suidas; Stephanus aliique, Cotyæi, quæ civitas Phrygiæ minoris est, natum dicunt. Cornelius a Lentulo dictus, cujus servus primum, deinde libertus ac magister exstitit. Idem Asclepiadæ filius, Crateris discipulus fuit. Vixit Syllanis temporibus. Scripsit Collectionem rerum mirabilium libris sex, ut auctor est Photius, cod. 188, pag. 468 : θαυμασίων συναγωγήν. Librum de Rebus Iudicis laudat Clemens Alex. lib. III, Strom. pag. 451. De Illyrico, Valer Max. lib. VIII, cap. 13. Librum tertium Rerum Italicarum, Plutarchus in Parallelis, pag. 315. Opus de Venenatis animalibus, περὶ θηριακῶν, Scholiastes Nicandri ad Theriac. in fine, pag. 42. Librum primum de Rebus Creticis, Schol. Apollonii, ad lib. IV, v. 1492. De Caricis idem, ad lib. I, v. 925. De Europa, Lybia, Ægypto etc., alii. De Judæis Assyriæ, Euseb. lib. IX, Præpar. pag. 418.

Cornelius Bocchus. Vide Bocchus Cornelius.

Cornelius Celsus. Floruit Tiberii temporibus. Octo libris de Re medica scriptis, Latini Hippocratis nomen est adeptus. Laudat hunc eximie

Columella, lib. II, cap. 2. Et Quintil. lib. XII, cap. 11 : « Cornelius Celsus, inquit, haud mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripsit artibus (historia scilicet, et eloquentia) : sed amplius etiam rei militaris, et rusticæ etiam, et medicinæ præcepta reliquit : dignos vel ipso proposito, ut eum scisse omnia illa credamus. »

Cornelius Nepos. Hostiliæ natus, quæ vicus Veronensium est, floruit Ciceronis temporibus, Augusti principatu obiit. Scripsit de Viris illustribus, quem forte Exemplorum librum inscripsit : nam hujus operis liber quintus laudatur a Gellio, lib. VII, cap. 18. Chronicorum item primus ab eodem, lib. XVII, cap. 21.

Cornelius Valerianus. [Post extrema Tiberii scripsisse videtur.]

Corvinus Messala, cui Valerius prænomen fuit, ex nobili Messalarum familia, « orator nitidus et candidus, ut Quintiliani verbis utar, lib. X, cap. 1, et quodammodo præ se ferens in dicendo nobilitatem suam. » Ut biennio toto ante obitum memoria omni defecerit, dicemus lib. VII, 24. Obiit extremis Augusti temporibus.

*Coruncanius, e gente Junia incertæ ætatis scriptor.

Cotta Messalinus, Messalæ oratoris, de quo proxime ante egimus, filius a Plinio dicitur, lib. X, cap. 27. Vide quæ ibi dicturi sumus.

*Crassus Lucius, orator qui cum Antonio introducitur in libris de Oratore, summam ingenii non laudem modo, sed et admirationem consecutus. [Sæpe laudatur a Plinio.] Hujus frater C. Crassus, juris peritissimus, filium habuit M. Crassum omnium Romanorum ditissimum, ob multas res egregie gestas deinde consulem, censorem, ac denique cum Pompeio et Cæsare triumvirum. Hic est cujus Noster meminit lib. XV [cap. 38].

Crates Grammaticus, ab arte quam exercuit. Idem a patria Mallo, Ciliciæ oppido, Mallotes appellatus, Μαλλώτης. « Primus, quantum opinamur, inquit Sueton. lib. de Ill. Gramm. cap. II, « studium Grammaticæ in Urbem intulit Crates Mallotes, Aristarchi æqualis, qui missus ad senatum ab Attalo rege, inter secundum et tertium bellum Punicum, sub ipsam Ennii mortem, » etc. Laudat eum et Sextus Empir. adv. Math. cap. II. Librum ejus quintum de Lingua Attica, Athenæus, lib. XI, p. 497.

Crates Pergamenus, a patria sic cognominatus, laudatur a Plinio, libro septimo, cap. 2. Æliano, Hist. anim. lib. XVII, cap. 9, Κράτης ὁ ἐκ τοῦ Μυσίου Περγάμου.

Cratevas, a Dioscoride in præf. ὁ Ῥιζοτόμος cognominatus, quam vocem explicabimus in Metrodoro. A Plinio item lib. XXV, cap. 4. Ab Epiphanio, lib. I, adversus hær. n. 3. Scripsit de plantis, quod opus ῥιζοτομικὸν appellavit. Scholiastes Nicandri in Theriac. pag. 32 : Κρατεύας ἐν ῥιζοτομικῷ. Hujus operis fragmenta quædam Græce edidit, in opere de Simplicibus Italico sermone a se conscripto, Aloysius Anguillara, p. 27, et alibi. Alium ejusdem nominis medicum multo vetustiorem, hoc est, Hippocratis ævo, fuisse scio. Hic Pompeii ætate vixit, quippe qui multas Mithridati, ut auctor est Plinius loc. cit. herbas adscripserit.

Cremutius. Vide Cordus Cremutius.

Critodemus, astrologus. Hujus Apotelesmatica exstare in Bibliotheca

Cæsarea Viennæ, cod. 141, auctor est P Lambecius, lib. VII, p. 284.

Criton. Hunc in Imperatorum ædibus medicum fuisse, libros quatuor τῶν κοσμητικῶν hoc est, eorum quæ ad ornatum corporis attinent, scripsisse, refert Galenus, lib. I, κατὰ τόπους, cap. 3.

Ctesias. Patria Gnidius, medicus Artaxerxis: cujus historici fidem laudat Aristoteles, lib. VIII, Hist. animal. cap. 28; Plutarchus in Artaxerxe, aliique elevant. Excerpta Persicarum Indicarumque rerum, quas ille scripsit, exstant apud Photium plurima, in Bibl. 72. Indicas scripserat libro singulari: Persicas, voluminibus tribus et viginti. Librum primum τῶν περιόδων laudat Scholiastes Apollonii, ad lib. II, v. 1017. Asiæ Periplum Harpocration, verbo Σκιάποδες. Librum primum de Fluminibus, Plutarchus, lib. de Flum. pag. 1160. Librum de Tributis Asiæ Athenæus, lib. X, pag. 442.

Curio Pater. Actiones Curionis patris, quibus Cæsaris famam perstrinxit, Suetonius commemorat in Julio Cæsare, cap. XLIX. Curionis filii Cicero meminit, lib. II, ad Att. Epist. 22.

D.

Dalion, medicus. Idem fortassis, qui primus in Æthiopiam ultra Meroen subvectus dicitur, lib. VI, cap. 35, ac de rebus Æthiopicis multa prodidisse. Herbarium Plinius appellat lib. XX, cap. 73.

Damastes. Δαμάστης Sigeensis ex Sigeo Troadis promontorio dictus, Herodoto σύγχρονος. Avienus de eo, Or. Mar. v. 46: « Quin et Damastes nobili natus Sige. » Sua ex Hecatæo descripsisse, ac Periplum edidisse, auctor est Agathemerus, lib. I, cap. 1, pag. 2: τὰ ἐκ τοῦ Ἑκαταίου μεταγράψας, περίπλουν ἔγραψεν. Suidas, pag. 639, et Valer. Max. lib. VIII, cap. 13, hujus operis meminerunt: auctoris, lib. I, pag. 47, et lib. XIV, pag. 684, et Plut. in Camillo, pag. 138.

Damion. Medicus, de Bulbis egisse dicitur lib. XX, cap. 40. Idem fortassis, qui ab aliis appellatur

Damon Cyrenæus, quem de Philosophis scripsisse scimus ex Laertio in Thalete, pag. 10, quem medicum Plinius Valerianus appellat, lib. III, cap. 20, ubi Plinii nostri locum proxime a nobis laudatum transcribit. Ejus liber quartus Ἀττίδος, sive tribuum Atticæ, laudat Athen. lib. III, pag. 96.

*Damostratus. Vide Demostratus.

Demetrius Physicus, Phalereus idem cognominatus, Theophrasti auditor, Alexandrinæ bibliothecæ præfectus, Ptolemæi Lagidæ et Philadelphi temporibus. Seriem ejus operum Laertius exhibet in ejus vita, lib. V, pag. 133, et Suidas, pag. 677. De quaternario numero scriptum ab eo quiddam Plinius ait, lib. XXVIII, cap. 17. De statuis ei dicatis ab Atheniensibus, vide quæ dicturi sumus lib. XXXIV, cap. 12. Hunc potius a Plinio Demetrium hic designari autumo, quam Scepsium, aliumve quempiam ex iis xx qui ejusdem nominis fuisse dicuntur apud Laertium.

Demetrius alter, cujus est mentio cap. 17, libri XXXVI. Is mihi

videtur esse Byzantinus historicus, qui, uti Laertius testatur, de Ptolemæi et Antiochi rebus gestis scripsit, ac de Libyæ statu.

Democedes Medicus, sic enim emendavimus, quum prius *Democlides* legeretur. Crotoniates hic medicus fuit, qui in Ægina insula medicinam exercuit, Polycratem Samiorum tyrannum curavit, a Dario deinde in Persidem est accersitus. Scripsit librum de Medicina. Narrant ista de eo Suidas, p. 489; Tzetzes, Chiliad. 3, hist. 97, v. 544; Dio, lib. XXXVIII, pag. 71; et ante eos Herodotus, lib. III, pag. 310. Ab his Δημοκήδης vocatur. Nec sum nescius Δημοκλείδεα quemdam ab Athenæo laudari, lib. IV, pag. 174, sed quem historicum potius quam medicum esse appareat.

Democles, Suidæ Δημοκλῆς. Ea prodidisse eum, quæ Plinius de Sipylo eversa narrat, lib. II, cap. 93, discimus ex Strabone, lib. I, pag. 50.

Democrates. Vide Servilius Democrates.

Democritus, Abderites a patria appellatus, quæ urbs est Thraciæ. Floruit circa Olymp. LXXX, Hippocrati æqualis. Scripta ab eo Laertius enumerat, lib. IX, pag. 249. Cosmographica, historica, agricolationem attigit. De Chamæleone scripsisse Plinius ait, lib. XXVIII, cap. 249, quod opus tamen a Laertio prætermissum. Ejus liber, qui inscribitur περὶ λοιμῶν ἢ λοιμικῶν κακῶν, laudatur a Gellio, lib. IV, cap. 13. A Columella, lib. XI, cap. 3. pag. 390, is quem γεωργικῶν appellavit. A Fulgentio, lib. II, Mythol. cap. de Peleo, pag. 145, liber φυσιολογουμένων. De opere, quod χειροκμήτων erat inscriptum, dicemus, lib. XXIV, cap. 102. Plurima Doli Mendesii commentaria, ὑπομνήματα, quibus continebantur curationes medicæ diversæ, sub ementito Democriti nomine apparuisse conqueritur Columella, lib. VII, de Re rust. cap. 5. Sed ibi legendum, *Boli.* Sic enim Suidas in littera B. Βῶλος, Δημοκρίτειος φιλόσοφος, ἱστορίαν καὶ τέχνην ἰατρικήν. ἔχει δὲ ἰάσεις φυσικὰς, etc. Et postea, Βῶλος Μενδήσιος appellatur. Suidas genuinos Democriti partus duos agnoscit, quorum alter inscriptus esset μέγας διάκοσμος, alter περὶ φύσεως κόσμου. De Democriti peregrinationibus Plinium ipsum vide, lib. XXV, cap. 5.

Demonamas. Milesius a patria cognominatus apud Stephanum, verbo Ἄντισσα. Citatur a Plinio, lib. VI, cap. 18, ubi perperam *Demonax* scribitur. Hunc se maxime sequi in itineribus Alexandri describendis Plinius profitetur. Librum de Halicarnasso edidisse dicitur ab Athenæo, lib. XV, pag. 682, a quo Halicarnasseus vocatur.

Demostratus. Senatorem Romanum vocat Ælianus, lib. XV, cap. 19, a quo passim alibi laudatur. Δαμοστράτου (nam et sic quoque ea vox effertur) ἁλιευτικῶν, sive librorum de Piscatione, meminit præter Ælianum, Sosipater apud Photium in Bibl. cod. 161, pag. 339, et Suidas, pag. 640, qui libros ait fuisse omnino XX, hoc de argumento. Additque scripsisse item de Divinatione per aquam, περὶ τῆς ἐνύδρου μαντικῆς, aliaque plurima ad historiam spectantia. Oratorem vocat Plutarchus in Alcibiade, pag. 200.

Demoteles. Inter eos qui de Pyramidibus Ægypti scripserunt, numeratur, lib. XXXVI, cap. 17 et 19. Tertullianus libro de Spectaculis, cap.

VIII, auctor est, de Obeliscis quidpiam prodidisse litteris Hermatelem nescio quem : quam quidem vocem depravatam esse coujicio; illumque hunc ipsum esse, quo de Plinius hoc loco agit ; atque adeo *Demotelem* ibi rescribendum.

Diagoras, medicus. Scripsit de Rebus hortensibus, seu περὶ φυτῶν, de Plantis. Laudat hunc Dioscorides, lib. IV, cap. 63.

Dicæarchus, Messenius e Sicilia fuit, Aristotelis auditor, teste Schol. Aristoph. in Pace, pag. 716, et Suida, pag. 730, a quo etiam accipimus, id quod Plinius tradit, lib. II, cap. 65, scripsisse eum Dimensiones montium Peloponnesi : libros deinde tres de Populis et civitatibus Græciæ : cujus operis meminit etiam Athenæus, lib. XIII, pag. 557, et Cicero, lib. II, ad Attic. Epist. 2, et lib. VI, Ep. 2. Ipsius Geographiam exstare MS. in Bibliotheca Fuggerorum, ait P. Labbeus, in Nova Bibl. librorum MSS. pag. 169. Sed quæ forte haud alia est quam illa ejus ἀπογραφὴ τῆς Ἑλλάδος πρὸς Θεόφραστον, quæ edita est Augustæ Vindel. an. 1600. Dicæarchi Παναθηναϊκὸν laudat Schol. Aristoph. in Vespis, pag. 467. Τριπολιτικὸν, Athenæus, lib. IV, p. 140.

Dieuches, medicus, Διεύχης Galeno, Comment. 2, in lib. Hippocr. de Natura hom. tom. III, pag. 137, et in proœm. lib. VI, de Facult. simp. medic. pag. 144. Scripsit de Brassica, et θεραπευτικά. Laudatur et ab Athenæo Διεύχης ἰατρὸς, lib. I, pag. 5. Ex Dieuchis Commentariis de parandis alimentis, multa refert Oribasius, lib. IV, pag. 50, et alibi passim.

Dino, Clitarchi pater, Περσικῆς πραγματείας historicus, cujus historiæ liber quintus ab Athenæo laudatur, lib. XIII, pag. 609, et a Laertio, in proœmio.

*Dinochares architectus.

Diocles Medicus, idem Diocles Carystius, a patria, Eubœæ oppido Carysto, appellatus, lib. XXVI, cap. 6, medicorumque secundus post Hippocratem ætate ac fama : Hesychio, in Συγκομιστὸς, p. 873, Διοκλῆς ὁ ἰατρός. Citatur liber ejus de Re herbaria a Scholiaste Nicandri, in Theriac. pag. 30 : Διοκλῆς ἐν τῷ ῥιζοτομικῷ. Ab Oribasio, lib. IV, cap. 3, liber de Alimentorum præparatione. A Galeno, lib. III, de Locis affectis, cap. 10, et a Cælio Aurel. lib. I, Chron. cap. 4, liber de Passionibus, et curationibus. Ab Athenæo, lib. III, pag. 110, liber primus, de Tuenda valetudine ; lib. VII, pag. 320, Ὑγιεινῶν, sive Salubrium liber primus ad Plistarchum ; et lib. XV, pag. 681, περὶ θανασίμων φαρμάκων, de Medicamentis letalibus. Ab Erotiano in Onomastico vocum Hippocr. tom. III operum Galeni, pag. 110, liber κατὰ τὸ ἰητρεῖον, de Officina medendi. Ab aliis denique alii. Exstat Dioclis Carystii epistola ad Antigonum Regem, de Morborum Præsagiis, et extemporaneis remediis per hortensia, latine reddita ab Antonio Mizaldo Medico, Paris. apud Feder. Morellum, 1573. Dioclis fragmentum insigne exstat apud Galenum, lib. II, de Facult. simp. medic. cap. 5, ex eo opere cui Archidami nomen inscripserat. Inter priscos maximosque medicos fuisse Dioclem, Celsus ait, lib. VI, cap. 5.

* Diodorus, sapientiæ dialecticæ professor, pudore mortuus.

Diodorus Prienæus. Hunc sibi inprimis vindicasse agricolationis prudentiam, ait Columella, lib. I, cap. 1. Varroni pariter et Columellæ inter scriptores rei rusticæ annumeratur. Diodori Periegetæ, ejusque operis de Monumentis, περὶ μνημάτων, meminit Plutarchus in Themist. pag. 128.

Diodorus Syracusanus. Citatur in Indice libri III, et V. Is cujus Bibliothecam historicam habemus nullibi se Syracusanum vocat: immo lib. I, p. 5, Agyrium sibi solum natale dicit fuisse: ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου τῆς Σικελίας ὄντες. [Noli tamen dubitare quin idem ille sit, qui, in præfatione Plinii, opus suum Βιβλιοθήκης inscripsisse dicitur.]

Diodotus Petronius [ab aliis Diodorus dictus]. Dioscorides Diodotum sejunxit a Petronio, diversosque scriptores existimavit: Plinius e contrario dedita opera hæc duo nomina, lib. XX, cap. 32, et lib. XXV, cap. 64, conjunctim legit, nec nisi unicum scriptorem his duobus nominibus repræsentari putat. Dioscoridem secutus est sane Epiphanius, lib. I, adversus hær. n. 3. Sed transcriptoris tantum munere ibi perfunctus, non critici vel judicis: Πετρώνιος, inquit, Νίγερ, καὶ Διόδοτος, et quæ sequuntur, cum Dioscoride. Ut ut est, ἀνθολογούμενα, hoc est, florilegia scripsisse Diodotus a Plinio dicitur, lib. XX, cap. 32; ἐμπειρικὰ, cap. 48.

Diognetus, itinerum Alexandri dimensor appellatus a Plinio, lib. VI, cap. 21, cum Bætone, quo de antea egimus.

Dion Colophonius. Varro et Columella, lib. I, cap. 1, inter scriptores de re rustica hujus meminere.

Dionysius, de quo in Indice lib. IV, [et libro VI, cap. 21]. Non ille Periegetes est, qui ab opere nomen accepit, idemque a patria, quæ Alexandria (Susianæ, non Ægypti,) Alexandrinus dictus est: is enim Augusti principatu floruit, id quod tum ex ejus carmine, tum ex Plinii testimonio, lib. VI, cap. 31, compertissimum est. Quem vero Plinius testem hic advocat, Alexandri M. expeditionum comes et scriptor fuit. Situs viresque gentium sub Ptolemæo Philadelpho litteris consignavit, teste eodem Plinio, lib. VI, cap. 12.

* Dionysius, Periegetes cognominatus, et cui patria fuit Charax Spasinu in Susiana ad sinum Arabicum inter Tigrin et Eulæum fluvios, qua de re et a quibusdam Characenus appellatur. Eleganti poemate heroico scripsit Periegesin sive enarrationem orbis ætate sua cogniti, quæ hodienum exstat, vixitque Augusti tempore. Citatur libro VI, cap. 31.

Dionysius qui Magonem transtulit, Cassius Dionysius vocabatur, idem a patria Uticensis cognominatus. Magonis libros quos Græca lingua libris XX transtulit, Sextilio Prætori misit. Ita Varro et Columella, lib. I, c. 1, de Re rust. Librum primum ῥιζοτομικῶν Dionysii Uticensis Stephanus citat in Ἰτύκη. Nicandri etiam Scholiastes ad Theriaca, pag. 25, Διονύσιον laudat ἐν τοῖς ῥιζοτομικοῖς.

* Dionysius, qui de Pyramidibus Ægypti scripsit, lib. XXXVI, c. 17.

* Dionysius pictor, Anthropographus cognominatus quod nihil nisi homines pinxit.

Dionysius medicus, quem in partes advocat Index lib. XII et XXII.

Patria huic in Asia Miletum fuit, unde Milesius Galeno cognominatus, lib. IV, κατὰ τόπους, cap. 7, et Apollonii Scholiastæ ad lib. IV, v. 223. Dionysii medici meminit etiam Cælius Aurel. lib. II, cap. 13. Idem libros Ἀργοναυτικῶν scripsit, teste eodem Apollonii Scholiaste, ad lib. IV, v. 1153.

Dionysius Sallustius. Vide Sallustius.

* Dionysodorus, Melius, geometrica scientia nobilis, cujus epistola ad superos scripta, inventa fuit in sepulcro ejus. Libro II, cap. 112.

* Dionysodorus, musicus. Libro XXXVII, cap. 3.

Diophanes, « qui ex Dionysio epitomen fecit, » in Indice lib. VIII. Nempe Magonis libros, quos Dionysius Uticensis transtulerat libris XX, in sex libros ipse contraxit, ac Dejotaro regi dicavit. Horum sex librorum rursum epitomen aliam libris quatuor confecit Asinius Pollio, teste Suida, verbo Πωλλίων tom. II, pag. 579. Meminere hujus Diophanis Varro et Columella, lib. I, de Re rust. cap. 1. Ille Nicæensem ab urbis natali solo, iste Bithynum a regione in qua Nicæa est, cognominat. Diophanes in Geoponicis, lib. X, cap. 29, et alias sæpe. Citatur et inter veterinariæ medicinæ scriptores.

Diotimus Thebanus. Ille fortassis cujus librum quintum et sexagesimum, παντοδαπῶν ἀναγνωσμάτων omnigenarum lectionum laudat Stephanus, verbo Πασαργάδαι. Vel Διότιμος ὁ γυμναστὴς, quem Theophrastus ait scripsisse de sudoribus, opusc. de Sudor. pag. 153.

Diyllus, perperam hactenus in Plinianis libris *Duillius* appellatus. Atheniensis fuit, Δίυλλος Harpocrationi, verbo Ἀριστίων, pag. 47. Librum ejus historiarum nonum laudat Athenæus, lib. IV, p. 155, et lib. XIII, pag. 593. Historiam contexuit usque ad Philippi Macedonis obitum. Diodor. Sicul. lib. XVI, pag. 418, rerum Græcarum et Sicularum scriptos ab eo libros XXVII refert.

Domitius Cæsar, sive Domitius Nero, cujus carmen in Poppæam laudat Plinius, lib. XXXVII, cap. 12, et quem disertissime scribere carmina solitum ait Seneca, lib. I, Natur. quæst. cap. 5.

Domitius Calvinus. Cn. Domitii Calvini mentio apud Festum, in fragm. pag. 4.

Domitius Corbulo. Vide Corbulo.

* Domitius Marsus. Vid. Marsus.

Dorotheus Atheniensis. Laudatur a Phlegonte, Mirabil. cap. 26, Dorotheus medicus, cujus etiam scripta commendantur inprimis. Incerta ætas: nec multo id certius, num idem ille sit cujus librum sextum historiarum Alexandri laudat Athenæus, lib. VII, pag. 276. Primum Rerum Sicularum, Stobæus, Serm. 148, p. 511. Quartum Italicarum, Eusebius, lib. IV, Præpar. pag. 157.

Dosiades. Laudat eum Plinius, lib. IV, cap. 20, dum de Creta agit. Et librum Dosiadæ quartum de Rebus Creticis citat Athenæus, lib. IV, pag. 143, et lib. VI, pag. 264. [Laudatur etiam a Diodoro Siculo et a Solino. Idem fortassis est, quem Epimenidis ex quorumdam sententia parentem memorat Laertius. Δωσιάδας, Athenæo]; Δωσιάδας Eusebio, lib. IV, Præpar. pag. 157.

Dositheus astrologus, auctor Octaeteridis, quæ Eudoxo tribuitur, teste Censorino, cap. 18. [Atticus fuit, e Colono vico oriundus.] Meminere hujus præter Plinium, lib. XVIII, cap. 74, et Censorinum, Geminus et Ptolemæus, in Uranologio Petavii. Vide ne hunc Dositheum astrologum cum historico confundas, cujus Plutarchus meminit.

Dossenus Mundus, [fuerunt hæc ejus cognomina, nomen Fabius: multi sunt qui Dossennum duplicata littera vocent], poeta Comicus, Atellanarum scriptor haud ignobilis, cujus meminit Horatius, lib. II, Epist. 1, vers. 173:

Quantus sit Dossenus edacibus in parasitis.

Inscriptum Dosseni monumento titulum recitat Seneca, Epist. 89.

Duris Samius, qui se ex Alcibiadis genere ortum ferebat, teste Plut. in Alcib. p. 209, Philadelphi tempore floruit. Scripsit Macedonica libris XV, ex Scholiaste Aristoph. in Nub. pag. 150, et Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 264. Libros ut minimum decem de historia Agathoclis, quorum meminit Athenæus, lib. XII, p. 541, qui aliarum historiarum librum XXII citat, lib. XII, pag. 546. De Pyramidibus Ægypti, ex Plinio, lib. XXXVI, cap. 17. De Euripide et Sophocle librum, ex Athen. lib. IV, pag. 184. Homo in historia diligens a Tullio vocatur, lib. VI, ad Attic. Ep. 1, pag. 167. Apud Suidam tom. II, pag. 8, verbo Δάμια, laudatur Δῶρις ἐν δευτέρῳ Λιβυκῶν (lege Δοῦρις), lib. II, Rerum Libycarum; et p. 726, verbo Σελίνου στέφανος: Δοῦρις ἐν τῷ περὶ ἀγώνων, opere inscripto de Certaminibus. Apud Athenæum, lib. XV, pag. 696, scripsisse dicitur de Samiorum, hoc est, de patriæ suæ Finibus. Apud Laert. in Thalete, περὶ ζωγραφίας, de Pictura liber: de Toreutice sive cælatura, in Indice superiore, lib. XXXIV.

E.

Eculeo, cui Decius prænomen fuisse dicitur, lib. XXXV, cap. 10. In libris hactenus editis, ut ante monuimus, deformata hæc vox in Indice fuerat, atque in Deculonem conversa. Historiam quampiam de rebus gestis a Tiberio, vel certe de picturis volumen aliquod videtur condidisse. Tamen ut ne quid dissimulem, suspecta valde mihi hæc vox est, quam nusquam offendi in Romanis familiis. Atque inclinat quidem animus, ut scriptum fuisse suspicer, *D. Aculeo*, hoc est, *Decimus Aculeo*: Aculeonum enim [notum Romæ cognomen, quod Furiæ genti peculiare videtur fuisse; unde C. Furius Aculeo, quæstor L. Scipionis Asiatici, in bello contra Antiochum; C. Furius Aculeo, qui Tulliam, Ciceronis amitam, uxorem habuit, de quo Cicero, lib. II, de Oratore]. Notum et prænomen Decimi, quod quum unica littera D. in libris manu exaratis aliisque soleat effingi, in Decii nomen sæpenumero librarii transformarunt.

Elephantis. Poetria fuit, de qua in Priapeiis mentio, Carm. 3. Et apud Martialem, lib. XII, Epigr. 43: «Nec molles Elephantidos libelli.» De κοσμητικοῖς, hoc est, de rebus iis quæ ad corporis ornatum spectant, mandasse litteris aliquid dicitur a Galeno in libris κατὰ τόπους. De libris Elephantidis, ut impurissimis, Suetonius in Tiberio, cap. XLIII.

Empedocles Agrigentinus, Pythagoræ discipulus, vixit Olymp. circiter LXXXIV, ut auctor est Laertius in ejus vita, lib. VIII, pag. 231. Carmen edidit de Animalium Proprietate, Æliano teste, lib. XVI, Hist. anim. c. 29. Scripsit τὰ φυσικὰ, quorum librum tertium citat Tzetzes Chiliad. 7, v. 523, et Suidas, p. 890. De rebus etiam Persicis: de re medica: aliaque, quæ Laertius refert. Virum medicinæ peritum Celsus appellat, in Præf. lib. I, pag. 1. Empedoclis errantium inerrantiumque stellarum Sphæram libro uno comprehensam servari MSS. in Bibl. Strozziana, ait Labbeus in Bibl. Nova librorum MSS. pag. 170.

* Endymion, Cares et in Cariæ monte Latmo sepultus, qui cælorum contemplationi operam vel maximam dedit qua de re noctu fere vigilabat, dormiebatque interdiu, et hinc luna ejus amore capta dicebatur.

Ennius (Quintus), poeta, Annalium libros XVIII carmine scripserat; [belli Punici historiam libris II; satyras, comœdias, tragœdias: de quibus tamen præter fragmenta nihil exstat].

Ephippus. Cumanus hic ortu fuit, Isocratis auditor. Historiarum libros scripsit XXX; Rerum admirabilium libros XV; aliaque, quæ videre licet apud Suidam, pag. 1110.

Ephorus, Cuma Æolidis civitate oriundus, Isocratis auditor: de quo Cicero, lib. de Claris orat. pag. 575: « Isocratem, inquit, in acerrimo ingenio Theopompi, et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos. » Seneca minus paulo honorifice, lib. VII, Natur quæst. cap. 14: « Ephorus, inquit, non religiosissimæ fidei, sæpe decipit. » Scripsisse historiam vel ipsum, vel filium ejus libris XXX, auctor est Athenæus, lib. VI, pag. 232. De origine urbium, Polybius apud Strab. lib. X, pag. 465. Uterque miris eum effert laudibus. De rebus inventis, περὶ τῶν εὑρημάτων, idem Strabo, lib. XIII, pag. 622, et Athen. lib. VIII, pag. 352, et lib. IV, pag. 182. De civitatibus Thraciæ librum quartum laudat Harpocration, verbo Αἶνος, pag. xi. De Nili incremento, Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 269. At de Ephori ipsius furtis libros duos scripsisse Lysimachum, auctor est Porphyrius apud Euseb. lib. I, Præpar. pag. 467.

Epicharmus [patria Cous, sed qui vix trimestris in Siciliam venit et hinc Siculus a plerisque habitus est. Philosophus fuit Pythagoricus, atque una veteris comœdiæ princeps, qui, Luciano teste, vivendo annos exegit xcv. Ex ejus fabulis LII, hodie nonnisi fragmenta supersunt. Ejus autem Commentarii physiologici, gnomologici, et medici, toti dudum perierunt. Columella speciatim laudat Medicinas pecudum ab eo editas, et Plinius illum etiam de Brassica scripsisse monet; nisi hoc postremum opus Epicharmo, Demolochi, comici Syracusani, patri tribuendum videatur.]

Epidius, cui prænomen Caius, ludum docendi aperiens, Rhetoricen docuit præter cæteros M. Antonium, et Augustum, ut ait Sueton. lib. de Claris Rhetor. cap. 4. Epidia gens Romæ notissima: ex qua Marullus Epidius Trib. pl. cujus meminit Suetonius in Julio, cap. LXXIX. Vide etiam Dionem, lib. XLIV, pag. 244.

Epigenes Rhodius, a Varrone et Columella, lib. I, cap. 1, inter scri-

ptores rei rusticæ annumeratur. Laudatur a Censorino, cap. 17. Plinius, lib. VII, cap. 57, gravem inprimis auctorem vocat : in Indice lib. II, Gnomonicum, ab ea astrologiæ parte, quam gnomonicen vocant, quæ rationem umbrarum docet ad dignoscendas horas solisque motus. Apud Chaldæos studuisse se gloriabatur, inquit Seneca, lib. VII, Natur. quæst. cap. 3.

Erasistratus, ex Julide urbe Ceæ insulæ, Juliates et Ceius appellatus, teste Suida, pag. 1032. Aristotelis Stagiritæ ex filia nepos : Chrysippi medici, vel ut plerisque placuit, Theophrasti discipulus : quem male Samium ait fuisse Julianus in Misopog. pag. 72. Veterum medicorum nobilissimum appellat Macrob. lib. VII, Satur. cap. 15, pag. 632. Vide Plin. XXIX, cap. 3. Hujus lib. II, Salutarium præceptorum laudat Cælius Aurel. lib. II, Chron. cap. 7. Librum de Hydrope, lib. III, cap. 8. De Podagra quoque, lib. V, cap. 2. Denique περὶ δυνάμεων καὶ θανασίμων, de Medicaminibus et venenis, Dioscorides, lib. V, cap. 18. Ab eo Erasistrateorum medicorum schola nomen accepit, quam ab Hicesio Smyrnæ excitatam Strabo prodidit, lib. XII, pag. 570. Horum sectam Galenus damnavit, pluribus adversus Erasistratum, ejusque asseclas, scriptis voluminibus, tomo operum decimo.

Eratosthenes, patria Cyrenæus, a Ptolemæo Evergete I accersitus, Athenis in Ægyptum venit, ubi Alexandrinæ bibliothecæ præfectus fuit. Bibliothecam ipse librorum pæne scripsit : quorum hi præcipui. Geographia, cujus librum tertium laudat Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 259. Eo in opere Timosthenis de portubus librum exscripsit, ut auctor est Marcianus in Periplo, pag. 97. Μέτρον τῆς γῆς περιφερείας, quod hodieque exstat, et ex quo Eratosthenem orbis terrarum mensorem Censorinus vocat, cap. 15. Γαλατικὰ, sive de Rebus Gallogræciæ, XL voluminibus, quæ citantur sæpius a Stephano. Χρονογραφικὰ, quorum meminere Dionys. Halic. lib. I, pag. 60, et Harpocration in Εὔηνος, pag. 130. De Ventis, ex Achille Tatio in Phænom. pag. 158. De situ stellarum, ex Suida, pag. 1032, qui liber nunc editus, Καταστερισμοὶ inscribitur. Alia denique plurima, quorum series præfixa est editioni ejusdem opusculorum, Oxonii 1672. Appellari solitum aiunt Βῆτα τῶν φιλοσοφούντων, vel ut Marcianus Heracl. pag. 95, Βῆτα τοῦ Μουσείου, quod secundas in quavis philosophiæ partes obtineret, vix in ulla primas. Is tamen a Plinio, lib. II, cap. 112, « in omnium quidem litterarum subtilitate, » et in circuitu terræ describendo, « utique præter cæteros solers » fuisse dicitur : quanquam in eo coarguendo mirum fuisse Hipparchum idem paulo post adjicit.

Erinna. De ea dicimus lib. XXXIV, cap. 19.

Evagon [vel Evagoras], Thasius, inter scriptores rei rusticæ laudatur a Varrone et Columella.

Evanthes, patria Milesius, auctore Laertio in Thalete, pag. 7. Heroicorum versuum poeta dictus Athenæo, lib. VII, pag. 296, « inter auctores Græciæ non spretus, » inquit Plinius, lib. VIII, cap. 34. Εὐάνθης ἱστορεῖ ἐν τοῖς μυθικοῖς, inquit Apollonii Schol. ad lib. I, v. 1065.

* Evax, rex Arabum, in Plinii codicibus quibusdam, lib. XXV, cap.

42, de Simplicium effectibus ad Tiberium Neronem scripsisse dicitur; sed in optimis libris, manu exaratis, totus ille locus frustra quæritur.

Euclides, mathematicus insignis, ætate Ptolemæi Lagidæ floruit. Scripsit Elementorum libros [qui adhuc exstant], Phænomena, aliaque plurima ad geometriam musicamque pertinentia.

Euctemon, inter astronomos veteres a Gemino et Ptolemæo, quos Petavius Uranologio edidit, recensetur. Rursum a Ptolemæo, lib. III, Almag. cap. 2, p. 59, solstitiorum observator cum Metone, ante Alexandri M. tempora, laudatur Euctemon.

Eudicus historicus. [Laudatur lib. XXXI, cap. 9.]

* Eudorus pictor. Libro XXXV, cap. 40.

Eudoxus, « Platonis auditor, in astrologia judicio doctissimorum hominum facile princeps, » inquit Tullius, lib. II, de Divin. Patria Cnidius fuit. Hujus scripta Laertius enumerat, lib. VIII, pag. 235. Γῆς περίοδον et περίπλουν laudat Agathemerus, lib. I, pag. 2, et Sextus Empiricus, lib. I, Pyrrhon. hypot. cap. 14. Librum ejus operis sextum laudat Athenæus, lib. VII, pag. 288. Scripsit et Phænomena libris duobus, ex quibus Aratum hausisse plurima, auctor est Hipparchus in Comment. ad Arat. pag. 173, in Uranologio Petavii : ubi alium Eudoxi librum, quem ἔνοπτρον inscripsit, laudat idem Hipparchus, pag. 177.

* Eudoxus, Cyzicenus, qui Ptolemæi Evergetæ temporibus floruit, citatur libro II, cap. 67.

Evenor, Εὐήνωρ, medicus Athenæo, lib. II, pag. 46, ubi cisterninam aquam cæteris anteponit. Curationum libros scripsit, quorum quintus laudatur a Cælio Aureliano, lib. III, Chron. cap. 8.

* Evenor pater Parrhasii, et præceptor maximi pictoris, lib. XXXV, cap. 36.

Euhemerus, scriptor Græcus, quem Ennius in Latinum vertit eloquium, » inquit August. lib. VII, de Civit. Dei, cap. 26, post Tullium, lib. I, de Nat. Deor. pag. 49. Messanensis e Sicilia, Ptolemæi Lagidæ temporibus vixit. Laudatur et a Columella, lib. IX, cap. 2.

Eumachus. Laudatur a Phlegonte Eumachus ἐν περιηγήσει, seu Orbis terrarum Descriptione, cap. 18, rerum mirabil. pag. 86. Eumachus Neapolitanus, libro secundo Historiæ Hannibalis, apud Athen. lib. XIII, pag. 577.

Euphranor, fictor idem et pictor egregius, volumina composuit de symmetria et coloribus, teste Plinio, lib. XXXV, cap. 40. Vide præterea, lib. XXXIV, cap. 19.

Euphronius Athenæus, inter rei rusticæ scriptores a Varrone et Columella reponitur, lib. I, cap. 1, de Re rust.

Euphranius Medicus. Εὐφράνιος ἐν ὑπομνήμασιν, in Commentariis, laudatur ab Athenæo, lib. XI, pag. 465.

Euripides poeta Tragicus, Atheniensis, Platonis σύγχρονος, de quo alii satis multa. Inter eos numeratur qui de Nili incremento scripserunt, ab Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 269. Priscianus, lib. VI, pag. 707, ex Indice superiore, scriptorum nomina quædam colligens, « Plinius, in-

quit, in XXXVII naturalis historiæ, *Neuripe :* » corriges *Euripide*, quum et in Indice, et ipso lib. XXXVII, cap. 11, *Euripides poeta* planissime scribatur.

F.

Fabianus Papirius, « naturæ rerum peritissimus, inquit Plin. lib. XXXVI, cap. 24. Egregius et vita et scientia, et quod post illa est, eloquentia quoque, » inquit Seneca, Epist. 40, quo adolescente floruit Fabianus, Tiberii principatu. Hunc idem cum Cicerone, Asinio Pollione, et Livio confert, Epist. 100. Fabiani libros de Animalibus, et Causarum naturalium sæpe in partes vocat. [An idem Sabinus Fabianus vocatur in Indice libri XVIII ; an, ut Millero placuit, alius ?]

* Fabius Dossenus. Vide Dossenus.

Fabius Pictor, cui prænomen Quinto fuit, scriptorum Romanorum antiquissimus vocatur a Livio, lib. I, pag. 16. in historia scribenda secutus Dioclem Peparethium, inquit Plutarchus in Romulo, pag. 19. Græco sermone scripsit, ut auctor est Dionys. Halic. lib. I, pag. 5. Vixit temporibus belli Hannibalici, ut Livius docet, lib. XXII, pag. 210. Fabii Maximi qui Hannibalem fregit, propinquus, συγγενὴς a Plutarcho dicitur in Fabio, pag. 184. Hujus liber primus Rerum naturalium citatur a Nonio, cap. 12, num. 3, verbo *Picumnus*. Juris Pontificii primus, a Macrobio, lib. III, Satur. cap. 2 ; ejusdem operis, ut videtur, liber XVI, a Nonio, cap. 15. De eo plura Suidas, et alii: nos quoque de tota Pictorum familia dicemus, lib. XXXV, cap. 7. Quæ ab Annio Viterbiensi, sub Fabii Pictoris nomine sunt edita, supposititia esse consentiunt eruditi.

Fabius Vestalis. In Indice lib. IX, etc.

Fabricius Tuscus. In Indice libri III, et seq.

* Favonius male in editionibus quibusdam dicitur is, quem supra laudavimus, Fabianus.

Fenestella, prænomine Lucius, historiarum scriptor et carminum, obiit novissimo Tiberii Cæsaris principatu, inquit Plinius, lib. XXXIII, cap. 52. Annales exscripsisse scimus ex Nonio, cap. I. Annalium commentatorem vocat Tertullianus, adversus Valent. cap. XXXIV. Librum de Romanis magistratibus, qui sub ejus nomine circumfertur, Andreæ Dominici Flocci fœtum esse eruditi norunt.

Fetialis. Vide Annæus Fetialis.

Figulus. Vide Nigidius Figulus.

Firmus. Scripsit Κηπουρικὰ, seu de Re hortensi, ut dicitur in Indice lib. XIX.

Flavius Alfius. Vide Alfius Flavius.

* Flavius (Cneius) Annii, filius, Appii Cæci scriba qui fastos dies publicavit, ut quando lege agi posset, populus sciret.

G.

Galba. Servium Galbam puto intelligendum, quem divinum hominem fuisse in dicendo, auctor est Tullius, lib. I, de Orator. pag. 275,

et in Bruto, pag. 539. [Alius est Sulpicius Galba, frater imperatoris, cujus mentio fit lib. XXXIII].

Gallus. Vide Sulpicius Gallus.

Gellianus. Historicus [cæterum ignotus, laudatur lib. III, cap. 17].

Gellius. Cneius ei prænomen. Ejus Annalem tertium (sic enim appellat) laudat A. Gellius, lib. XIII, cap. 22. Quintum decimum Macrobius, lib. I, Satur. 16. Varroni coævus.

Glaucias, medicus empiricus, cujus Celsus meminit in præfat. lib. I, pag. 1. Heraclidæ Tarentini, de cujus ætate mox dicemus, magister fuit: Hippocratis libros Epidemiorum commentariis illustravit, teste Galeno Comment. 1, in lib. VI Epidem. Hippocr. Circa carduos diligentissimus scriptor a Plinio appellatur, lib. XX, cap. 99. Hesychio, verbo Σαμίθη, laudatur Γλαυκίας ὁ ἰατρός. Idem, ut quidem reor, qui Glaucon etiam nominatur, lib. XXII, cap. 35.

Gracchanus. Vide Junius Gracchanus.

Gracilis. Vide Turranius Gracilis.

Græcinus. Vide Julius Græcinus.

Granius Medicus. Gens Grania Romæ antiquissima fuit. Ex ea Granius Licinianus scriptor apud Macrob. lib. I, Satur. cap. 18. Quintus Granius præco apud Cicer. in Bruto, pag. 565. Ex ea pariter fuisse hunc medicum reor. Forte is ipse Granius Flaccus, proxime laudatus, quem scripsisse librum de Indigitamentis ad Cæsarem, auctor est Censorinus, cap. 3.

H.

Hanno. Apud Latinos scriptores aspiratur Hanno, Græci Ἄννωνα non aspirant. Dux Carthaginiensium fuit. Periplum Africæ Punica consignavit lingua, cujus meminit Athenæus, lib. III, pag. 83. Hujus fragmentum hodieque exstat Græce redditum, excusum Basileæ 1533, rursumque cum Gesneri scholiis, 1559, etsi neget Salmasius, pag. 1242, adhuc illud innotuisse. De eo multa passim Plinius: de ejus præsertim obitu, lib. VIII, cap. 21. De Commentariis ab eo scriptis, lib. V, cap. 1.

Harpalus, insignis mathematicus, qui Cleostrati octaeterida emendavit: quemadmodum, ut Harpali rursum errores corrigeret, Meton enneadecaeterida, sive circulum decemnovennalem excogitavit, quem nos Aureum Numerum appellamus. Meminit Harpali Censorinus, cap. XII. Festus Avienus, ad Arati phænomena, fol. 65, b.

Hecatæus Milesius, vixit Olymp. LXV, ut Suidas ait, qui Herodotum ex ejus libris plurimum profecisse scribit. Ejus περιήγησιν citat Rufus Festus Avienus in Descript. Oræ maritimæ, v. 42 et seqq., eos scriptores recensens quos secutus est:

Multa rerum junximus, (inquit)
Ex plurimorum sumpta commentariis:
Hecatæus istic quippe erit Milesius,
Hellanicusque Lesbius, etc.

Citat et Athenæus, lib. II, pag. 70, et lib. X, pag. 447. Stephanus item, verbo Γαῦλος. Hecatæi Milesii opus historicum laudat Eusebius, lib. X, de Præparatione, pag. 466. Scio apud Ælianum, lib. XI, cap. 1, ex Hecatæo Abderita referri ea, quæ Plinius de Hyperboreis narrat, lib. IV, cap. 26. Difficile proinde esse statuere, Abderitane potius quam Milesius a Plinio designetur. Abderitæ Hecatæi librum περὶ τῶν ὑπερβορέων laudat Apollonii Schol. ad lib. II, v. 677. Summa fide atque integritate virum, Alexandri expeditionum comitem Josephus appellat, qui ex libro singulari, quem de Judæa Hecatæus scripserat, multa pro Judæis adducit adversus Apionem: quod et Eusebius facit, lib. IX, Præparat. pag. 408.

Hegesias Maroneus, a Maronea Thraciæ oppido appellatus. A Varrone et Columella, lib. I, cap. 1, inter scriptores rei rusticæ ponitur. A Vitruvio, lib. VIII, cap. 4, « magna vigilantia, et infinito studio, locorum proprietates, et aquarum virtutes, scriptis declarasse » dicitur.

Hegesidemus Cythnius. Laudat hunc pariter Solinus, cap. XII.

Heliodorus. Refert Athenæus, lib. VI, pag. 229, et lib. IX, pag. 406, excerpta quædam ex libris Heliodori Atheniensis Periegetæ περὶ ἀκροπόλεως, de Athenarum arce, quod opus libris XV constabat. Meminit quoque Harpocration, verbo Προπύλαια, pag. 255. Is ipse est nimirum, qui de Atheniensium anathematis scripsisse dicitur: ita fortassis librum inscripserit, περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν τῇ ἀκροπόλει: cujusmodi inscriptio Polemonis Periegetæ operi est præfixa, teste Strabone, lib. IX, pag. 592. Ejusdem liber de spectaculis Italicis laudatur a Stobæo, Serm. 242, pag. 792.

Hellanicus Mitylenæus historicus, Herodoto annis XII vetustior, teste Gellio, lib. XV, cap. 23. Scripsit de urbium Originibus, κτίσεις ἐθνῶν καὶ πόλεων, cujus operis varias partes laudant Athen. lib. I, pag. 447; Schol. Pindari, pag. 431; Isaac Tzetzes in Lycophr. pag. 45; et Schol. Apollonii ad lib. I, v. 916. Hellanicus in Ægyptiacis citatur a Gellio, lib. I, cap. 2, et Athenæo, lib. XV, pag. 679. Liber de Gentium nomenclaturis, ἐν ταῖς ἐθνῶν ὀνομασίαις, ab eodem Athen. lib. XI, pag. 462, et Schol. Apollonii ad lib. IV, v. 322.

Hemina. Vid. Cassius Hemina.

* Heraclides non uno loco simpliciter citatur, unus e sequentibus.

Heraclides Ponticus, ex Odesso Ponti civitate, Pontici nomen traxit. Hujus vitam et scripta Laertius tradit, lib. V, pag. 135. Aristotelis auditor fuit. Heraclidis librum de Origine urbium, κτίσεις, citat Clemens Alexandr. in Protreptico, pag. 25. Περὶ νόσων, de Morbis (forte περὶ νήσων legendum), et aliud opus ab isto diversum περὶ τῆν ἄπνουν, de Femina carente spiritu, Laertius in Empedocle, lib. VIII, pag. 226 et 228, et Galenus, lib. VI, de Locis affectis, cap. 5. An vero idem sit Heraclides, qui patria non appellata laudatur in Indice libri IV, an alius potius Cretensis, cujus librum de Urbibus Græciæ laudat Apollonius, cap. 19, Hist. Comment. pag. 22; an ad istum

pariter pertineat liber de Origine urbium citatus a Clemente, haud est ita proclive statuere.

Heraclides Medicus Erythræus, ab Erythris haud procul Epheso, Asiæ civitate: Apollonii qui Mys cognominatus est, in schola socius, cujus meminit Galenus, lib. IV, de differ. puls. cap. 10, ubi eum omnium Chrysermi discipulorum clarissimum vocat, ac librum ejus septimum de secta Herophili, cui erat addictus, citat. Addit idem Galenus, Comm. 1, in lib. VI. Epidem. Hippocr. interpretatum esse hos ipsos Hippocratis libros: Aphorismos item, immo omnia Hippocratis opera commentariis illustrasse, Comm. 1, in lib. Hippocr. de Offic. med Strabo, lib. XIV, pag. 645, sua ætate floruisse eum significat.

Heraclides Tarentinus, medicus empiricus, inquit Celsus, in præf. lib. I, pag. 1. Librum ejus secundum Interiorum Curationum laudat Cælius Aurelianus, lib. I, Chron. cap. 4. Librum περὶ θηρίων, de Feris, Galenus, lib. II de antidotis, cap. 14. Libros de Simplicibus, [idem,] lib. I de antidotis. Περὶ σκευασίας καὶ δοκιμασίας φαρμάκων, de Præparatione et probatione medicamentorum, [idem,] lib. VI de Simplic. medicam. in proœm. etc.

Hermippus Smyrnæus, cujus diligentiam in conscribenda historia laudat Josephus, lib. I, contra Apionem. Callimachi auditor fuit, unde et Callimachius Athenæo dicitur, lib. III, pag. 58, et lib. V, pag. 213. Scripsit de Magis, ut auctor est Plinius, lib. XXX, cap. 2, cujus operis librum primum laudat Laertius in proœm. pag. 3; de Vitis illustrium virorum, de Sapientibus, de Pythagora, aliaque quæ idem commemorat in Thalete, pag. 8 et 10.

* Hermodorus Ephesius, legum decemviralium interpres.

* Hermotimus Clazomenius, quem Plutarchus Hermodorum vocat, cujusque anima, relicto corpore vagans, multa annuntiare credebatur.

Herodotus Halicarnasseus, qui historiam suam, quæ omnium manibus teritur, Musas inscripsit.

Herophilus medicus Calchedonius fuit, æqualis Phalaridi, quem morbo laborantem sanavit. Subtilioris sectæ conditorem appellat Plinius, lib. XXVI, cap. 6. Librum ejus Curationum primum citat Aurelianus, lib. II, cap. 13; et lib. IV, cap. 8, librum eum, quem ad Hippocr. prognosticon scripsit. Illustratam ab eo anatomicen Galenus fatetur. Mittebantur ad eum ob eam rem a regibus facinorosi e carcere, quos vivos dissecaret, ut auctor est Cornelius Celsus in præf. lib. I. Ideirco Tertullianus de eo, lib. de anima, cap. 10: « Herophilus ille medicus, aut lanius, qui sexcentos exsecuit, ut naturam scrutaretur: qui hominem odiit, ut nosset, etc. »

Hesiodus, Cuma Æolidis oppido oriundus, unde Ascram Bœotiæ translatus, Ascræus vates dictus est. Scripsit de astrologia, teste Plinio, lib. XVIII, cap. 57, et Athenæo, lib. XI, pag. 491. Et vero ejus βίβλον ἀστρικὴν laudat Tzetzes, Chiliad. XII, hist. 399, v. 169, præter librum ἔργων καὶ ἡμερῶν, quem citat, v. 174, quique omnium manibus

teritur. Laudat et Theon, ut dicturi sumus, lib. XVIII, cap. 57. Homero posteriorem fuisse multis argumentis probare nititur Gellius, lib. III, cap. 11. Tzetzes totis cccc annis recentiorem facit loc. cit. v. 109. Æqualem fuisse, ex Arcturi exortu, quem iste describit, eruditi artis illius colligunt, ut ait Petavius in Ration. Temp. lib. I, cap. 12. Ex Plinio, lib. XIV, cap. 1, vixisse Hesiodum annis fere DCCCCXXX ante Christum colligitur; ex libro VII, cap. 16, Homerum annis circiter DCCCCXX: utrumque Asa rege Juda regnante.

HICESIUS, medicus Erasistrateus, Athenæo, lib. III, pag. 87, quem idem ait librum scripsisse περὶ ὕλης ἰατρικῆς, de Materia medica, lib. VII, pag. 294. De Unguentis, περὶ μύρων, lib. XV, pag. 689. De Piscibus, lib. VII passim. Non parvæ auctoritatis medicum vocat Plinius, XXVII, 14. De conditura vini scripsisse dicitur in Indice libri XV.

HIERON, Siciliæ rex, quem inter scriptores de agricultura memorant Varro et Columella, lib. I, cap. 1, cum Attalo Philometore Pergami rege. Multa de eo præclara habet Valerius Max. lib. VIII, cap. 13.

HIMILCO, Carthaginensium dux, quem iter suum, seu Περίπλουν litteris Punicis consignasse testis est Festus Avienus his versibus, in Descriptione Oræ maritimæ, v. 412 et seqq.

> Hæc olim Himilco Pœnus Oceano super
> Spectasse semet, et probasse retulit:
> Hæc nos, ab imis Punicorum annalibus
> Prolata longo tempore, edidimus tibi.

HIPPARCHUS Nicænus e Bithynia, ut Suidas ait, pag. 1264. Astrologorum sua ætate princeps. Floruit Olymp. CLIV. Exstant illius libri tres Enarrationum ad Arati et Eudoxi Phænomena, Petavio nostro interprete. Scripsit et librum singularem de Mense lunari, ut auctor est Galenus, lib. III, de Diebus decretoriis, cap. 4. Alium item de stellarum inerrantium constitutione, teste eodem Suida. [Item de magnitudine ac distantia solis et lunæ; de duodecim signorum ascensione; de mutatione punctorum solstitialium et æquinoctialium, etc.]

HIPPOCRATES Cous, qui primus, ut Plinii verbis utar, medendi præcepta clarissime condidit; de quo Macrobius magnifice: «Hippocrates, qui tam fallere, quam falli nescit,» lib. I, in Somn. Scip. cap. 6. De eo plura, lib. VII, cap. 37.

HIRTIUS. Thuanæus codex, et Colb. 2, Q. Hirtium vocant.

HOMERUS, ille Græcorum poetarum princeps, [de cujus patria jam olim aeris fuit contentio; quemadmodum et de ætate ejus nondum inter eruditos convenit. Illud certius, illum antiquissimum esse ex auctoribus, quos habemus, Græcis, ne Hesiodo quidem excepto; sive post Olymp. XXIII demum vixerit, ut Dodwellus autumat, sive longius ab ætate nostra sit remotus, ut plerumque aliis videtur.]

HORATIUS FLACCUS, lyricorum inter Latinos princeps [patria Venusinus, natus biennio ante Catilinariam conjurationem, Augusti amicus. Obiit anno Urb. cond. DCCXLVII].

*Hortensius orator, Ciceroni amicissimus, qui causarum rex ob eloquentiam dictus, etiamsi scripta ejus infra famam fuerint.

Horus Assyriorum rex, qui multa medicamenta excogitavit. Laudat eum Plinius, lib. XXX, cap. 51.

Hyginus [Caius Julius], cognomento Polyhistor, inquit Hieronym. in Chron. ad Olymp. cxcii, an. 4. De eo Suetonius, lib. de Illustr. Gramm. cap. XX: «C. Julius Hyginus, Augusti libertus, natione Hispanus.... præfuit palatinæ bibliothecæ.... familiarissimus Ovidio poetæ», etc. Scripsit de Urbibus Italicis, ut testatur Macrobius, lib. I, Saturn. cap. 7. Quintum librorum, seu Commentariorum, quos in Virgilium fecit, laudat idem, lib. VI, Saturn. cap. 9. Meminit ejusdem operis Gellius quoque, lib. X, cap. 18, aliosque alibi libros recenset. Ascon. Pedian. in orat. in Pison. pag. 6, librum priorem de Viris claris. Secundum, de Agricultura, Charisius, lib. I, pag. 115. Egregium est Columellæ de eo elogium, lib. IX, cap. 2: «De alveorum cura, inquit, neque diligentius quidquam præcipi potest, quam ab Hygino jam dictum est, nec ornatius quam Virgilio, nec elegantius quam Celso. Hyginus veterum auctorum placita secretis dispersa monumentis industrie collegit; Virgilius poeticis floribus illuminavit; Celsus utriusque memorati adhibuit modum.» Scripsisse præterea de apibus significat idem Columella, lib. IX, cap. 13. Exstat hodieque ejus Astronomicum poeticum. At liber de Limitibus constituendis alterius Hygini est multo recentioris.

Hylas. Scripsit de auguriis, teste Plinio, lib. X, cap. 18. Inter externos scriptores censendus, nec Romanos.

I.

Iacchus. Inter grammaticos Iacchus censetur apud Sueton. lib. de Illustr. Gramm. cap. III.

*Icesius medicus. Vide Hicesius.

Icetidas Medicus, de quo Plin. lib. XXVIII, cap. 23: perperam in Indice scriptus *Icacidas*. [Lectio tamen dubia est; nam *Hicetidas* potius quam *Icetidas* legendum esset.]

Ictius. Quis ille sit, adhuc incompertum. In Indice edito legitur, *C. Ictio*. In cod. R. 2, et Colb. 2, *Ciccio*. An igitur scribendum *Cincio*, cujus liber quintus de Re militari laudatur a Gellio, lib. XVI, cap. 4. An *C. Icco?* Fuit enim Iccus Tarentinus medicus, qui lxxvii Olympiade vixit, cujus meminit Plato in Protagora, Ἴκκος ὁ Ταραντῖνος ἰατρὸς, etc. Vix certe existimem Itium hic habere locum posse, ad quem est Horatii lib. I, Ode 29 inscripta, cujus est initium hujusmodi: «Iti, beatis nunc Arabum invides Gazis,» etc. Sic enim scribendum aiunt, non *Icti*, ut vulgo, tum ex vetustis exemplaribus, tum ex nummis Itiæ gentis.

Iollas, Bithynus medicus, de quo Dioscorides in præfat. Ἰόλλας ὁ Βιθυνός. Laudatur a Galeno, lib. I de Antidotis, cap. 1, pag. 867. Scholiastes Nicandri in Theriac. pag. 32, Ἰόλλαν vocat, ac de herbarum vir-

tutibus scripsisse ait. Cave hunc medicum cum historico Claudio Julio confundas, cujus Stephanus meminit : quod Salmasius facit, pag. 975, Exercit. in Solin.

Isidorus Characenus. Charax, quæ urbs Parthiæ est, ortum ei et nomen dedit. Parthiam descripsit eo libro qui hodieque exstat, Σταθμοὶ Παρθικοὶ inscriptus. Augusti principatu claruit.

Isigonus Nicæensis, a patria sic appellatus a Plinio, lib. VII, cap. 2, Gellioque, lib. IX, cap. 4, a quo inter scriptores haud parvæ auctoritatis censetur, quorum libri pleni sunt rerum incredibilium. Hujus liber MS. *de aquis* in bibliotheca Florentina dicitur asservari. Liber secundus ἀπίστων, hoc est, incredibilium, laudatur a Sotione, in Collectaneis de fluminum fontiumque miraculis, 138.

Ismenias. Περὶ λίθων scripsisse videtur. Legato Græcorum Thebano id nomen est apud Ælian. lib. I, Var. hist. cap. 21.

J.

Juba Rex, Jubæ senioris filius, ejus qui Numidiæ ac Mauritaniæ alterius rex fuit : Romam in triumphum ductus a Cæsare, qua occasione Romanis institutus disciplinis, factus est, inquit Plinius, lib. V, cap. 1, studiorum claritate mirabilior etiam, quam regno. Πολυμαθέστατον Athenæus vocat, lib. III, pag. 83, quanquam eo loci auctoritatem ejus Democritus elevat his verbis : εἴ τι τούτων Ἰόβας ἱστορεῖ, χαιρέτω Λιβυκαῖσι βίβλοις, ἔτι δὲ ταῖς Ἄννωνος πλάναις. Scripsit ad C. Cæsarem Augusti F. de expeditione Arabica, teste Plinio, lib. VI, cap. 31. Ejusdem liber primus Libycorum citatur a Plut. in Parall. pag. 311. De rebus Assyriorum scripsisse auctor est Tatianus, orat. contra Græcos, pag. 184. De euphorbia herba volumen, Plin. lib. XXV, cap. 38, et Galenus, lib. IX, κατὰ τόπους, cap. 4. Librum Jubæ octavum de pictoribus, περὶ ζωγράφων, laudat Harpocration, verbo Παῤῥάσιος, pag. 236. Περὶ γραφικῆς, de pictura, in Πολύγνωτος, pag. 248, cujus operis librum alterum citat Photius in Bibl. cod. 161, p. 338. Librum quartum historiæ theatricæ, Athenæus, lib. IV, pag. 175; librum decimum septimum Photius in Bibl. cod. 161, pag. 341. Antonii et Cleopatræ filiam duxit uxorem, ex qua Ptolemæum filium tulit, Mauritaniæ utriusque regem.

Julius Aquila. Vid. Aquila.

Julius Atticus. Vid. Atticus.

Julius Bassus. Vid. Bassus.

Julius Cæsar Dictator. Ejus epistolæ laudantur a Plinio, lib. XIV, cap. 8, ubi nos plura de iis. Vid. supra, Cæsar Dictator.

Julius Græcinus. « Julii Attici velut discipulus, inquit Columella, lib. I, cap. 1, « duo similia volumina præceptorum de vineis composita facetius, eruditius posteritati tradenda curavit. » Tacitus in vita Julii Agricolæ, cujus Græcinus pater fuit, « Julius Græcinus, inquit, cap. IV, vir Senatorii ordinis, studio eloquentiæ sapientiæque notus, iisque virtutibus

iram C. Cæsaris meritus.» Seneca, de Benef. lib. II, cap. 21 : «Græcinus Julius, inquit, vir egregius, quem C. Cæsar (Caligula) occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret.» Celsum in libris suis transcripsisse a Plinio dicitur, libro XIV, cap. 4.

Junius Gracchanus, quem Varro, lib. V, de L. L. pag. 50, Junium Gracchum vocat, a C. Graccho Trib. pl. nomen accepit, ut ait Plinius, lib. XXXIII, cap. 9. Hujus Commentarios historicos laudat idem Varro, lib. V, de L. L. pag. 64; Macrobius, lib. I, Saturn. cap. 13, aliique. Ulpianus Junium pariter Gracchanum vocat, lib. I, De offic. quæst. laudatque librum ejus septimum de Potestatibus.

L.

Labeo. Vid. Antistius Labeo.

Laberius Mimographus, Eques Rom. ita in scena dicax, ut ne adstanti quidem ipsi Cæsari parceret. Prænomen ei Decimus est, apud Macrob. lib. II, Saturn. cap. 6, qui quidem fragmentum egregium recitat ex ipsius mimis, cap. 4, atque inter jocos quibus Cæsarem petiit, illum in primis: « Necesse est multos timeat, quem multi timent.» De eo Horatius, lib. I, Sat. 10, 6 :

Et Laberi mimos, ut pulchra poemata mirer.

Laberii vitam et fragmenta reperies in collectione veterum poetarum Latinorum, Lugduni edita, 1603. Decimo post C. Julii Cæsaris necem mense Puteolis obiit, inquit Hieron. in Chron. pag. 153.

Lais obstetrix [de abortu aut] de mulierum morbis scripsisse videtur. Geminam hoc nomine scio a Veteribus commendari : alteram matrem, filiam alteram, sive naturalem, sive adoptivam, ambas ob meretriciam artem celebratas : priorem quidem, Alcibiadis amicam, de qua Athenæus, lib. XIII, pag. 174; alteram juniorem, de qua scitum illud Demosthenis dictum Gellius refert, lib. I, cap. 8 : « Ego pœnitere tanti non emo.» Num harum altera, num ab ambabus diversa quædam laudetur a Plinio, mihi non satis compertum.

Lenæus Pompeius. Hunc Pompeio Magno, cujus libertus fuit, in omnibus fere expeditionibus comitem fuisse, ac post patroni obitum schola se sustentasse, auctor est Suetonius, lib. de Illustr. Gramm. cap. XV. Inter primos fuisse, qui de re medica scripserunt apud Romanos, testatur Plinius, lib. XXV, cap. 3.

Licinius Calvus. Vide Calvus Licinius.

Licinius Macer. Repetundarum reus aliquando is factus, a Cicerone defensus est, teste Plutarcho in Cicer. pag. 865, et Cic. ipso in Epist. ad Attic. Historiarum ejus liber primus a Macrobio, lib. I, Saturn. cap. 10 et 13 laudatur. Inter scriptores annalium haud ignobiles recensetur a Dionys. Halic. lib. I, pag. 6.

Licinius Mucianus, Græcis Μουκιανός. Hic M. Licinius Crassus Mucianus dictus est, quod P. Mucii Scævolæ frater, e Mucia gente in Liciniam transierit a Crasso adoptatus. Consors imperii a Vespasiano, ob

eximia ejus in se merita, appellatus. Ter cousul fuit, quo illum elogio ab aliis Mucianis distinguere Plinius solet. « Vir secundis adversisque juxta famosus, » inquit Tacitus, Histor. I, cap. 10.

LIVIUS (TITUS), historicus Patavinus [uatus anno Romæ DCXCV, qui, quum lactea quadam sermonis ubertate res Romanas ab Urbe condita usque ad bellum in Germania a Druso gestum, enarrasset, quarto Tiberii anno, ætatis suæ 76, diem obiit].

LIVIUS FILIUS. Laudatur in Indice libri V, nisi locus mendosus est, et præpostera *Livii* repetitione, *Livii filii* conficta vox. Livii epistola ad filium scripta, de legendo Demosthene ac Ciceroue, laudatur a Quintiliano, lib. X, cap. 1.

LUCILIUS [CAIUS] poeta, qui primus Latinorum Satyras scripsit. De eo diximus ad præfationem. Sub Publio Africano, Numantino bello, eques militaverat, inquit Velleius, lib. II, num. 9.

LUCRETIUS (TITUS), poeta, Varroni fere æqualis, cujus exstant libri sex *De Rerum Natura* inscripti. [Philosophus Epicureus ac linguæ latinæ auctor egregius, qui amatorio poculo in furorem versus tandem ipse sibi vim intulit, anno U. c. DCCIII].

LYCEAS Naucratites a patria dictus est. Scripsit Ægyptiaca, quæ laudantur ab Athenæo, lib. XIII, pag. 560, et lib. XIV, pag. 616. Ex his decerpta videntur quæ de labyrinthis Ægypti Plinius refert, lib. XXXVI, cap. 13, Lyceam auctorem appellans. Poetam appellat Lyceam Pausanias, lib. II, sive Corinth. pag. 118.

LYCUS Historicus, patria Rheginus, Lycophronis tragici adoptione pater, de quo Suidas, tomo II, pag. 67 et 71. Libros historiarum Libyæ ac Siciliæ scripsit, teste Porphyrio, sive Malcho, in vita Pythagoræ, pag. 4, ubi quartus hujus operis liber citatur. [Scripsit etiam de fluminibus ac fontibus; de Alexandro, etc.]

LYCUS NEAPOLITANUS Medicus, sic enim a patria cognominatur, apud Plin. lib. XX, cap. 83. Ex eo multa Oribasius describit, lib. VIII, cap. 43, et lib. IX, cap. 25. [Non confundendus cum LYCO MACEDONE, Empirico, qui teste Galeno scripsit Commentarios in Hippocratem, licet Harduinus aliter sentiat].

LYSIMACHUS, quem de agricultura scripsisse Index libri IV, Varro et Columella, lib. I, de Re rust. cap. 1, consentiunt. Fortassis idem historicus ille Alexandrinus fuit, cujus librum τῶν Θηβαϊκῶν laudat Apollonii Schol. ad lib. III, v. 1177.

M.

MACER ÆMILIUS. Vid. ÆMILIUS.

*MACER CAIUS. Vid. LICINIUS MACER.

MÆCENAS [C. CILNIUS]. Eques Rom. Augusto gratissimus, cujus res gestas litteris consignavit, uti ex Solino discimus, cap. XII, pag. 32, Græcis Μαικήνας, in antiquis inscript. *Mæcenas*. Ejus Dialogorum librum X laudat Priscianus, lib. I, pag. 61.

Mago Carthaginiensis, cujus Cicero meminit, lib. I, de Orat. pag. 325. Volumina octo et viginti, de re rustica scripserat, Punico sermone, quæ Dionysius, uti suo loco diximus, in Græcum transtulit. Vide Varronem, lib. I, cap. 1. de Re rust. Exstant illius capita aliquot de mulomedicina, inter veterinariæ medicinæ scriptores. Columella, lib. I, cap. 1, rusticationis parentem appellat.

Mallotes. Vid. Philistides et Crates Grammaticus. [Uterque enim a patria tulit hoc cognomen.]

Mamilius [male nonnulli Manlius] Sura, e Mamiliorum familia, cujus Festus meminit [rei rusticæ scriptor a Varrone etiam laudatus].

Manilius (Titus), vir Senatorii ordinis, Marii ac Syllæ temporibus floruit, Jurisconsultus historiæ ac litteraturæ omnis indagator. M. Manilium vocat Cicero, lib. I, de Orat. et lib. VII, Epist. Fam. 10. Ab eo semper cum P. Mucio Scævola, Jurisconsultissimo, nominari conjunctim solet. Eum cujus Astronomicon libros habemus, ab eo longe diversum esse, neque etiam Augusti ætate, ut putat Scaliger, sed Constantini M. vixisse, eruditi viri opinantur.

*Marcion Smyrnæus de simplicibus (simplicium medicamentorum) effectibus scripsit. Dubitat autem Harduinus de nomine, quanquam in codicibus ita legitur, et *Mictonem* potius legi suadet.

Marsus Poeta, cui Domitius prænomen [vel potius nomen] fuit, ut quidem ait Suetonius, de Ill. Gr. cap. IX. Scripsisse Herculis certamen adversus Amazonas, auctor est Martialis, lib. IV, Epigr. 29. Fabellarum liber nonus laudatur a Charisio, lib. I, pag. 55. Virgilio coævus fuit.

Marsyas Macedo, ex oppido percelebri Pella, Antigoni frater, ejus qui post Alexandrum regnavit. Scripsit de Rebus Atticis libros XII. De Macedonicis, X. Cujus posterioris operis Harpocration meminit, verbo Ἀμφίπολις. Utriusque Suidas, tomo II, pag. 100. Laudatur et a Plutarchu, in Demosth. pag. 854.

Masurius Sabinus [vel Massurius], Græcis Μασσούριος, vir equestris ordinis, Augustei ævi Jurisconsultus nobilissimus: de quo Persius, Satyra V, 90:

Excepto si quid Masuri rubrica notavit.

Libros ejus de Jure civili laudat Gellius, lib. IV, cap. 1. Memorialium librum undecimum, idem lib. V, cap. 6. Secundum, Macrobius, lib. III, Saturn. c. 6. Libros de triumphis Romanorum, Plinius, lib. XV, cap. 38.

Maximus Valerius, libros Exemplorum, sive dictorum factorumque memorabilium scripsit. Quanquam in priore libro pars capitis primi postrema, a num. 5, ad caput 5 ejusdem libri, cui *De Ominibus* titulus est, non ipsius Valerii est, sed ejus potius, qui ex Valerio epitomen fecit, quod et præfationes illas exempla singula, quæ hoc intervallo continentur, egressusque non habent Maximo perfamiliares, et quod in vetustioribus exemplaribus ea desunt, quæ hic inseruntur, quorum loco notatum est *Deesse multa*. Sed qua demum ætate vixerit, Valerius ipse prodit, lib. II, cap. 6, dum se in Asiam esse profectum dicit cum Sexto Pompeio Nepote, qui, ut Fasti loquuntur, Consulatum eo anno

gessit, quo Augustus obiit. Tum vero maxime ejusdem libri, cap. 9, ubi a Claudio Nerone ortum ducere Tiberium ait, quem *Principem nostrum salutarem* appellat.

Meuius [vel Medeus]. Inter vetustiores medicos laudantur a Galeno, Medius et Plistonicus, Μήδειος, καὶ Πλειστόνικος, Comm. 2, in libr. Hippocr. de Natur. Hum.

Megasthenes. Vixit is Ptolemæi Lagidæ principatu. Ejus historiæ fidem derogat Strabo, lib. II, pag. 76. Laudat eum ἐν τῇ τρίτῃ τῶν Ἰνδικῶν, Clemens Alexandr. lib. I, Strom. pag. 305, ubi cum Seleuco Nicatore vixisse tradit.

Meges chirurgus, de quo lib. XXXII, cap. 24. Celsus chirurgicorum peritissimum vocat, lib. V, cap. 28, et in præfatione libri septimi.

Mela Pomponius, e Bætica provincia Hispanus, vixit Claudii Cæsaris principatu, ut quidem Vossius existimat post Vadianum. Vide quæ dicturi sumus, lib. XIX, cap. 33. Edidit libros tres de Situ orbis, quibus nihil est elegantius. In geographicis rebus describendis, ab eruditione Strabo, a diligentia Plinius, ab arte Mela commendatur. [Alius autem est Mela equestris ordinis, nempe Annæus Mela, M. Annæi Senecæ filius, quem hausto porri succo exspirasse putat Plinius, et quidem sub Tiberio, quum Neronem dicere debuisset. Tacitus autem solutis venis semetipsum interfecisse memorat.]

Melanthius, pictor, de quo dicemus, lib. XXXV, cap. 32.

Melior Umbricius. Vid. Umbricius.

Melissus. Meminit Suetonius, lib. de Illustr. Gramm. cap. III, Lenæi Melissi; capite vero XXI, Caii etiam Melissi, quem Mæcenati gratissimum fuisse ait, ac bibliothecarum in Octaviæ porticu ordinandarum curam suscepisse. A patrono suo C. Melissus Mæcenas dictus est. Hic enim ille est, quem Mæcenatem Melissum scribi oportet apud Plinium, lib. XXVIII, cap. 17, ut ibi dicturi sumus. Librum scripsit facetiarum, sive jocorum, teste eodem Suetonio. Impetrare tamen a me vix possum ut credam, alterutrum ex his a Plinio vocari in partes. Illum potius existimaverim ab eo designari, quisquis is fuerit, Melissum scriptorem, cujus librum de Animalibus laudat Albertus M. lib. VI, de Animal. Tract. I, cap. 6. Est et alter « Melissus Euboicus, inquit Fulgentius, lib. II, Mythol. cap. de cygno, qui omnium physiologorum sententias disputavit. » Alius rursum apud Laert. lib. IX, pag. 243. Sed neuter huc pertinet.

* Melitus. Vid. Miletus.

Menæchmus Sicyonius, Μέναιχμος Suidæ, tomo II, pag. 89. De Artificibus, περὶ τεχνιτῶν scripsit librum unum, teste Athenæo, lib. XIV, pag. 635. De arte sua, hoc est, de Toreutice, Plin. lib. XXXIV, cap. 19. Statuarius fuit. Idem Sicyoniorum historiam libris sex complexus est, teste Athenæo, lib. III, pag. 271. Idem res gestas ab Alexandro, ut auctor est Suidas loc. cit.

Menander Comicus. Theophrastum Aristotelis discipulum, magistrum habuit, teste Laertio in Theophr. lib. V, pag. 122, novæ comœdiæ prin-

ceps. Plurimas ejus fabulas citat Athenæus: citant et alii. De eo vide Plin. lib. VII, cap. 31.

Menandri duo, Prienæus, et Heracliotes. Prioris, Varro et Columella, lib. I, cap. 1, inter scriptores de agricultura: posterioris solus Varro meminit. Illi Priene Ioniæ civitas, isti Heraclia, quæcumque illa sit, nomen dedit. [Uterque citantur a Plinio, et quidem simul, in Indice libb. VIII et XI.] Vel illorum alteruter, vel ab utroque diversus ille Menander est, qui Βιόχρηστα scripsit, hoc est, vitæ utilia: de quo in Indice [libb. XIX, XX, XXI et XXII. Scriptor igitur non ignobilis].

Menecrates, poeta Ephesius, quem de Re rustica carmen scripsisse auctor est Varro, lib. I, de Re rust. cap. 1. Hunc Plinius laudat passim: at in Indice lib. XI, Menecratem potius Syracusium medicum designari puto, de quo Athenæus lib. VII, pag. 289, et quem optimorum medicamentorum librum inscripsisse auctor est Galenus, libro VI, κατὰ τόπους, cap. 9.

Messala Orator. Vid. Corvinus Messala.

Messala Senex, idem Messala Censorius Plinio dictus, lib. VII, cap. 10. Augur Messala Gellio, lib. XIII, cap. 15, ubi librum de auspiciis ab eo scriptum dicit: vel, uti Festus ait, verbo *Marspedis*, de explanatione auguriorum. De Romanis etiam familiis scripsit, quo ex opere Plinius profecit, lib. XXXIV, cap. 38, et lib. XXXV, cap. 2, atque adeo, ut mihi quidem videtur, lib. XXXIII, cap. 14.

* Messala Rufus citatur in Indice lib. VII, et in ipso libro, cap. 53.

Messalinus Cotta. Vid. Cotta Messalinus.

Metellus Scipio, [Pompeii socer.] Dicemus de eo, lib. VIII, cap. 74.

Meton [astronomus præstantissimus], qui Athenis, ac per Macedoniam observasse dicitur a Ptolemæo. Athenis Enneadecaeteridem promulgavit, [Olympiadis LXXXVII, anno primo, circa belli Peloponnesiaci initia, Aureum nempe annorum numerum, quo solis et lunæ motus conciliantur, cum summo plausu et a posteris exceptum.]

Metrodorus. Alterum hic a patria, Scepsii: alterum ab odio Romani nominis, Misoromæi cognomen habuit, teste Plinio, lib. XXXIV, cap. 16. Est porro Scepsis Troadis oppidum. Hunc apud Tullium Antonius, lib. II, de Orat. pag. 545, adhuc ætate sua vixisse ait. Scripsit de ratione inungendi athletas, περὶ τῆς ἀλειπτικῆς, teste Athenæo, lib. XII, pag. 552. Quum in Indice, lib. III, atque ejusdem libri cap. 20, appelletur, qui liber totus est in rebus geographicis explicandis, eumdem esse existimo, qui in Indice librorum sequentium, quarti scilicet, et quinti, quamquam patria non designata, laudatur, quum in eodem illi versentur argumento: atque adeo hunc Metrodorum Scepsium περιήγησιν, seu terrarum orbis descriptionem instituisse, ex qua Plinius profecerit: unde et Periegeticus appellatus est a Placido Lactantio, sive ut alii aiunt, Lutatio, in librum tertium Thebaidos Statii, v. 478. Laudatur idem ἐν πρώτῳ τῶν περὶ Τιγράνην, ab Apollonii Schol. ad. lib. IV, v. 133.

Metrodorus, qui de Architectonice scripsit, ut dicitur in Indice lib.

XXXV, a Metrodoro Scepsio, diversitate argumenti in quo versatur, et patria, et ætate dispar, ut dicemus libro XXXV, cap. 40.

Metrodorus, medicus, Chius, Hippocratis magister, τῶν ῥιζοτομουμένων epitomen scripsisse dicitur, lib. XX, cap. 81, hoc est, de perfecta cognitione, dissectione, ac præparatione herbarum ad medicamenta conficienda. Plerique Veterum, qui de herbis medicis scripserunt, libros suos inscribere soliti sunt, περὶ ῥιζοτομουμένων, vel ῥιζοτομικόν. Ut Amerias apud Athen. lib. XV, pag 681, ἐν ῥιζοτομικῷ, Eumachus Corcyræus ἐν ῥιζοτομικῷ, ibidem. Metrodori Chii librum de Natura Tullius laudat, lib. IV, Academ. quæst. pag. 58.

Micton, medicus. Libro XX, cap. 96, in cod. Chiffl. legitur *Myccon.* In Colb. I, *Myccon.* Lib. XXIX, cap. 38, *Picton.* In Indice hactenus edito, et lib. XX, cap. 96, *Miction qui rhizotomumena.* Haud dubie *Micton* rescribendum : etsi Salmasius *Miccon* Μικκὼν legit vult. Nam Scholiastes Nicandri in Theriac. pag. 29, laudat Μίκτωνα ἐν τῷ περὶ ῥιζοτομικῶν. Quo ex loco rursum Plinius corrigendus, lib. XXVIII, cap. 7, ubi *Marcion Smyrnæus*, pro *Micton Smyrnæus*, perperam scribitur : idem enim est qui de simplicium scripsit effectibus, ut eo loci dicitur, et qui, quod idem est, ῥιζοτομούμενα adversus serpentes tractavit. In Indice librorum nondum editorum, confecto a Scipione Tettio, edito a P. Labbeo in nova Biblioth. librorum MSS. pag. 172, exstare dicuntur in Florentina Bibl. *Mystionis* Smyrnæi Gynæcia, capitibus 1071 comprehensa. Scribe, *Mictonis.*

Miletus. Forte Melitus scribi satius foret, Μέλιτος, quem Suidas ait tragicum et oratorem fuisse, Socratis ævo : Aristoph. Schol. in Ranis, pag. 273, et Ælian. lib. X, Var. hist. cap. 3.

Mithridates, ille Ponti ac Bithyniæ rex, [cui quondam xxii diversarum linguarum nationes subjectæ erant, quique omnes antecessores non regnandi tantum, sed et medendi arte superavit. Ejus est nobilissimum antidotum, ab ipsius nomine nuncupatum, et quo sumpto corpus suum ipse adversus veneni pericula tutum effecit]. De arcanis morborum remediis Commentarios scripsit, quos Pompeius eo devicto Romam abstulit, atque a liberto suo Lenæo Pompeio verti latine jussit. Scriptis suis multa ad historiam naturæ pertinentia intexuerat.

Mnaseas. Inter scriptores rei rusticæ a Varrone et Columella laudatus, lib. I, cap. 1. Liber ejus tertius de Rebus Europæ, Εὐρωπιακῶν, laudatur ab Athenæo, lib. IV, p. 158, ex quo Fulgentium emendabis, qui libro de prisco sermone, Mraseam citat *in Cecrope libro*, mendose, pro *in Europes libro*, ut Suidas appellat, pag. 584, tom. II, verbo Πραξιδίκη. Ipsumque vicissim Athenæum corriges, qui loco cit. Μνασέαν τὸν Πατρέα vocat, quum Παταρέα scribi oporteat. Μνασέας ὁ Παταρεὺς laudatur a Schol. Pindari, pag. 99 et 236. Fuit igitur is Patarensis, e Lyciæ civitate. Scripsit præter ista Mnaseas periplum, teste eodem Athen. lib. VIII, pag. 331, qui et librum secundum de Asia citat, pag. 346. Græcæ gentis non obscurus scriptor vocatur a Columella, lib. XII, cap. 4.

Mnesides, medicus. Sic eum Priscianus vocat, lib. VI, pag. 707, ubi ex Indice quædam scriptorum nomina referens, sic ait: *In XI Menecrate. In XII Mneside.* Sic etiam scribitur apud Plinium ipsum, lib. XX, cap. 76, in MSS. Reg. 1, 2, Colb. etc.

Mnesigiton. Græcis Μνησιγείτων. [Auctor ignotus.]

Mnesitheus, Atheniensis medicus, Μνησίθεος Plutarcho in Quæst. natur. pag. 918. Ejus epistolam περὶ κωθωνισμοῦ laudat Athenæus, lib. XI, pag. 483. Librum de Eduliis, περὶ ἐδεσμῶν, lib. III, pag. 80, unde Varro quædam excerpsit de variis vini generibus, quæ Gellius refert, lib. XIII, cap. 30. De coronis egisse dicitur in Indice libri XXI. Hic scripsit, inquit Athenæus, lib. I, p. 22, responso Pythiæ Atheniensibus jussum esse, ut Bacchum medicum venerarentur: hoc est, ut vi medica vini uterentur.

Moschion Græcus, de Raphano condidit volumen, teste Plinio, lib. XIX, cap. 26. Exstat in Gynæciorum libris Μοσχίωνος περὶ γυναικείων παθῶν, de Mulierum Morbis opus: cum aliis excerptis ex Cleopatra, et Moschione forte altero. Sed ex iis alterutrum a Plinio laudari existimo. Scripsit et alter fortassis Μοσχίων ab his diversus libellum de nave Hieronis Syracusii, apud Athenæum, lib. V, pag. 206, ex quo ætas scriptoris discitur.

Mucianus. Vid. Licinius Mucianus.

Mundus Dossenus. Vid. Dossenus Mundus.

Musæus poeta, Orphei discipulus, Eleusinius; [quanquam Vossius Musæum nunquam exstitisse, sed tantummodo nomen fuisse putat ab antiqua Phœnicum lingua, qua Cadmus usus fuit]. Fuit et alter eo nomine Thebanus, qui Trojani belli tempore Lyricos versus scripsit. Alteruterne ex iis, num ab iis diversus quispiam assignetur a Plinio, difficile est statuere. Hesiodo uterque, quem Plinius Musæo præponit, longe antiquior.

Myrsilus Lesbius, [Myrtilus a quibusdam vocatur], Μύρσιλος Λέσβιος, inquit Clemens Alex. in Protrept. pag. 20. Lesbiaca composuit, ut auctor est Antigonus Carystius, cap. 5, 17 et 129. Laudat eum Strabo, lib. XIII, pag. 617. [Præter Lesbiaca, nonnulla etiam scripsisse testatur Millerus, inter quæ Paradoxa historica, etc.]

N.

Nearchus. Is Alexandri navium gubernator, cum eo militavit, ac de rebus ab eo gestis scripsit historiam, quam Strabo laudat, lib. XV, pag. 686, et alibi passim: Curtius item, Arrianus in Indicis, pag. 544, et Suidas. In insula, quam Indus amnis in ostio facit, Patale dicta, sepultum tradit Philostratus; lib. III, de Vita Apoll. cap. 15.

Necepsos, Græcis Νεχεψώς, « Ægypti imperator justissimus, et astrologus valde bonus », inquit Julius Firmicus, lib. IV, cap 16. De illo Ausonius, Carm. 409, v. 20:

Quique magos docuit mysteria vana Necepsos.

Νεχεψὼς ὁ βασιλεὺς citatur a Galeno, lib. IX de Facult. simp. medic. cap. 2, ἐν τῇ τεσσαρεσκαιδεκάτῃ βίβλῳ.

Neoptolemus. Μελιτουργικά, hoc est, de ratione conficiendi servandique mellis, scripsisse dicitur in Indice libri XI. Laudatur ab Athenæo liber de Epigrammatis Neoptolemi Pariani, lib. X, pag. 454; liber tertius glossarum, lib. XI, pag. 476; denique ejusdem Dionysias, lib. III, pag. 82.

Nepos Cornelius. Vide Cornelius Nepos.

Nicander Colophonius, idem poeta, idem medicus, idem insignis grammaticus fuit: is est cujus Theriaca exstant, et Alexipharmaca. Vixit temporibus Attali, postremi Pergamenorum regis. Scripsit collectionem remediorum: item prognostica, quæ ex Hippocrate transtulit. Hæc Suidas, tom. II, pag. 229. Scripsit et Georgica, quorum præter Suidam meminit Athenæus, lib. II, pag. 72. Quo de opere ita Tullius, lib. I, de Orat. pag. 284: « Constat inter doctos, hominem ignarum Astrologiæ, ornatissimis atque optimis versibus, Aratum de cælo stellisque dixisse: de rebus rusticis hominem ab agro remotissimum Nicandrum Colophonium, poetica facultate, non rustica, scripsisse præclare. » Ejusdem μελιτουργικὰ laudantur ab Athenæo, lib. II, p. 68; liber glossarum tertius, lib. VII, pag. 228; Ætolicorum, lib. VI, pag. 295; Bœoticorum, lib. VII, pag. 329; Colophoniorum quartus, lib. XI, pag. 496; denique ἑτεροιουμένων, sive transformationum, seu metamorphoseon, lib. III, pag. 82; ejusdem operis liber quartus, lib. VII, pag. 305: ut ex iis et Apollonii Scholiasten, qui ad lib. I, v. 1235, ἑτεροιουμένων, et Suidam emendandum putem, qui fœdum huic operi titulum adfingit, ἑταιροιουμένων βιβλία πέντε, *de iis qui meretricis more vivunt.* Meminit et Scholiastes Nicandri in Theriac. pag. 28, libri quem ille Hyacinthum inscripserat, Νίκανδρος ἐν τῷ ἐπιγραφομένῳ Ὑακίνθῳ. Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 57, libri secundi Εὐρώπης.

Niceratus. Inter recentiores medicos Augustei ævi a Discoride recensetur in præf. Librum Nicerati de Catalepsi laudat Cælius Aurelian. lib. II, Chron. cap. 5. Hujus compositiones medicas refert Galenus, lib. III, κατὰ τόπους, cap. 1, et lib. VII, cap. 5; scripsit quoque de herbis.

Nicias. [Nicias Mallotes, a patria dictus Mallo, Ciciliæ oppido, et hinc probe distinguendus a Nicia Solensi, qui Pyrrhi fuit medicus; quod non cavit Harduinus in Indic. Auct. Scripsit autem περὶ λίθων, de lapidibus sive gemmis.]

Nicobulus, [alii Nicobule]. Videtur is cum Onesicrito et Nearcho, expeditionum Alexandri comes fuisse, vel cum Diogueto et Bætone itinerum dimensor.

Niger Sextius, homo latinus, græce de medicina scripsit: sed in herbis explicandis, Dioscoridi si credimus, in præf. multa peccavit. Plinio contra, lib. XXXII, cap. 13, diligentissimus auctor medicinæ dicitur. De materia medica, περὶ ὕλης, scripsisse scimus ex Erotiano,

in Onomastico vocum Hippocratis, tom. II, operum Galeni, pag. 125.

Niger Trebius. Vid. Trebius.

Nigidius Figulus, Senator, post M. Varronem Romanorum doctissimus: quo socio atque adjutore in exstinguenda Catilinæ conjuratione Cicero usus est. Astrologica eum scientia præstitisse auctor est Dio, lib. XLV, pag. 270, imperiumque prædixisse Octavio Augusto, eo ipso quo natus est die. Maximum rerum naturalium indagatorem vocat Q. Serenus Sammonicus apud Macrob. lib. II, Saturn. cap. 22, ubi librum ejus quartum de Animalibus laudat, quo loco de Acipensere egit. Librum secundum ejusdem operis, Gellius, lib. VII, cap. 9, pag. 420. Secundum item, de Vento, lib. II, cap. 22. De Extis, lib. XVI, cap. 6. De Sphæra Barbarica et Græcanica, Serv. in lib. Georg. Unde ei Figuli cognomen adhæserit, docet August. lib. V de Civit. Dei, cap. 3. De eo Lucanus, lib. I, v. 639:

> At Figulus, cui cura Deos, secretaque mundi
> Nosse fuit, quem non stellarum Ægyptia Memphis
> Æquaret visu numerisque moventibus astra, etc.

Nymphodorus Syracusius, quem laudat Athenæus, lib. VII, pag. 321, ἐν Ἀσίας περίπλῳ; libro vero VIII, pag. 331, ἐν περίπλοις, ut non Asiæ solum, sed totius orbis periplum descripsisse videatur. Laudari hunc a Plinio citius existimaverim, quam alterum ejusdem nominis Amphipoliten, quem citat Clemens Alexandr. in Protrept. pag. 43, aitque scripsisse de ritibus legibusque barbaricis, ἐν νομίμοις βαρβαρικοῖς. Syracusium ab Æliano quoque citari arbitror, lib. XI, cap. 20, et lib. XVI, cap. 34 de Siciliæ et Sardiniæ rebus admirandis: quæ quia fictitiæ fortassis erant et commentitiæ, inde auctori Nymphodoro θαυματοποιῷ potius, quam θαυματογράφῳ nomen videtur obtigisse apud Athen. lib. I, pag. 19.

O.

Œnopidas Chius, [Democriti æqualis, astronomiæ quam ab Ægyptiis accepisse videtur, peritus, qui inventionem obliquitatis Zodiaci sibi tribuit, et annum magnum LIX annorum statuit]. Idem, cujus Diodorus meminit, lib. I, pag. 38; Ælian. lib. X; Var. cap. 7; Plutarch. lib. II, de Placitis Philos. cap. 12.

Olympias Thebana. Laudatur hæc [a Plinio nostro in Elencho non semel]; a Plinio Valeriano, lib. IV rei medicæ, cap. 5. Citatur ejus epistola a Julio Polluce, lib. X, cap. 1.

Olympicus. Scribendum fortassis Olympiacus, ut sit medicus ille Milesius, cujus Galenus meminit in Introd. tom. II, cap. 4. Methodicæ sectæ addictus, [Apollonii Cyprii præceptor fuit].

Olympiodorus. Videtur is Alexandri M. res gestas scripsisse, et cum Nearcho et Onesierito, expeditionum ejus comes fuisse.

Onesicritus Astypalæus [vel Æginensis], Diogenis discipulus, Alexandro in expeditionibus comes, ac triremis ipsius gubernator: cujus institutionem, ut Xenophon Cyri παιδείαν, scripsit, teste Laertio in

Onesicrito, lib. VI, pag. 168. Onesicratum aliqui perperam appellant. Passim laudatur a Strabone.

Ophelion, medicus, Græcis Ὀφελίων : quale poetæ comici nomen apud Athen. lib. II, pag. 66, et apud Suidam, tom. II, pag. 399. In MSS. tamen Reg. Colb. Th. Chiffl. sæpe *Opinion*, interdum *Ophion* scribitur, [nec de vero nomine constant interpretes].

Opilius Medicus, cui prænomen Aurelius. Ex libris illius de Silvestribus arboribus quædam Festus recitat, verbo *Fomites*. Oppius perperam scribitur apud Macrob. lib. II, Saturn. cap. 14 : « Vir doctus Oppius in libro quem fecit de silvestribus arboribus. » Alium hunc esse arbitror ab eo qui libros suos Musarum inscripsit, laudatos a Gellio, lib. I, cap. 25, et a Suetonio, lib. de Illustr. Gramm. cap. VI.

Oppius. Caium illum esse Oppium puto, qui auctor existimatus est eorum voluminum, quæ Hirtio ab aliis tribuuntur, quemadmodum Suetonius docet, in Julio, cap. LII. Scripsit de Vita C. Marii, quam Plinius laudat, lib. XI, cap. 45. De Vita Cn. Pompeii, unde quædam Plutarchus adducit, in Pompeio, pag. 623. De Vita Cassii, ex Charisio, lib. I, pag. 119. Denique de rebus Africani, ex Gellio, lib. VII, cap. 1.

Orpheus. Primus exstitit, qui de herbis aliqua curiosius prodiderit, inquit Plinius, lib. XXV, cap. 5. Ὀρφέως φυσικὸν laudat Suidas verbo τριτοπάτορες, tomo II, pag. 247. Τὰ λιθικά, sive de gemmis, Tzetzes Chiliad. 4, Hist. 140, v. 402, et Stobæus Serm. 32. De Agricultura, ἐν Γεωργίᾳ, idem Chiliad. Hist. 128, v. 172. De medicamentis compositis scripsisse auctor est Galenus, lib. II, de antidotis, cap. 7, pag. 908. Fuit ille porro bello Trojano antiquior. Qui falso ei adscripti libri fuerint, Suidas docet tomo II, pag. 338. In Indice libri XXVIII legitur, *Orpheo qui Diophuos*, mendose, ut monuimus. Nam quum sequatur statim, *Archelao qui item*, hoc est, qui in eodem argumento tractando versatus est; hunc autem suo loco ostenderimus ἐν τοῖς Διφυέσι laudari a Nicandri Scholiaste : effici inde necesse est, Orpheum pariter Διφυεῖς scripsisse, hoc est, de iis animalibus quæ sunt ancipitis naturæ, ut sunt murænæ, etc. Scio Reinesium, lib. I, Var. Lect. cap. 1, conatum esse restituere Ἰδιοφυεῖς : sed conjectura parum felici, quum Archelaum non viderit Διφυεῖς tractasse. Denique de medicamentis Orpheum hunc exarasse volumen, auctor est Galenus, lib. II, de antid. cap. 7. [Hodie sub ejus nomine circumferuntur Argonautica; hymni; de Lapidibus, qui libellus tamen a veteribus quibusdam Onomacrito tribuitur; et fragmenta quædam. Nihil horum tam remotam ætatem spirat].

Ostanes [vel Otanes]. Duo ejus nominis laudantur a Plinio, lib. XXX, cap. 2. Prior Xerxem in bello comitatus, posterior Alexandrum. Uterque magicæ professioni auctoritatem dedit, de ea arte scripta voluminibus. De utroque ibi dicemus. Osthanem citat Lactantius Placidus in lib. I, Thebaid. Statii, v. 710.

Ovidius Naso [eques Romanus et poeta egregius, natus Sulmone in Pelignis; sed ab Augusto tandem, incertum quibus de causis, Tomos

in exilium missus, ubi etiam Tiberio imperante vita excessit. Ejus opera hodienum exstant, sæpissime edita].

P.

lus poeta vocari cuperet? Uter a Plinio nostro signetur, definire non possumus].

PETOSIRIS, Ægyptius mathematicus, de quo Juvenalis, Sat. VI, v. 581:

Capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, nisi quam dederit Petosiris

Astrologica scripsisse auctor est Suidas tomo II, pag. 512. Hujus epistolam astrologicam ad Nechepsum [seu Necepsum] regem in Bibliotheca Cæsarea Viennæ extare MS. auctor est P. Lambecius, lib. VII, pag. 118, et in Bibl. MSS. Renati Moræi Med. Paris. P. Labbeus, in Nova Bibl. librorum MSS. pag. 213. Ejusdem Petosiris ad Nechepsum regem Organum Astrologicum asservari testatur idem Lambecius in Bibliotheca jam ante laudata, loc. cit. Petosirin et Necepsum Julius Firmicus, lib. IV, Mathes. in præf. 45, divinos viros appellat, atque omni admiratione dignos, quorum prudentia et ipsa secreta divinitatis accessit, etc.

PETRICHUS. Sic enim illa vox scribi debet, ut in Colb. cod. 1, 2, lib. XX, cap. 96, aliisque quibusdam in locis. [Medicus fuit.] Ophiaca scripsisse a Plinio dicitur loco citato: et a Nicandri Scholiaste, ad Theriaca, pag. 27, Πέτριχος, ἐν ὀφιακοῖς; et pag. 30, Πέτριχος ἐν τῷ ὀφιακῷ, hoc est, in eo libro, quo de serpentium natura disputat.

PETRONIUS. De eo diximus in Diodoro.

PHANIAS PHYSICUS, quem laudat Antigonus Carystius, Histor. Mirab. cap. CLXXI, patria Lesbius, ut ait Plutarchus in Solone, pag. 85, et in Themistocle, pag. 115; vel ut Athenæus ait, lib. II, pag. 51, et Laertius in Aristippo, pag. 49, Eresius: est enim Eresos Lesbi insulæ oppidum. Aristotele magistro profecit. Hujus librum quintum περὶ φυτῶν, de plantis, laudat Athenæus, lib. III, pag. 84. De tyrannis Siciliæ, lib. VI, pag. 232. Contra Sophistas, lib. XIV, pag. 648, etc. [Idemne Phænias a Galeno vocatur? an plures fuerunt?]

PHEMONOE. Φημονόην laudat in Thalete Laertius, pag. 10, atque ab ea profectum τὸ Γνῶθι σεαυτὸν, quod vulgo Thaleti adscribitur, ex Antisthene refert. Hæc prima vates versibus heroicis fudit oracula apud Delphos, inquit Euseb. in Chron. 104, cui concinit Proclus in Chrestomathia, referente Photio in Bibl. cod. 239. pag. 981: τὸ μέλος πρῶτον μὲν ἐφεῦρε Φημονόη ἡ Ἀπόλλωνος προφῆτις. Primus illius versus hexameter hic fuit: Συμφέρετε πτερά τ' οἰωνοὶ, κηρόν τε μέλισσαι. Delphis vixisse Φημονόην auctor est præterea Clemens Alex. lib. I, Strom. pag. 334 et alii. De ea Lucanus, lib. V, v. 186:

Sic plena laborat
Phemonoe Phœbo.

In Indice librorum nondum editorum, confecto a Scipione Tettio Neapolitano, quem edidit P. Labbeus in Nova Bibl. librorum MSS. pag. 172, recensetur Phemonoes ὀρνεοσκόπιον, in quo similia multa sunt iis, quæ libro X, cap. 3, ex Phemonoe recitantur a Plinio.

*PHERECYDES, Syrius, e Syro insula, non unus tantum apud Veteres celebratur: duorum enim apud Laertium diserte meminit Andron

Ephesius, quorum alter fuerit astrologus et præceptor Thaletis, alter autem theologus et præceptor Pythagoræ. Sed unus idemque tamen intelligi poterit, ut alii eruditorum ostendunt. Is, quem postremo loco nominavimus, scripsit de natura rerum ac Diis, epistola autem sub Pherecydis nomine ad Thaletem, exstat apud Laertium.

Philemon, « mediæ comœdiæ scriptor, fabulas cum Menandro in scena dictavit, certavitque cum eo, fortasse impar, certe æmulus, inquit Apuleius, lib. III, Florid. pag. 19; namque eum vicit sæpenumero,» etc. Floruit Alexandri M. temporibus. Hunc Suidas Syracusium facit, pag. 1052, fortassis quod ibi docendi ludum aperuerit: Strabo, lib. XIV, pag. 671, Pompeiopoli Ciliciæ oppido natum refert. De omnigenis oraculis eum scripsisse narrat Athenæus, lib. IV, pag. 114. Citatur a Diomede, lib. III, pag. 486, aliisque grammaticis.

Philinus Cous, qui Empiricæ medicorum sectæ præfuisse dicitur, in Medico, cap. IV, pag. 363, tomo II operum Galeni: Φιλῖνος Κῷος. In Plinianis libris *Phyllinus* perperam legebatur. Hunc laudat Athenæus, lib. XV, pag. 681, inter eos qui de plantis floribusque scripserunt. Philini compositionem medicam commendat Galenus, lib. VII, κατὰ τόπους, cap. 5, et lib. III, κατὰ γένη, cap. 13.

Philippus, astronomus antiquissimus, cujus Geminus, cap. VI, meminit in Elementis Astronomiæ, et Ptolemæus, lib. de Apparentiis, pag. 89, et Hipparchus, lib. I, in Phænom. pag. 179. « Parapegmata astronomica composuit, » inquit Vitruvius, lib. IX, cap. 7.

*Philiscus Thasius, qui in desertis apes colens Agrius cognominatus, scripsit de apibus. Citatur a Plinio libro XI, cap. 9.

Philistides Mallotes, a Mallo Ciliciæ oppido cognominatus, uti Aristophanes Mallotes, et alii. Hoc verius multo arbitror, Philistidis nimirum patriam hac voce, *Mallotes*, quam nomen viri proprium designari: quanquam nec sum nescius a Suida, tomo II, pag. 87, laudari Μαλλώτην tragicum poetam, ex urbe Dionysiade.

Philistion Siculus, Eudoxi Cnidii in medica disciplina magister: idem Locrensis appellatus, quod in ea Italiæ parte diu sit versatus. Gellius, lib. XVII, cap. 11, veterem medicum et nobilem vocat. Huic liber de Diæta a quibusdam adscribitur, qui inter Hippocratis opera exstat. Sed et hujus Philistionis frater libros scripsit de Adjutoriis, ad medicinam pariter pertinentes, quorum secundus ac vicesimus a Cælio Aureliano laudatur, lib. V, Chron. cap. 1.

Philistus, historicus, Φίλισκος, ἢ Φίλιστος, inquit Suidas, tomo II, pag. 1085, Syracusanus fuit. Doctum hominem, et diligentem Cicero vocat, lib. I, de Divin. pag. 173. Dionysio seniori, cujus cognatus fuit, in constituendo principatu favit. Scripsit res Siculas libris XI, teste Diodoro, lib. XIII, pag. 222; Ægyptiaca, libris XII, Suida teste. Ἱστοριογράφος dictus a Tzetze, Chiliad. 10, Hist. 358, v. 829. In ratione historiæ conscribendæ « Thucydidis imitator, ait Quintilian. lib. X, cap. 1, et aliquatenus lucidior.» Desiisse tamen placere sua ætate scribit Cicero in Bruto, pag. 534. Qui μελιτουργικὰ scripsisse dicitur

in Indice libri XI, et cap. 9, ejusdem libri, Thasius patria quum fuerit, ab isto diversus plane exstitit. [Vid. Philiscus.]

Philometor. Vid. Attalus.

Philonides. Medicus eo nomine Dyrrachenus fuit, cujus Stephanus meminit, verbo Δυῤῥάχιον, [qui libros edidit XLV, de Arte medendi; alter vero Catinensis Siculus laudatur a Galeno et Athenæo qui de coronis et unguentis, περὶ μύρων καὶ στεφάνων, scripsit. Neutrum vero a Plinio signari Harduinus existimat, sed Philonidem Atheniensem qui ex fullone veteris comœdiæ poeta factus, nonnulla dramata scripsit quorum fragmenta collegit Hertelius.]

Philopator. Galenus, lib. de Cognosc. curandisque animi morbis cap. 8, tomo VI, pag. 532, Philopatoris Stoici meminit. Verum in cod. R. 1, 2, et Colb. 2, in Indice libri XXIX, non *Philopatore* legitur, sed *Phalapato*, ut forte *Palæphato* legi scribique oporteat. Sunt autem plurimi ea appellatione magni nominis scriptores, quos videre est apud Suidam, tomo II, pag. 408 et 409. Est enim Palæphatus Atheniensis, vetustissimus post Phemonoen poeta, qui κοσμοποιΐαν scripsit. Alter Prienæus, qui Artaxerxis ætate vixit: ediditque ἀπίστων, hoc est, rerum incredibilium. Tertius Abydenus historicus, qui Cypriaca, Deliaca, Attica, et Arabica scripsit, Aristoteli valde familiaris. Quartus Ægyptius, qui fabulosa conscripsit, etc.

Philostephanus, Callimachi Cyrenæi conterraneus, et σύγχρονος sive æqualis, et eidem familiaris fuit, ut auctor est Athenæus, lib. VIII, pag. 331. De civitatibus Asiæ scripsisse idem narrat, lib. VII, pag. 297. Περὶ εὑρημάτων, de rebus inventis, Clemens Alexandr. lib. I, Strom. pag. 308. De insulis, περὶ νήσων, Harpocration, verbo Στρύμη, p. 275. De Cyllene, περὶ Κυλλήνης, Scholiastes Pindari, p. 55.

Philoxenus, poeta Cytherius, dithyrambicus vates Athenæo dictus, lib. VIII, p. 341; cujus Δεῖπνον, sive Convivium laudat, lib. IV, p. 146. Hunc Dionysio juniori familiarem fuisse auctor est Pausanias in Atticis.

Phylarchus, Ptolemæi Evergetæ temporibus vixit. Ejus historiarum librum XXXV, laudat Athenæus, lib. IV, p. 141. Atheniensisne sit, an Naucratites dicendus, dubitat idem Athenæus, lib. II, p. 58, et Suidas, tom. II, p. 1098, apud quem hæc illius scripta recensentur in primis: Περὶ εὑρημάτων, de rebus inventis; ἐπιτομὴ μυθική, compendium fabulosum: res ab Antigono et Eumene gestæ, etc. Græcis Φύλαρχος scribitur, ut apud Ælian. lib. VI, Hist. Anim. cap. 29, etc.

Piso. L. Calpurnius Piso Frugi: scripsit Annales, quos passim Gellius laudat, inprimis lib. VI, cap. 9. Gessit Consulatum anno U. c. dcxxi. Censor fuit cum Q. Cæcilio Metello Balearico, an. dcxxxiv. Unde Censorius appellatur, lib. XIII, cap. 27, ubi *C. Piso* perperam appellatur, quum *Lucius* dictus sit, et in Indice tum libri secundi, tum libri ipsius tertii decimi, et lib. II, cap. 54, et in MSS. R. 1, Colb. 2, diserte ac sine compendii nota *Lucius Piso* vocetur. Accedit Dionysii Halic. auctoritas, qui rem plane conficit, quum lib. II, p. 105, L. Pisonem virum

censorium historicum vocat: ὡς Πίσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ. Pisonis Frugi secundum Annalium citat Priscianus, X, p. 887.

Plato, [Atheniensis, ille philosophus, natus olymp. lxxxvii, qui, quum primum audiisset Socratem, varias regiones adiit, philosophiæ gratia; redux autem factus rempublicam gerere noluit, etiamsi consiliis adfuit Dioni, aliisque viris principibus. Obiit Olymp. cviii. Scripta ejus plus vice simplici junctim edita sunt].

Plautus (M. Accius), appellatus Comœdiæ Latinæ parens, [patria Sarsinas, fato concessit anno Urb. dlxx. E comœdiis illius quarum ætate Gellii centum et triginta circumferebantur hodie viginti exstant, sæpenumero ab eruditis viris editæ].

Plistonicus, Praxagoræ discipulus, arte medicus, ut auctor est Celsus in præf. lib. I, p. 2. Scripsisse de Humoribus, testatur Galenus, lib. de Atra bile, cap. 1. Scripsit etiam de commodis ex aquæ potu, teste Athenæo, lib. II, p. 45.

Pollio Asinius. Vid. Asinius.

Polybius. Megalopolitanus ex Arcadia, cujus historiarum libri quidam supersunt, et excerpta ex aliis qui interierunt. Obiit annis xvii ante Ciceronis natalem. Dicemus de eo plura, lib. VIII, cap. 18. Hic, quia Romanorum inprimis res scripsit, Romanis scriptoribus semel accensetur in Indice libri XXXI.

Polycritus Mendæus, a Mendis Siciliæ oppido, cognominatus. Dionysii Siculi res gestas litteris mandavit, teste Laertio, lib. II, in Æschine, p. 48. Apud Plinium, lib. XXXI, cap. 2, Polyclitus mendose scribitur, pro Polycrito: uti ex Antigono Carystio constat, qui eadem ac Plinius narrat, Histor. mirab. cap. 150.

Polyhistor. Vid. Cornelius Alexander.

Pompeius Lenæus. Vid. Lenæus.

Pompeius Trogus. Vid. Trogus.

Pomponius Atticus. Vid. Atticus.

Pomponius Mela. Vid. Mela.

Posidonius, Apameensis idem et Rhodius appellatus, illud ab natali solo, istud a magistratu quem Rhodi gessit, nomen adeptus: Stoicus idem ab ea doctrina, in qua se exercuit. Strabo, lib. XI, p. 491, Pompeii amicum vocat. Idem illius librum de Oceano et æstu commendat, lib. I, p. 6. Librum XVI Historiarum, Athenæus, lib. X, p. 439.

Praxagoras medicus laudatur a Celso, in præf. lib. I, pag. 1. Ejus liber secundus Curationum citatur a Cælio Aurel. lib. I, Chron. cap. 4. Tertius, ab eodem, lib. II, cap. 13. Hunc patria Coum, medicum antiquissimum vocat Athenæus, lib. II, p. 41. De veneno Pharico librum edidisse, auctor est Scholiastes Nicandri. De Humoribus, Galenus, lib. de Atra bile, cap. 1.

Procilius. Laudatur a Varrone, lib. IV, de Ling. Lat. p. 36. Doctissimum sui temporis grammaticum vocat Trebellius Pollio, in Æmiliano, p. 195, sed mendose ibi Proculus vocatur.

Ptolemæus Lagi F. primus ejus nominis Ægypti principatum tenuit.

Alexandri M. sub quo militarat, res gestas perscripsit, ut auctor est Curtius, lib. IX [cap. 5, ubi vid. not. nost. edit. tom. II, p. 308. Ed.], et Plutarchus in Alexandro. Γεωγραφικὰ scripsisse testis est Marcianus Heracleotes, p. 31. Πτολεμαῖον τὸν ἐπικαλούμενον Λαγῶν appellat Origenes apud Euseb. lib. Præpar. pag. 285. Alii Lagidam, seu Lagi filium.

*Publius, natione Syrus, scenæ mimicæ conditor, a patrono suo manu ob ingenii solertiam missus. Obiit sub Augusto. Atque hic, ni fallor, signatur a Plinio, lib. VIII, cap. 77, et XXXV, cap. 58, etiamsi diversum sentiat Harduinus.

Pythagoras Samius, de quo Laertius multa, lib. VIII, p. 213. De ejus ætate dicemus, lib. II, cap. 6. De brassica scripsisse eum auctor est Plinius, lib. XX, cap. 33. De bulbis et scilla, lib. XIX, cap. 30. De herbis magicis, lib. XXIV, cap. 99. Alia Laertius refert loc. cit. Verum qui περὶ τῆς σκίλλης de scilla scripsit, hunc medicum fuisse a Philosopho Samio longe diversum, ex nonnullorum sententia ait idem Laertius, pag. 225. Pythagoras librum de Mari rubro scripsisse dicitur apud Athen. lib. XIV, pag. 634. Quas ille terras peragrando lustraverit, Plinius enumerat, lib. XXV, cap. 5.

Pytheas Massiliensis, Ptolemæi Philadelphi ætate vixit. Citatur a Plutarcho in Demosth. pag. 855. Vix ullam historiis ejus, in quibus regiones situsque terrarum descripsit, habendam fidem Strabo ait, lib. II, pag. 104, et lib. I, pag. 63: Πυθέας ἀνὴρ ψευδίστατος.

R.

Rabirius medicus, de quo lib. XVIII, cap. 21.

Rufus. Publius Rutilius Rufus, qui cum C. Manilio Consulatum gessit anno U. C. DCXLIX, idem Asiæ postea proconsul, ut ait Pomponius, lib. I, Digest. tit. 2, de Orig. juris, § 40. Scripsit Romanam historiam græce, quam laudat Athenæus, lib. VI, p. 274, et lib. XII, p. 543. Ejusdem historiam Hispanicam, Appianus in Iber. pag. 303. Virum probum et veracem Plutarchus appellat, in Mario, pag. 422. Scripsit et de tragœdis, comœdis, saltatoribus; de theatris, festis, ludis, tibicinibus; ac de aliis, quæ Photius recitat in Bibl. cod. 161, pag. 340.

* Rufus Messala. Vid. Messala Rufus.

S.

*Sabinus Fabianus. Vid. Fabianus Papirius.

Sabinus Masurius. Vid. Masurius.

Sabinus Tiro. Librum κηπουρικῶν, sive Rerum hortensium, dicasse Mæcenati dicitur, lib. XIX, cap. 57.

Sallustius Dionysius. Laudatur a Plinio, lib. XXXII, cap. 26, quo ex loco medicum fuisse eum intelligimus: ipsumque esse, quem Dionysium medicum aliis locis appellat, de quo nos suo loco diximus, merito suspicamur.

Salpe. Obstetrix Lesbia, quæ Παίγνια conscripsit, teste Nymphodoro apud Athen. lib. VII, pag. 321. Scripsit etiam de remediis muliebribus: quod et postea aliæ quoque feminæ fecerunt, ut Trotula, cujus bodieque liber exstat.

Sasernæ, pater et filius. Sic horum nomen effingi debet, non uti hactenus in libris editis, *Sarsenæ*. Nam præter Columellam, qui lib. I, de Re rust. cap. 1 «post Catonem duos Sasernas, patrem et filium» laudat, «qui agricolationem diligentius erudierunt,» et Varronem item, lib. I, Rei rust. cap. 2, confirmant hanc scripturam luculenter nummi veteres gentis Hostiliæ, ex qua ii prodierunt: quos nummos Patinus exhibet, lib. de Famil. Rom. pag. 123.

Satyrus, [peripateticus dictus, qui tamen integro post Aristotelem sæculo vixit, vitam Philippi composuisse dicitur ab Athenæo, quæ, ut credibile est, pars fuerat majoris operis quod ille βίους, id est, Vitas illustrium virorum, inscripserat. Idem vero Athenæus etiam alius Satyri, Olynthii et histrionis, mentionem injicit qui fabulam reliquit Pamphilæ nomine inscriptam. Hunc Harduinus eum esse putat qui de gemmis lapidibusque scripsit].

Scævola. Q. Mucius Scævola, qui juris civilis peritia et eloquentia celeberrimus fuit, ut Cicero testatur, lib. II de Orat. Syllanis temporibus a Mario est interfectus, quum proscriptionem fugeret, aramque Vestæ teneret, ut ait D. August. lib. III de Civit. cap. 28 et 29. Primus omnium jus civile in artem redegit, libris XVIII.

Scipio Metellus. Vid. Metellus.

Scrofa, vel, ut alii scribunt Cn. Scropha Tremellius, «agricolationem eloquentem reddidit, inquit Columella, lib. I, cap. 1. Plurima rerum rusticarum præcepta simul eleganter et scite memoriæ prodidit,» inquit idem, lib. II, cap. 1. Paria de eo Varro testatur, lib. I, cap. 1. Quæ Scrophæ nominis origo fuerit, disce ex Macrobio, lib. I, Saturn. cap. 1. Quæstorem hunc fuisse tradit Plutarchus in Crasso, pag. 549.

Sebosus Statius. Vid. Statius.

Sempronius. Vid. Tuditanus.

Seneca Philosophus, Neronis magister. Præter illius opera quæ nunc exstant, regionum etiam situs descripsit, ut Servius testatur in lib. IX. Æneid. ac Plinius ipse, lib. VI, cap. 21, et lib. IX, cap. 78. De Ægypti vero situ, et Ægyptiorum sacris, idem Servius in Æneid. VI. 154, ad illud poetæ,

Sic demum lucos Stygios, etc.

Scripsit et de Fortuitis, Tertulliano teste, in Apologetici fine.

Serapion Antiochensis. Γεωγραφικὰ hunc conscripsisse, in quibus Eratosthenem valde reprehendit, auctor est Cicero, lib. II, ad Attic. ep. 6. Idem epist. 4, in ejus scriptis vix millesimam partem intelligere se confitetur.

Sergius Paulus. [Vid. Paulus Sergius].

Servilius Democrates, sic enim illum Plinius appellat, lib. XXV, cap. 49. Meminit hujus Democratis medici Galenus, lib. VII, κατὰ

τόπους, cap. 2, ejusque simul operis, quod inscripserat, Φιλίατρος. Librum integrum scripsisse carmine dicitur, de Confectione antidotorum, lib. de Theriaca ad Pison. cap. 12, et lib. I, de Antidotis, cap. 15; alterum item. qui Κλινικὸς vocabatur, lib. X, κατὰ τόπους, cap. 2. M. Servilii consularis viri filiam sanasse dicitur a Plinio, lib. XXIV, cap. 20. Gessisse autem consulatum hunc invenimus, Augusti principatu, Urbis anno DCCLV, ante Plinii obitum LXXV.

Servius Sulpicius, quem principem in jure civili Tullius vocat. Consulem fuisse cum M. Marcello, anno U. C. DCCIII, Florus in epitome Liviana libri CVIII testatur, quo tempore bellum ortum est Cæsarem inter et Pompeium. Libros scripsit prope centum et octoginta teste Pomponio, lib. I, Digest. tit. 2, de Orig. juris, § 43. Cum in legatione periisset, de qua Cicero in Philip. IX, statuam ei populus Rom. pro Rostris Augusti posuit.

Severus Cassius. Vid. Cassius.

Sextilius. Romanum in hac voce sonum agnosco, non peregrinum: ut quo casu in numerum scriptorum externorum irrepserit, in Indice lib. XXXI, valde mirer. Toto opere ne semel quidem appellatur.

Sextius Niger. Vid. Niger Sextius.

Silanus, cui prænomen Decimus fuit, qui paulo post Carthaginem captam, Magonis Pœni volumina duodetriginta de Agricultura, e Punico sermone transtulit in Latinum, jussu Senatus. Ita Plinius, lib. XVIII, cap. 5; ubi vide quæ de *familia* ejus *clarissima*, ut ait Plinius, dicturi sumus.

Silenus historicus, de quo Cicero, lib. I de Divin. pag. 176: « Hoc idem in Sileni, quem Cælius sequitur, Græca historia est: is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est, etc. » [Si tamen Dionysium Halicarnassensem audias, teste Millero, non debita cura, sed ex fortuitis rumoribus historiam composuit. Utrum credas? Is est, qui Harduino teste] Σιλανὸς συγγραφεὺς a Strabone appellatur, lib. III, pag. 172.

* Simon, qui primus de equitatu scripsit, citatur libro XXXIV, cap. 19.

Simonides Minor. A Simonide Ceo, et a Lyrico plane diversus, et utroque recentior: quippe qui in insula Meroe, priorum ætate nondum cognita, de rebus Æthiopicis scripserit, ut auctor est Plinius, VI, 35.

Simus Medicus, a quo trifolium Simoniacum dictum Columellæ, lib. VI, cap. 17, [si Harduino credas. Sed ut taceamus illud potius a Simone quodam dictum videri, alii omnino negant esse trifolium Simoniacum vel Simonianum, et Simontanum legunt].

Solon Smyrnæus: hæc enim illius patria indigitatur, lib. XX, cap. 83. De re medica, et de herbaria scripsit. Σόλων διαιτητής, Solon Diætarius, a Galeno laudatur, lib. III, κατὰ τόπους, cap. 1.

Sophocles poeta Atheniensis, cujus exquisitum elogium et elegantissimæ brevitatis, vide apud Plin. lib. XXXVII, cap. 11. Scripsit fabulam, Triptolemum appellatam, anno ætatis vicesimo, ut dicturi sumus, lib. XVIII, cap. 12.

Sornatius. In Indice libri XXXI, id nomen scriptoris legitur qui-

dem : at in Reg. cod. 2, *Surnatino* scriptum vidi. An Soranus hoc loco reponendus? [Vid. infra VALERIUS SORANUS.]

SOSIGENES, astrologus Ægyptius, cujus operâ usus est Cæsar Dictator, in anno ad solis cursum accommodando. Librum edidit περὶ τῶν ἀνελιττουσῶν, de Revolutionibus, ut auctor est Proclus, in Hypotyposi, p. 45.

SOSIMENES, medicus, scripsit de medicina ex re herbaria.

SOTACUS. Hunc περὶ λίθων, de lapidibus et gemmis scripsisse, ex Plinio multis locis, lib. XXXVI et XXXVII, atque ex Solino cognoscimus, cap. XXX. Simlerus in Bibliotheca Tacum nominat scriptorem de lapidibus, quem diversum facit a Sotaco: inductus in fraudem, corruptis, ut opinor, Apollonii Dyscoli exemplaribus, apud quem, cap. 36, Τάκος ἐν τῷ περὶ λίθων pro Σώτακος scribitur, ut Meursius adnotavit. Secutus est Simleri errorem Phil. Maussacus, in Proleg. ad Plutarch., p. 39.

SOTADES. Plurimi eo nomine scriptores occurrunt. Primus est Atheniensis, mediæ comœdiæ poeta, quem laudat Athenæus, lib. VII, pag. 293 et lib. IX, pag. 368. Alter Atheniensis philosophus, qui librum unum de Mysteriis scripsit, teste Suida, verbo Σωτάδης, pag. 784. Tertius Byzantinus philosophus, de quo Arist. apud Suid. loc. cit. Quartus Cretensis Maronita, apud Athen. lib. VII, pag. 293, et Pausan. lib. VII, Eliac. post. pag. 377.

SOTIRA, obstetrix. Scripsit de remediis febrium, ut auctor est Plinius, lib. XXVIII. Græcis Σώτειρα. Sotiræ Gynæcia, τὰ γυναικεῖα, exstare aiunt manu scripta in Biblioth. Florentina, ut testatur Index librorum nondum editorum, confectus a Scipione Tettio Neapolit. editus a P. Labbeo in Nova Bibl. pag. 173.

STAPHYLUS Medicus, Naucratites, cujus meminere Athenæus, lib. II, pag. 45, et Clemens Alex. in Protrept. pag. 24. Στάφυλος ἐν τῷ περὶ Ἀρκαδίας, laudatur a Sexto Empir. advers. Mathem. lib. I, cap. 12. Ἐν τῇ τρίτῃ περὶ Θετταλῶν, ab Harpocratione, verbo Πενέσται, pag. 239. De Pelasgicis rebus, Schol. Apollonii ad lib. I, v. 580. Laudatur et a Tzetze, Chiliad. 9, hist. 290, v. 835.

STATIUS SEBOSUS, Catulo familiaris, ut Cicero significat, lib. II, ad Attic. Ep. 14. Scripsisse Periplum videtur, et de Indiæ mirabilibus. Laudatur a Solino, cap. LII.

*STILO L. ÆLIUS. Vid. ÆLIUS.

STRATON, cujus vitam Laertius describit, lib. V, pag. 128, quem Peripateticum Lampsacenum fuisse ait, et Athenis scholam rexisse, ibique περὶ εὑρημάτων ἐλέγχους δύο, opus historicum et confutatorium de rebus inventis scripsisse. Id quod et hæc verba Clementis Alex. significant, lib. I, Στρωμ. pag. 300 : Στράτων ἐν τοῖς περὶ εὑρημάτων. Hunc cum altero Stràtone juniore Alexandrino confundit Vossius, lib. I, Histor. Græc. cap. 20. Hinc vides recte a nobis emendatum esse Plinianum Indicem, ac pro *Stratone qui contra Ephori theoremata* scripsit, belle repositum, *qui contra Ephori εὑρήματα*. Nam et Ephorum de rebus inventis sive εὑρήματα pariter scripsisse suo loco monuimus. Stratonem hunc Physicum appellat Strabo, lib. I, pag. 49, et Cicero, lib. I, de Natura

Deorum, pag. 19. Scripsit et de incertis fabulosisque animalibus, de Diis, de hominum natura, aliaque plurima, quorum indicem Laertius exhibet loco antea memorato. Ptolemæi Philadelphi magister fuit.

Sudines. Scripsit περὶ λίθων, de gemmis.

Suetonius Paulinus. Vid. Paulinus Suetonius.

Sulpicius Gallus, cui prænomen Caius: de cujus peritia in rebus astrologicis, dicemus, lib. II, cap. 9. Scripsit de Solis ac Lunæ defectione volumen, teste Plinio. Hunc unum maxime omnium nobilium Græcis litteris studuisse auctor est Tullius, in Bruto. Romanam historiam condidisse, Juba apud Plutarchum in Romulo, pag. 28.

Sulpicius Servius. Vid. Servius.

Sura Mamilius. Vid. Mamilius.

T.

Tarquitius. Apud Ammianum Marcell. lib. XXV, pag. 289, Tarquitianorum librorum fit mentio, et apud Macrob. lib. III, Saturn. cap. 7. Tarquitii Ostentarium Tuscum laudatur. Unde emendamus alterum Macrobii locum, lib. II, cap. 16, ubi *Tarquinius Priscus in ostentario arborario* legitur, cum scribi oporteat, *Tarquitius Etruscus*, vel *Tuscus*. Sic vetus inscriptio apud Gruter. pag. 625. L. Tarquitio. L. F. Pom. Etrusco Sulpiciano. Scribæ Quæstori. Alius est Tarquitius Priscus, Bithyniæ proconsul, Neronis principatu, de quo Tacitus, Annal. XIV, cap. 46.

Tarutius, prænomine Lucius, ortu Firmanus, insignis mathematicus, Varroni familiaris, et Ciceroni: de quo Plutarchus in Romulo, pag. 24. Græcis Ταρούτιος. Solinus, cap. I, pag. 2. Mathematicorum nobilissimus vocatur in Indice lib. XVIII. Græce de astris scripsisse ait Cicero, lib. II, de Divin. pag. 251, inprimis Chaldaicis rationibus fuisse eruditum.

Tauron. An *Taurion* potius? Nam Græci Ταυρίωνα vocant, quo nomine appellatur Macedoniæ procurator sub Antigono rege, apud Polyb. lib. IV, pag. 383.

* Telestes, vel Telestus, poeta fortasse Selinuntius ille e Sicilia, qui floruit Olymp. xcv, cujus poemata laudat Athenæus.

Tergilla. In Indice libri XIV laudatur, ut de agricolatione is scripsisse videatur.

Thales Milesius, unus e sapientibus septem, atque adeo primus sapiens appellatus, cujus vitam describit Laertius, pag. 9. De eo eleganter Apuleius, lib. IV, Florid. pag. 28. « Fuit geometriæ penes Graios primus repertor, et naturæ rerum certissimus explorator, et astrorum peritissimus contemplator.... temporum ambitus, ventorumque flatus, stellarum meatus, tonitruum sonora miracula, siderum obliqua curricula, solis annua reverticula; idem lunæ vel nascentis incrementa, vel decrescentis dispendia, etc. » De ejus ætate, lib, II, cap. 7. Scripsit duo volumina περὶ τροπῆς καὶ ἰσημερίας, de solstitio et æquinoctio; etiam

et de Astronomia carmen versibus ducentis, teste Laertio, pag. 6 et 9.

THEMISON Laodicenus Syrus, Pompeii M. ætate vixit. Novam medicinæ condidit sectam, teste Seneca, Ep. XCV. « Alia est, inquit, Hippocratis secta, alia Asclepiadis, alia Themisonis. » Hæc Methodica est nominata. Θεμίσων laudatur a Democrate apud Galenum, lib. VII, κατὰ τόπους, cap. 11; a Celso in præf. lib. I; a Juvenale, Satyra X, v. 221:

Quot Themison ægros autumno occiderit uno.

Summus auctor vocatur a Plinio, lib. XIV, cap. 21. Themisonis liber primus Tardarum Passionum, citatur a Cælio Aurel. I, Chron. cap. 1. Liber quartus Epistolarum, ab eodem, lib. III, cap. 6. Liber salutaris, lib. II, cap. 7. Solus e Latinis de elephantiasis curatione scripsit, inquit idem, lib. IV, cap. 1. Singulare volumen de Herba plantagine, laudatur a Plinio, lib. XXV, cap. 39.

THEOCHRESTUS. Rerum Libycarum, quas Theochrestus descripsit, librum primum citat Apollonii Scholiastes, ad lib. IV, v. 1750.

*THEOCRITUS Syracusanus, bucolici carminis princeps. Floruit tempore Ptolemæi Philadelphi quem et carmine celebrat. Ejus poemata a diversis edita sunt. Citatur a Plinio, lib. XXVIII, cap. 4.

THEODORUS, medicus, quem Plinius laudat, lib. XX, cap. 40. Is Athenæi cujusdam fuisse discipulus traditur a Laertio, in Aristippo, lib. II, pag. 58.

THEOMENES. Quæ de electro scripsit referuntur a Plinio, XXXVII, 11.

THEOMNESTUS. Hujus capita quædam exstant de Mulomedicina, inter veterinariæ medicinæ scriptores. Item de re rustica fragmenta quædam in Geoponicis.

THEOPHRASTUS, Aristotelis in schola Atheniensi alumnus idem et successor, patria Eresius, Menandri Comici magister: cujus operum elenchum Laertius habet, lib. V, pag. 124. Meursius libro singulari collegit. Harpocration, verbo Κιγχρεὼν meminit opusculi περὶ μετάλλων.

THEOPOMPUS Chius, Isocratis auditor. Scripsit de rebus Græcis, a fine Thucydidis et Xenophontis, libros XII, inquit Diodorus, lib. XIV, pag. 303. De terræ motibus, teste Phlegonte, lib. de Rebus mirab. cap. 19. De Rebus admirandis, teste Apollonio, Hist. comment. cap. 10. Philippica libris LVIII, teste Diodoro, lib. XVI, etc.

THRASYLLUS Mendesius, Augusti ac Tiberii principatu vixit, teste Suetonio, pag. 37 et 51. Scripsit de lapidibus περὶ λίθων, ut auctor est Plutarch lib. de Flumin. pag. 1157. De rebus Ægyptiacis, idem pag. 1158. Tacitus, Annal. VI, cap. 20. Chaldæorum artis, sive astrologiæ peritissimum fuisse significat.

THUCYDIDES, Peloponnesiaci belli scriptor omnibus notus.

TIMÆUS SICULUS. Tauromenitam fuisse Athenæus docet, lib. II, pag. 163, ubi librum IX laudat ejus Historiarum: librum vero XXII, citat idem, lib. VI, pag. 250. Scripsit et alia, de quibus Suidas. Pyrrhi bellum descripsisse auctor est Cicero, in Epistola ad Lucceium, et quidem singulari ei bello dicato volumine, ut ait Dionys. Halic. lib. I, pag. 5. Vixit Agathoclis Siculi regis temporibus.

Timæus Mathematicus, ab historico Tauromenita, de quo proxime diximus, diversus. Locrus hic patria fuit, professione Pythagoreus philosophus. Scripsit Mathematica, unde illi cognomen adhæsit Mathematici, in Indice libri V, et lib. XVI. Vide Suidam, tomo II, pag. 910.

Timæus qui de metallica medicina scripsit, ut dicitur in Indice libri XXXIII, a Siculo, et Mathematico, ut quidem videtur, diversus.

Timagenes Alexandrinus, Romæ docuit, Pompeio Cæsarique gratissimus. Periplum scripsit libris quinque. Hæc Suidas, tomo II, pag. 907. Scripsit et de antiquitatibus Galliæ, teste Ammiano Marcell. lib. XV, pag. 50, quod opus vehementer laudat. De eo Seneca pater, Controv. 34.

Timaristus. De plantis scripsisse dicitur a Plinio, lib. XXI, cap. 105. At in Colb. 2, *Timaretus* appellatur.

Timosthenes. Vixisse hunc ætate Ptolemæi Philadelphi auctor est Strabo, lib. IX, pag. 421, ubi dicitur ναύαρχος τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου. Et Marcianus Heracl. pag. 95, Τιμοσθένης ὁ Ῥόδιός ἐστιν ἀρχικυβερνήτης τοῦ δευτέρου Πτολεμαίου. Opus ejus περὶ λιμένων, de Portubus, libros decem complexum laudabat Eratosthenes: sed errata in eo nec pauca, nec exigua, deprehendit Strabo, lib. II, pag. 92. Inter veteres primæ notæ geographos ponitur a Scymno Chio, pag. 5. Stephanus, verbo Ἀγάθη, ejus Σταδιασμὸν laudat, hoc est, dimensionem terræ per stadia. De eo Agathemerus, Geogr. I, 2: Τιμοσθένης δὲ ὁ γράψας τοὺς περίπλους, etc.

* Tiro. Vid. Tullius Tiro.

Titus Imperator Cæsar. De eo diximus in præfatione ad ipsum inscripta superius, rursumque dicemus, lib. II, cap. 22.

Tlepolemus [alii Theopolemus], medicus. Laudatur, lib. XX, cap. 73.

Trebius Niger. De eo dicetur, lib. IX, cap. 48.

Trogus Pompeius. Livii ætate, et Augusti principatu vixit. Gallum se ipse facit, lib. XLIII. Scripsit historiarum Philippicarum libros XLIV, hoc est, de imperio Philippico, sive Macedonico: quarum nunc epitomen solam a Justino concinnatam habemus. Libros ejus de Animalibus laudat Charisius, lib. I, pag. 79, unde hausisse aliqua Plinium constat, lib. XI, cap. 114, ubi auctorem severissimum Trogum vocat.

Tubero. Cui Quintus prænomen datur in Indice libri II. Tuberonem distinguere hoc loco tergeminum, operæ pretium fuerit. Primus est Q. Ælius Tubero, Q. F. gener Pauli Æmilii Macedonici, ejusdem nepos a Cic. in Bruto, pag. 649, vocatus. Agit de eodem Valerius Max. lib. VII, cap. 5, et alii. Alter est L. Ælius Tubero historicus, qui Ciceronis legatus in Asia fuit, de quo ipse Tullius, lib. I, ad Q. Fratr. Epist. 1. Tertius est, Q. Ælius Tubero, historici filius, qui multa scripsit de jure civili, quem Cicero propinquum suum appellat in Ligariana. Ex his apparet in Indice signari, non historicum illum, cui Lucii prænomen fuit, quod Vossius credidit, de historicis Latinis, lib. I, cap. 12, sed patrem ipsius, Q. Ælium Tuberonem.

* Tuccius Valla. Vid. Valla.

Tuditanus. Is est C. Sempronius Tuditanus, qui Consulatum gessit cum M. Aquilio, anno U. C. dcxxv. Commentariorum ejus historicorum

meminit præter Plinium, Gellius, lib. XIII, cap. 15, ubi liber tertius decimus laudatur. Tuditanus idem libro tertio Magistratuum laudatur a Macrobio, lib. I, Satur. cap. 13.

Tullius Tiro. De vita patroni sui Ciceronis, cujus libertus fuit, libros scripsit, quorum quartum citat Asconius Pedianus, in Orat. pro Milone, pag. 24. Gellius, lib. XXXI, cap. 9: « Tullius Tiro, inquit, M. Ciceronis alumnus, et libertus, adjutorque in litteris studiorum ejus fuit: is libros complures de usu atque ratione linguæ Latinæ, item de variis atque promiscuis quæstionibus composuit. In his esse præcipui videntur, quos Græco titulo Πανδέκτας inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continens. » Præclarum hujus elogium exstat apud eumdem Gellium, lib. VII, cap. 3.

Turranius Gracilis, sic enim scribi nomen illud mihi magis placet, omnibus codd. MSS. R. 1, 2, Colb. 2, et Chiffl. tum in Indice, tum cap. 1, libri tertii, consentientibus, quam, uti antea legebatur, *Cracula*. Ælii Gracilis Tacitus meminit, Annal. XIII, cap. 53; Turranii, lib. I. Hunc Ovidius in poetarum albo collocat, ex Ponto, IV, Epist. 16, v. 29:

Musaque Turrani tragicis subnixa cothurnis.

Hispanus fuit, prope Mellariam Bæticæ natus, auctore Plinio in proœmio libri III. D. Turranium hominem χρηστομαθῆ appellat Cicero, lib. I, ad Attic. Ep. 6.

Tuscus Fabricius. In Indice libri III.

U.

Umbricius Melior, quem aruspicum suo ævo peritissimum appellat Plinius, lib. X, cap. 6. Is est aruspex Umbricius, qui sacrificanti pro æde Apollinis Galbæ, tristia exta, instantes insidias, et domesticum hostem prædixit, ut refert Tacitus, Hist. I, cap. 27. De Etrusca disciplina librum scripsisse dicitur in Indice libri XI.

V.

Valerianus Cornelius. Vid. Cornelius Valerianus.

Valerius Antias. Syllæ temporibus vixit. Scripsit Annales haud exiguæ molis opus: nam librum eorum septuagesimum quartum citat Priscianus, lib. IX, pag. 871. Gellius etiam quintum et septuagesimum, lib. VII, cap. 9. Vide et Macrob. lib. I, Saturn. cap. 13. Plutarchum, in Romulo, pag. 25. Dionys. Halic. lib. I, pag. 6.

* Valerius Soranus. Citatur in fine Plinianæ præfationis, et lib. III, cap. 9. Cic. in Bruto: « Q. et D. Valerii Sorani, vicini et familiares mei, non tam in dicendo admirabiles, quam docti et græcis litteris et latinis. » Uterque medicus fuit; Quintus clarior, qui vulgaverat inter alia et Hippocratis vitam. Meminit etiam Varro de L. L. lib. IV. Confer Rezzunicum ad Plinii præfationem.

VALERIUS MAXIMUS. Vid. MAXIMUS.

VALGIUS. Citatur a Gellio, lib. XII, cap. 3, secundus liber eorum qnos C. Valgius Rufus inscripsit, *De rebus per epistolam quæsitis*. Landatur a Plinio, lib. XXV, cap. 2, volumen ejus imperfectum, quod ad Augustum scripserat, de Herbarum usu. Meminit Valgii Festus, verbo *Secus*. Inter scriptores haud ignobiles reponitur a Seneca, Ep. LI.

VALLA L. TUCCIUS, medicus, dum mulsi potionem baurit, defunctus.

VARRO [M. TERENTIUS]. Romanorum omnium doctissimus et πολυγραφώτατος M. Varro, præter libros de Re rustica, et de Lingua Latina, qui ad nos, cujusque modi sunt, perveneruut, scripsit in primis Antiquitatum libros XLI, opere in duo volumina bipertito: quorum alterum inscriptum fuit titulo Rerum Humanarum, quod Plinius, et Priscianus, lib. X, pag. 894, appellant Humanarum Antiquitatum: alterum C. Cæsari dicatum, Rerum Divinarum. Ciceronem decennio fere antecessit. Scripsisse etiam de Rebus Admirandis, auctor est Nonius, cap. III, num. 177. Libros Disciplinarum laudat A Gellius, lib. XVIII, cap. 15. Sed de scriptis Varronis uberius egit Ansonius Popma, iu libello quem inscripsit, *Bibliotheca Varroniana*.

VARRO ATACINUS. De eo Hieronym. in Chron. Eusebii ad Olymp. CLXXIV, an. 2. «P. Terentius Varro, vico Atace in Provincia Narbonensi nascitur.» Non a vico, ut putavit Eusebius, sed ab Atace fluvio ei nomen, de quo amne Plinius, lib. III, cap. 5, Vibius Sequester, et alii. Rectius Porphyrio in lib. I Horatii, Satyra 10: « Terentius Varro Narbonensis, Atacinus ab Atace fluvio dictus.» Quin ipsa Narbona olim colonia Atacinorum est appellata, teste Pomponio Mela, lib. II, cap. 5. « Sed antestat omnes Atacinorum Decumanorumque colonia, unde olim his terris auxilium fuit: nunc et nomen et decus est Martius Narbo. » Floruit Cæsaris Dictatoris, et Triumvirorum temporibus. Scripsit Argonautica, et Bellum Sequanicum. Quis fuerit ei scribendi character, docet Quintil. X, 1.

VERRIUS FLACCUS. Caium et Lucium, Augusti nepotes, Romæ in Palatio docuit, atque exactæ ætatis obiit sub Tiberio, inquit Suetonius, lib. de Illustr. Gramm. cap. XVII. Libros rerum memoria dignarum ab eo conscriptos Gellius laudat, lib. IV, cap. 5. Tabulas Consulares ac Triumphales, quas Onuphrius edidit, creditur a quibusdam Verrius ipse confecisse. Ejus libellus, qui Saturnus inscribebatur, citatur a Macrobio, lib. I, Saturn. cap. 4. Liber quartus de verborum significatione, a Gellio, lib. V, cap. 17.

* VESTALIS FABIUS. Vid. FABIUS VESTALIS.

VESTINUS. Fuit C. Julius Atticus Vestinus Consul, cum Silio Nerva, anno U. C. DCCCXVIII, extremis Neronis temporibus, a quo jussus sibi venas incidere. Tacitus, Annal. XV, cap. 48.

VETUS. Lucius Vetus, præfectus exercitus adversus Germanos, Neronis principatu, qui Mosellam et Ararim ducta fossa connectere parabat, ut navigabilia inter se mediterranei septemtrionalisque oceani littora fierent, ut Tacitus refert, Annal. XIII, cap. 11.

VIBIUS RUFUS. Hujus mentio apud Senec. lib. I, Controv. 8, et Dio-

nem, lib. LVII. Sed conturbat me, quod in Indice libri XXI et XXII, Vibius Rufinus legitur, de quo quid statuam, certi nihil adhuc occurrit.

Virgilius Maro, [poetarum Latinorum princeps, natus in agro Mantuano anno Urb. dclxxxiv, Augusto imperatori et Mæcenati carissimus, obiit Brundusii anno Urbis dccxxxv. Ex illius libris Georgicon, in quibus, ut Columella loquitur, agricolationem fecit carmine potentem, Plinius multum profecit].

Vitruvius, Augusti Cæsaris principatu claruisse creditur M. Vitruvius Pollio, cujus opus de Architectura manibus omnium teritur. [Citatur in Indice lib. XVI, XXXV, XXXVI, Pliniano ævo vetustiorem qui negant fuisse, hoc uno Indice coarguuntur].

X.

Xanthus [Candaulis Lydi filius], historiarum auctor vocatus, lib. XXV, cap. 5, Sardianus fuit: Olymp. circiter lxx floruit: scripsit de rebus Lydiæ, teste Strabone, lib. XII, pag. 572; Dionys. Halic. lib. I, pag. 22; et Athenæo, libro XII, pag. 515. Item Magica, teste Clemente Alex. lib. III, Stromat. pag. 431, et Laertio in præf. pag. 1.

Xenagoras. Hujus liber primus Chronicorum laudatur ab Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 262. Liber περὶ νήσων, de Insulis, ab Etymologo, verbo Σφήκεια. Exstare is liber dicitur MS. in Bibl. Nova librorum MSS. pag. 174. Patria Xenagoræ incerta. Qui Syracusium faciunt, corrupto Plinii loco inducti sunt in fraudem, cujus loci vitium omne detegemus et sanabimus; lib. VII, cap. 57.

Xenocrates, [non ille quidem Platonis auditor, cujus vitam Laertius scribit, lib. IV, pag. 97, sed multo junior patria Aphrodisiensis, clarus Tiberii ætate]. Exstat Xenocratis de Alimento ex aquatilibus libellus, cum Jani Dubravii, de Piscinis et Piscium naturis, lucubratione excusus. Citatur hic Xenocratis liber ab Oribasio, lib. II, cap. 58. Idem multo locupletior asservatur in Bibl. Regia, teste P. Labbeo in nova Bibl. MSS. libror. pag. 127, et in Vaticana, cum libro ejusdem περὶ λίθων, de Gemmis, ut ait idem, pag. 174. Scripsit et alia plurima, quorum Indicem Laertius exhibet, pag. 99.

Xenocrates, qui de toreutice scripsit, insignis fuit pingendi cælandique artifex. Tisicratis discipulus fuisse dicitur, lib. XXXIV, cap. 19; Tisicrates Lysippi. Fuit autem Lysippus Alexandri M. temporibus. Vixisse igitur necesse est hunc Xenocratem statuarium ætate Ptolemæi Philadelphi.

Xenocrates Zenonis, de quo in Indice librorum XXXIII, XXXV et XXXVII. Ephesium hunc fuisse, eumdemque Neronis ac Vespasiani ævo vixisse, Plinius docet, lib. XXXVII, cap. 11. De pictura scripsisse, lib. XXXV, cap. 35.

Xenophon Atheniensis, cujus vitam Laertius describit, lib. II, pag. 45. Præter Κύρου παιδείαν, aliaque quæ exstant, scripsisse Periplum certum est, tum ex Valerio Max. lib. VIII, cap. 13, tum ex Plinio, lib.

VII, cap. 49; nisi forte is Xenophon, cujus Periplum eo loci appellat, alter ab illo Xenophonte fuerit, Ephesius fortassis, cujus Ephesiaca, libris octo comprehensa, servari ait in Bibl. Florentina Labbeus in nova Bibl. librorum MSS. pag. 174. Xenophontis prioris exstant fragmenta aliquot in Γεωπονικῶν libris, excerpta ex opere de Re rustica.

Xenophon Lampsacenus. Laudatur a Solino, cap. XIX.

Z.

Zachalias Babylonius, qui libros scripsisse de gemmis dicitur ad Mithridatem regem, lib. XXXVII, cap. 60. Ille fortassis, qui Apuleio, lib. II, Asin. aur. 213, Zachlas Ægyptius, Propheta primarius, hoc est, Magus appellatur.

Zeno [qui citatur a Plinio, lib. XXII, cap. 44, et in Indice libri XVIII]. Non illum stoicæ disciplinæ principem laudari a Plinio arbitror, sed medicum Herophileum, Laodicea, quæ ad Lycum est, oriundum, quem laudat Laertius in Zenone, lib. VII, pag. 172, et Galenus, lib. VI, κατὰ γένη, cap. 10. Scripserat de Notis morborum libellum, quem Aristoxenus Herophileus refutavit, ut docet idem Galenus, lib. IV, de Differ. puls. cap. 8.

* Zeno Citieus, stoicæ disciplinæ princeps, primum platonicos audivit, deinde Cratetem cynicum, et Heracliti simul libros legit, unde austerus evasit et cynicus. Tandem vero ipse novam condidit sectam, pluresque adscivit discipulos, qui ab ipso Zenonii, deinde autem a Pœcile Stoa, in qua docebat, Stoici appellati sunt. Scriptorum ejus magnus apud Laertium catalogus. Citatur a Plinio, XXV, 21, et XXXIV, 19.

Zenothemis, Tzetzæ Ζηνόθεμις, Chiliad. VII, hist. 144, v. 163, inter eos scriptores laudatur, qui carmine aliqua tradidere de fabulosis hominum formis. Ejus deinde Periplum laudat idem, v. 684. Meminit illius etiam Ælianus, lib. XVII, Hist. animal. cap. 30, et Scholiastes Apollonii ad lib. II, v. 967.

Zoilus Maceдo, Amphipolites fuit, quod Macedoniæ oppidum est; [quanquam a Veteribus quibusdam Ephesius dicitur. Vivendo superavit Philippum, Macedonum regem. Canis Rhetoricus, itemque Homeromastix in vita cognominatus, ob libros IX adversus Homeri poesin compositos, et præterea Homeri vituperationem. Scripsit etiam de Amphipoli et rebus patriis. Inter Demosthenis magistros numeratur].

Zoroastres [vel Zoroaster]. Unus hic fuerit, an multiplex, non satis constat, inquit Plinius, lib. XXX, cap. 2. Zoroastrem annis ante bellum Trojanum quingentis extitisse ait Suidas, pag. 1133: circumferri libros ejus quatuor περὶ φύσεως; alium περὶ λίθων; libros demum quinque, Prædictionum ex inspectione stellarum, ἀστεροσκοπικὰ ἀποτελεσματικά, qui libri maxime illi argumento congruunt, quod Plinius libro XVIII pertractat, cujus in libri Indice Zoroastres advocatur, et libro ipso XVIII, cap. 55.

C. PLINII SECUNDI
NATURALIS HISTORIÆ
LIBER II.

I. (1). MUNDUM [1], et hoc quod nomine alio cælum ap- 1

I. 1. *Mundum*, etc. Mundum primum appellat, orbem hunc aspectabilem, earumque rerum universitatem, quæ cæli ambitu continentur; deinde cælum aliquando ipsum ea mundi appellatione pariter censeri nos admonet: id demum quod ex utroque exsistit, numen esse credi vult. Cælum ipsum mundi appellatione censeri, apud Latinos scriptores, tralatitium est. Apud Ciceronem legimus, lib. III, de Univers. « Omne igitur cælum, sive mundus, sive quo alio vocabulo gaudet, hoc a nobis nuncupatum sit. » Et Manilius, Astron. I, 9, dum Augustum prædicat cælo dignum, quo jam pater Julius receptus post mortem putabatur, ita cecinit: « Concessumque patri mundum Deus ipse mereris. » Mela Geogr. lib. I, cap. 1: « Omne igitur, inquit, hoc quidquid est, cui cæli mundique nomen indidimus, unum id est, atque uno ambitu se cunctaque complectitur, etc. » Accepit Mela fortassis ex Timæo Platonis, pag. 1047: ὁ δὴ πᾶς οὐρανὸς, ἢ κόσμος, ἢ καὶ ἄλλο, ὅτι ποτὲ ὀνομαζόμενος μάλιστ' ἂν δέχοιτο, τοῦθ' ἡμῖν ὠνομάσθω. Sed multo certior auctor vetus interpres Ecclesiastici, et idem ipsius Ecclesiastici nepos, cap. XLIII, 10: « Species cæli gloria stellarum, mundum (hoc est, cælum) illuminans in excelsis Dominus. » Nulla magis Plinio nostro familiaris locutio est, toto præsertim hoc libro; et pariter κόσμον pluribus modis Græci accipiunt: tum ut sit collectum quiddam e cælo, atque terra et naturis utroque comprehensis: tum ut sit sola fixarum stellarum sphæra, ut diserte docet Laertius in Zenone, lib. VII, et Diodorus apud Achill. Tatium in Phænom. cap. 5, pag. 129. Quod ut verissimum sit atque exploratum, haud tamen assentior viri docti conjecturæ, existimantis ob id hanc Pliniani operis frontem ita refingendam: *mundum, hoc est, quod alio nomine cælum appellare libuit*: neque enim de cælo uno duntaxat, sed de universa rerum omnium complexione, toto hoc capite, atque adeo consequentibus, est instituta

pellare libuit, cujus circumflexu teguntur[2] cuncta, numen esse[3] credi par est, æternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam. Hujus[4] extera indagare, nec interest hominum, nec capit humanæ conjectura mentis. Sacer est, æternus, immensus, totus[5] in toto, immo

disputatio; neque reclamantibus libris omnibus quidquam in eo genere temere est audendum. HARD. — Monet Pintianus in Salm. et Tolet. codd. legi: *Mundum et hoc quodcumque cælum appellare libuit.* Inde *quodcumque* pro *quod* ab Elzeviriis editum est. Vet. apud Dalec. *quocumque*, et paulo infra *appellari* pro *appellare*. ED.

2. *Teguntur.* Placet quibusdam legi, *cujus circumflexu reguntur cuncta*: quod cælum inferioribus rebus sic dominari Veteres crederent, in primisque Stoici, ut quod ratio et mens est homini, id cælum toti mundo velut quamdam cælestem rationem, mentemque divinam, esse vellent. quos Manilius secutus Astron. I, vs. 27, cælum appellat « mundum, quo cuncta reguntur. » Sed aliena est a Plinii cogitationibus hæc emendatio. Tum enim ille dixisset, *cujus motu, nutu, sapientia reguntur cuncta*, potius quam *circumflexu.* Haud ita vehementer abhorret a mente scriptoris ea lectio, quam Regius uterque codex præfert, et vetus Dalec. *cujus circumflexu degunt cuncta*: hoc est, intra cujus convexitatem degunt cuncta. Omninm sincerissima est recepta jam lectio, quam defendit hoc versiculo Ovidius, Metam. lib. I, v. 5: « et quod tegit omnia cælum. » H. —Chiffletii codex: *cujus circumflexu dicunt cuncta contineri.* Pro *circumflexu*, Menagius in notis manuscriptis ad editionem Elzev. *circumplexu* legendum censet; mera tamen et inani conjectura: *circumflexus* hic est circularis ac circumflexa figura. ED.

3. *Numen esse.* Hoc Pythagorei, hoc Stoici docuerunt, teste Epiphanio, lib. I, adv. hæreticos, [illegible] 7, pag. 21, et in Anacephal. pag. 132. Quæ scholæ veteris deliramenta, de divinitate, atque æternitate mundi, refutare verbosius, neque est otii, neque instituti nostri. H. — Deum, optimum, maximum, rerum omnium conditorem potentissimum, rectorem providentissimum, non novit Plinius. Delirantium hominum fabulas secutus, mundum, portentosum numen, obtrudit, cui quæ Dei unius sunt affingit. Hæc errorum monstra profligavit melior altiorque philosophia, et, quæ certissimum validissimumque est philosophiæ adjumentum atque tutamentum, religio. Vere autem egregieque dixit Cl. Bacon, de Augmentis scientiarum, lib. I: « Certissimum est, atque experientia comprobatum, leves gustus in philosophia movere fortasse ad atheismum, sed pleniores haustus ad religionem ducere. » BROT.

4. *Hujus extera.* Quæ sunt extra mundum posita. HARD.

5. *Totus in toto.* Sic totum in se toto complexus nihil ut extra sit. HARD.

vero ipse totum : finitus, et infinito similis; omnium
rerum certus[6], et similis incerto; extra[7], intra, cuncta
complexus in se; idemque[8] rerum naturæ opus, et re-
rum ipsa natura. Furor[9] est, mensuram ejus animo quos- 2
dam agitasse, atque prodere ausos : alios rursus, occasione
hinc sumpta, aut[10] hinc data, innumerabiles tradidisse
mundos, ut totidem[11] rerum naturas credi oporteret;
aut, si[12] una omnes incubaret, totidem tamen Soles, to-
tidemque Lunas, et cætera, ut[13] jam in uno, et immensa
et innumerabilia sidera : quasi[14] non eadem quæstione
semper in termino cogitationis occursura, desiderio finis
alicujus; aut, si hæc infinitas naturæ omnium artifici

6. *Omnium rerum certus*, etc. Res omnes certis efficit et continet legibus; credas tamen incerto motu rapi. Hard.

7. *Extra, intra.* Immo vero omnia sunt intra, nihil extra, si mundus totum est. Sibi ergo non bene constat Plinius. Ed.

8. *Idemque rerum.* Pergit eo acumine id profiteri, quod nunc piorum exhorrescant aures : mundum esse factum a nemine, sed sibi esse ipsum sui causam æternam : nec opus, ut par erat, a factore distinguit, ut ait August. lib. VII, de Civit. Dei, cap. 28, ubi hanc impietatem redarguit. Hard.

9. *Furor est.* « Mirum est, inquit ipse, cap. 21, quo procedat improbitas cordis humani, parvulo aliquo invitata successu.... ausique divinare Solis ad terram spatia, eadem ad cælum agunt, quoniam sit medius Sol : ut protinus mundi quoque ipsius mensura veniat ad digitos, » hoc est, cæli ipsius vastitas, immensitasque describatur. Hard.

10. *Aut hinc data.* Sic M. apud Dalec. Quam lectionem amplexus est Latius sive Lætius, Elzevirianæ editionis curator. Et hæc profecto est vera Plinii manus. Ex his, inquit, disputationibus alii subtiliores philosophi occasionem vel cupide arripuerunt, vel sibi datam acceperunt. Apud Harduinum, *aut his data*. Ed.

11. *Totidem rerum naturas.* Totidem absoluta in se systemata, aut ut ipse modo aiebat, totidem numina, quot mundos. Ed.

12. *Aut si una omnes incubaret.* Aut si una natura omnes mundos complecteretur. *Incubare* cum accusativo apud auctores declivis præsertim latinitatis haud rarum est, apud Plinium etiam frequens. Ed.

13. *Ut jam in uno.* Dalec. *etiam in uno.* Docet Harduinus *ut jam* e MSS. ortum esse, quorum etiamsi deesset auctoritas, tamen ita legendum erat. *Ut jam in uno*, id est, ut in hoc nostro mundo, quem unum esse vulgo credimus. Ed.

14. *Quasi non*, etc. Vel. apud Dalec. *quasi non eædem quæstiones*

possit assignari, non illud idem in uno facilius sit intel-
3 ligi, tanto præsertim opere. Furor est, profecto furor, egredi ex eo, et tanquam interna ejus cuncta plane jam sint nota, ita scrutari extera : quasi vero mensuram ullius rei[15] possit agere, qui sui nesciat, aut[16] mens hominis videre, quæ mundus ipse non capiat.

1 II. (II). Formam ejus in speciem orbis absoluti globatam[1] esse, nomen in primis et consensus in eo mortalium, orbem appellantium, sed et argumenta[2] rerum docent : non solum quia talis figura omnibus sui partibus vergit in sese[3], ac sibi ipsa toleranda est, seque includit et continet, nullarum egens compaginum, nec finem, aut ini-
2 tium ullis sui partibus sentiens; nec quia ad motum, quo subinde[4] verti debeat, ut mox apparebit, talis aptissima est : sed oculorum quoque probatione[5] : quod convexus mediusque quacumque cernatur, quum id accidere in alia non possit figura.

semper in termina cogitatianis sint occursuræ, si deerit finis aliquis. Ed.

15. *Ullius rei.* Forte, *illius rei*, hoc est, spatii illius immensi, quod extra mundum late diffunditur, quodque mundus ipse non capit, quum extra mundum sit. Sed nihil immutandum verius arbitramur. Harn.

16. *Aut mens hominis.* MSS. Reg. 1, 2, et Colb. *aut miror hamines videre.* H. — Vet. apud Dalec. *aut mereantur hamines videre.* Chiffl. *aut homines possint videre.* Ed.

II. 1. *Globatam.* Vet. apud Dalec. *globosam.* Ed.

2. *Argumenta rerum.* Argumenta ex ipsis rebus petita. Harn. — Speciosiora quidem hæc qualiacumque argumenta, quam consensus iste mortalium, qui in rebus extra sensum intimum positis nullius omnino ponderis est. Ed.

3. *Vergit in sese ac sibi ipsa toleranda est.* Hoc est, ut Tullius ait, de Nat. Deor. lib. II, pag. 97, quia globi seu sphæræ partes omnes undique medium locum capessentes nituntur æqualiter. Harn

4. *Subinde.* Delendum videtur, ut glossa τοῦ *mox*. Deinde pro verbis *verti debeat, ut mox apparebit*, Vet. apud Dalec. *verti mox apparebit.* Ed.

5. *Probatione.* Vet. apud Dalec. *probatione hoc declaratur*, in quo glossa manifesta est. Sed obiter notanda hujus argumenti vanitas. Rotundus videretur orbis, etiamsi non esset, vel ideo quod in spatium indefinitum porrectos ab oculis nostris radios, mensura deficiente, æquales videri necesse est. Ed.

III. (III). Hanc ergo formam ejus æterno et irrequieto 1
ambitu, inenarrabili celeritate, viginti quatuor horarum
spatio circumagi, Solis exortus et occasus haud[1] dubium
reliquere. An[2] sit immensus, et ideo sensum aurium ex-
cedens, tantæ molis rotatæ[3] vertigine assidua sonitus, non
equidem facile dixerim; non hercle magis, quam circum-
actorum simul tinnitus siderum, suosque volventium or-
bes: an[4] dulcis quidam et incredibili suavitate concentus.
Nobis, qui intus agimus, juxta diebus noctibusque tacitus 2
labitur mundus. Esse innumeras ei effigies[5] animalium,
rerumque cunctarum impressas; nec, ut in volucrum no-
tamus ovis, lævitate continua lubricum corpus, quod[6] cla-

III. 1. *Haud dubium reliquere.* Ita saltem credere debuerunt, qui terram stabilem atque immotam sibi fingebant. Ed.

2. *An sit immensus.* Vet. apud Dalec. *an autem sit immensus.* Paulo post ipse Dalecampius, *sensum aurium facile excedens*; sed male, quum prope sequatur *facile dixerim.* De sensu nihil dubium. Si tantus sit ille sonitus, auditu nostro, qui natura finitus est, infinitus ipse capi non potest. Ed.

3. *Rotatæ.* Vet. ap. Dalec. *rotata,* ac paulo post *assiduus sonitus.* Ed.

4. *An dulcis quidam.* Harmonici cælorum motus auctores fuere Pythagorei, inquit Achilles Tatius in Phænom. cap. VI. Ridet eorum sententiam Aristoteles, lib. I, de cælo, cap. 9. — *Dulcis quidam.* Sic Reg. 1, 2, Colb. 2, Chif. etc. Id vero ipsa sententia postulabat. Minus commode prius legebatur, *an dulci quidem*, etc. Adjuvat emendationem Censorinus, cap. XIII, pag. 81: « Ad hæc accedit, inquit, quod Pythagoras prodidit, hunc totum mundum musica factum ratione: septem stellas, inter cælum et terram vagas, quæ mortalium geneses moderantur, motum habere εὔρυθμον, et intervallo musicis diastematis congruum, sonitusque varios reddere, pro sua quamque altitudine, ita concordes, ut dulcissimam quidem concinant melodiam, sed nobis inaudibilem. » Hard.

5. *Effigies animalium.* Quas hic approbat Plinius effigies animalium rerumque cunctarum cælo impressas, et inde decidua rerum omnium semina, quæ in mari præcipue monstrificas gignant effigies, id vel memoratu adeo absurdum est, ut refutatione minime indigeat. Inde autem patet quam pudendos in errores delapsi sint, qui Deum, naturæ parentem, moderatorem et conservatorem non novere. His antiquorum ineptiis commemorandis non ultra immorabor. Brot.

6. *Quod clarissimi.* Tullius, de Natura Deor. lib. II, pag. 70, agens de figura mundi, sive cæli. « Quid enim, inquit, pulcrius ea

rissimi auctores dixere, rerum[7] argumentis indicatur: quoniam[8] inde deciduis rerum omnium seminibus innumeræ, in mari præcipue, ac plerumque confusis, mon-
3 strificæ gignantur[9] effigies. Præterea visus[10] probatione, alibi plaustri, alibi ursi, tauri alibi, alibi litteræ[11] figura,

figura, quæ sola omnes alias figuras complexa continet, quæque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum. » Et Plato, a quo Tullius hunc colorem est mutuatus, in Timæo mundum affirmat esse factum λεῖον καὶ ὁμαλὸν πανταχῆ, lævem atque omnino complanatum. Plinius contra negat esse læve, lubricum, inoffensum, ut sunt ovorum testæ; sed uti vasa sunt pleraque, signis asperum, cælatum imaginibus. Hard.

7. *Rerum argumentis indicatur.* Ita restituimus, secuti Pintianum, adductique familiari huic auctori nostro loquendi formula, qua etiam capite priore usus est: *argumenta*, inquit, *rerum docent:* quam et apud Tertullianum memini me legere. Plinius ipse iterum, lib. XII, cap. 20: « Apparetque rerum argumentis asperitate aquarum illas ali. » In editis vulgo, *quod clarissimi auctores dixere tenerum, argumentis indicatur.* Quam lectionem uti defendat Dalecampius, gemino utitur testimonio: Tullii altero, de Natura Deorum, lib. II, ubi de aere loquens, « qui terram tenero, inquit, circumjectu amplectitur. » Altero Virgilii Eclog. VI, 34: « et ipse tener mundi concreverit orbis. » Quæ duo nemo non videt aliorsum spectare, quam ad propositum Plinianum. Hard. — Chiffletii codex teste Dalecampio: *terrenorum argumentis indicatur;* sed mendo manifesto. Ed.

8. *Quoniam inde.* Fuit illa Veterum quorumdam opinio, astrorum efficientiam omnem in res subjectas, effluvio quodam contineri corporum minutorum, quæ ex ipsis deciderent: cujusmodi fere sunt ea quæ a magnete existere, ac sese in ferrum insinuare creduntur. Hæc esse rerum omnium semina credebant. Germina stellarum vocat Apuleius, Asin. aur. lib. IV, pag. 369. Varr. de Re rust. lib. I, cap. 40: « Primum, inquit, semen, quod est principium genendi, id duplex: unum quod latet nostrum sensum; alterum quod apertum. Latet, si sunt semina in aere, ut ait physicus Anaxagoras, etc. » Eadem habet Theophr. de causis, lib. I, cap. 5. At illa astrorum ἀπόῤῥοια explosa jamdudum est ab eruditis: neque, si vera foret, id eo argumento effici necesse esset, quod tam vehementer Plinius pugnat evincere, tales in cælis esse oportere effigies, ac figuras, quales in terris gignuntur. Hard.

9. *Gignantur.* Vet. apud Dalec. *generantur.* Ed.

10. *Visus probatione.* Idem quod supra *oculorum probatione;* subaudi, *indicatur*, ex præcedentibus. Ed.

11. *Litteræ figura.* Deltoton intelligit, notum astronomis sidus,

candidiore medio per[12] verticem circulo. (IV). Equidem et consensu gentium moveor. Nam quem κόσμον Græci, nomine ornamenti appellavere[13], cum nos a perfecta absolutaque elegantia, mundum. Cælum[14] quidem haud dubie cælati argumento diximus, ut interpretatur M. Varro. Adjuvat[15] rerum ordo, descripto circulo, qui signifer vocatur, in duodecim animalium effigies, et per illas Solis cursus[16] congruens tot sæculis ratio.

IV. (V). Nec de elementis video dubitari, quatuor ea 1
esse. Ignium[1] summum : inde tot stellarum collucentium illos oculos. Proximum spiritus, quem[2] Græci nostrique co-

in septemtrionali parte Signiferi, sub emersum procedens Arietis. De quo Cicero in Arat. v. 71. « Deltoton dicere Graii Quod soliti, simili quia forma littera claret. » Hard.

12. *Per verticem.* Dalecampius ex Vet. *super verticem.* Semel aut bis Virgilius hoc sensu dixit *a vertice*, id est, supra caput, gallice *au zenith.* Locum hunc Plinii de Galaxia, sive lactea via, interpretantur omnes docti. Ed.

13. *Appellavere.* Dalec. et Elz. *appellaverunt.* Paulo infra, Vet. apud Dalec. *dicimus* pro *diximus.* Ed.

14. *Cælum quidem.* Varro, de Ling. Lat. lib. IV. « Cælum dictum scribit Ælius Gallus, quod est cælatum, » hoc est, sideribus distinctum, ac veluti insculptum. Et in Satyra Menippea, cui titulum fecit *Dolium*, pag. 13 : « Mundus domus est maxima homulli, et appellatur a cælatura cælum. Græce ab ornatu κόσμος, Latine a puritie mundus. » Alii tamen παρὰ τοῦ κοίλου ἢ τῆς κοιλότητος, a concavitate, cælum dici rectius et scribi putant. Hard.

15. *Adjuvat.* Nobis adstipulatur et argumentationem nostram nova ratione fulcit. Ed.

16. *Solis cursus*, etc. Vet. apud Dalec. *solis cursui congruens tot circulorum ratio :* circulorum nempe, quos in Zodiaco describunt erratica sidera. Non contemnenda lectio; immo forsitan in textum recipienda. Vulgata lectione, quam secuti sumus post Dalec. Hard. Elzev. Brot. nomen *cursus* in generandi casu ponitur. Ed.

IV. 1. *Ignium.* Ignium, inquit, elementum summum, id est altissima in sede collocatum est. Alii *ignem*, *ignitum* alii frustra reponunt; alii probabilius *igneum*, notante Harduino. Sed *ignium* in genitivo præstat; sic infra *spiritus*, pro quo Vet. apud Dalec. *spiritum* male rescripserat. Quod ad res attinet, vulgarem hic opinionem de quatuor elementis tradit Plinius, ac vestigiis insistere videtur Ciceronis, quem vide de Nat. Deorum, lib. II. Ed.

2. *Quem Græci.* Cicero, de Nat. Deor. lib. II. « Hac animabili, inquit, spirabilique natura, cui nomen est aer : Græcum illud quidem,

dem vocabulo aera appellant. Vitalem hunc, et per cuncta rerum meabilem, totoque[3] consertum : hujus vi suspensam, cum quarto aquarum elemento, librari medio spatio tellurem. Ita mutuo complexu diversitatis[4] effici nexum : et levia ponderibus inhiberi, quo minus evolent ; contraque gravia, ne ruant, suspendi, levibus in sublime
2 tendentibus. Sic[5] pari in diversa nisu, in[6] suo quæque consistere, irrequieto mundi[7] ipsius constricta circuitu : quo semper in[8] se currente, imam atque mediam in toto esse terram, eamdemque universi cardine[9] stare pendentem, librantem[10] per quæ pendeat : ita solam immo-

sed receptum jam tamen usu a nostris; tritum est enim pro Latino.» Hard.

3. *Totoque consertum.* Toto insertum intextumque mundo. Hard. — Vet. apud Dalec. *confertum :* et statim, *cujus* pro *hujus*. Ed.

4. *Diversitatis.* Elementorum natura et pondere diversorum. Ed.

5. *Sic pari.* Hoc vero similitudine haud penitus aspernanda explicant Archimedis discipuli apud Tatium in Phænom. IV, pag. 126 : « Ideo, inquiunt, interprete Petavio, aquæ terræque globi consistunt in medio, quod, si quis omnium gravissima corpora, puta plumbum, nec non alia levissima velut suber, ad pondus æquale capiat, et invicem alliget, illud accidet, neutrum ut ab altero trahi possit. Ut si quis in mare ista projiciat, neque suber in profundum deprimatur a plumbo, neque plumbum ad summam aquam a subere possit attolli: sed ex æquo utrinque tracta, suber et plumbum, summam inter aquam fundumque suspensa teneantur. Quamobrem quum sint elementa quatuor, accidit ut ignis et aer, quæ sunt levissima, sursum suapte sponte, naturæque impetu, ferantur, etc.» Hard.

6. *In suo.* Nempe in sede sua. Dalecamp. et Elzev. *vi sua*, male; nam potius mutua quam sua vi constant. Ed.

7. *Mundi ipsius.* Cæli. Si spargeretur in sublime aer, nullo fine coercitus, ipsa amplitudine spatii redderetur infirmior. Nunc vero constrictus includente mundo, hoc est, cælo, cogitur in justum robur, quod sufficiat terræ innatanti ferendæ. Hard.

8. *In se currente.* Circa se ipsum revoluto. Ed.

9. *Cardine.* Revolutionis, ut aiunt, centro. Idem Plinius hoc ipso libro, cap. 64, terram cæli cardinem esse dicet. Ed.

10. *Librantem.* Hoc est, continentem circum se fusa corpora, ne ob innatam levitatem sursum abeant : dum per eadem interim sustinetur ipsa vicissim, ne ruat, ob insitam gravitatem. Ita Lucanus, Phars. I, v. 88 : «Dum terra fretum,

bilem, circa eam volubili universitate, eamdem ex omnibus necti, eidemque[11] omnia inniti. (vi). Inter hanc, 3
cælumque, eodem[12] spiritu pendent, certis discreta spatiis, septem sidera, quæ ab incessu vocamus errantia, quum[13] errent nulla minus illis. Eorum medius Sol fertur, amplissima magnitudine ac potestate : nec temporum modo, terrarumque, sed siderum etiam ipsorum, cælique

terramque levabit Aer. » Hard. — Elzev. *librantemque*, quod et Vet. apud Dalec. Ed.

11. *Eidemque omnia inniti.* Turnebus legit *omnia innecti.* Lart. — Optime. Amat Noster has delicias verborum inter se ludentium : *necti, innecti.* Sic in præfatione : « Omnibus vero naturam et naturæ sua omnia. » Ed.

12. *Eodem spiritu.* Hoc est, in aere, sive, ut Cicero ait, in æthere, quod et consuetudo loquendi, et olim Pacuvius cælum interpretabatur, apud eumdem Tullium, de Nat. Deor. lib. II. « Hoc quod memoro nostri cælum, Graii perhibent æthera. » Ac Tullius ipse paulo post : « Restat ultimus, et a domiciliis nostris altissimus omnia cingens et coercens cæli complexus, qui idem æther vocatur, extrema ora et determinatio mundi, in quo cum admirabilitate maxima igneæ formæ cursus ordinatos definiunt : ex quibus Sol, etc. » At cælum nunc Plinius peculiarem esse appellationem putat domicilii non errantium stellarum. Quæcumque demum opinio Veterum fuit, de cælorum, in quibus planetæ volvuntur, soliditate, ac concretione, si tamen ulla fuit ejuscemodi : id enim excutere diligentius neque est otii, neque instituti nostri : sed si fuit illa cujusquam, ab ea certe abest longissime Plinius : neque consistentes reipsa siderum errantium orbes informavit animo, quibus illa intra statos contiuerentur cursus, non secus atque in stadio septa, atque in circensibus adduntur euripi, ut coerceantur equi et quadrigæ intra finem certum. Nam si *spiritus* spatium totum illud est, in quo feruntur, non idem certe concretioris cujuspiam naturæ est. *Si in eo spiritu pendent*, propria hæc septem sidera virtute niti oportet, non aliena fulciri. *Si certis discreta spatiis*, non ea orbibus tanquam claustris sejuncta ac seclusa mutuo, aut intellexit ipse, aut vero intelligenda sunt. Hard. — Non in spiritu, sed in vacuo pendere sidera, mathematicis nunc rationibus constat; quæ si medio vel tenuissimo inveherentur, necessario deflecterentur a cursu suo, nec ad solas gravitatis et mutuæ attractionis leges se moverent. Confer Encyclopædiæ Gallicæ partem physicam verbo *milieu*. Ed.

13. *Quum errent.* Tullius, de Nat. Deor. lib. II, pag. 71 : « Maxime vero, inquit, admirabiles sunt motus earum quinque stellarum, quæ falso vocantur errantes. Nihil

rector. Hunc mundi esse totius animum[14], ac planius[15] mentem; hunc principale naturæ regimen, ac numen
4 credere decet, opera ejus æstimantes. Hic lucem rebus ministrat, aufertque tenebras: hic reliqua sidera occultat[16], illustrat: hic vices temporum, annumque semper renascentem ex usu naturæ temperat: hic cæli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat: hic suum lumen cæteris[17] quoque sideribus fœnerat. Præclarus, eximius, omnia intuens, omnia etiam exaudiens, ut principi litterarum Homero[18] placuisse in[19] uno eo video.

1 V. (VII). Quapropter effigiem[1] Dei formamque quærere, imbecillitatis humanæ reor. Quisquis est Deus, si[2] modo est alius, et quacumque in parte, totus est sensus, totus visus, totus auditus, totus[3] animæ, totus animi, totus

enim errat quod in omni æternitate conservat progressus, et regressus, reliquosque motus constantes et ratos. » HARD.

14. *Animum ac... mentem.* Animum, quod rebus hisce inferioribus per radios, ceu spiritus quosdam, vitam impertiat. Mentem, quod consilio, et sapientia, et rata lege cælestia terrenaque regere ac moderari videatur. HARD.

15. *Planius.* Quidam *plane.* ED.

16. *Occultat, illustrat.* Hanc posteriorem vocem addidimus ex Reg. 1, 2. Chifflet. etc. sensusque est, non reliquis sideribus a sole lumen impertiri, hoc enim mox dicendum est: sed quemadmodum vices temporum ex usu naturæ temperat (ut statim subjungit), sic vices dierum alternat et noctium, quum sidera præsens occultat, illustrat absens. HARD.

17. *Cæteris.* Nimirum stellis errantibus. HARD.

18. *Homero.* Solem animatum esse tum alibi sensit Homerus, tum vero maxime Odyss. μ'. 323, in fabula de bobus Solis. Iliad. III, v. 277: « Ἠέλιός θ', ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις. » Quod Maro imitatus videtur, Æneid. lib. IV, v. 607: «Sol qui terrarum flammis opera omnia lustras.» HARD.

19. *In uno eo.* De sole uno asserit hoc Homerus, non de cæteris astris. Harduinus locum non intellexit; Dalecampius *eo* redundare, nescio cur, existimavit. ED.

V. 1. *Quapropter.* Ideo, inquit, nullam aliam Dei formam aut imaginem quærere oportet, quam ipsum Solem. ED.

2. *Si modo est alius.* Si alius est Deus quam Sol. Verba hæc usque ad *totus animi*, in Chiffl. cod. non invenit Dalecampius. ED.

3. *Totus animæ.* Idem vitæ, idem mentis, consilii, rationisque plenissimus; idem totus juris sui, ut fe-

sui. Innumeros quidem credere, atque[4] etiam ex virtutibus vitiisque[5] hominum, ut Pudicitiam, Concordiam, Mentem, Spem, Honorem, Clementiam, Fidem, aut (ut Democrito placuit) duos omnino, Pœnam et Beneficium, majorem ad socordiam accedit. Fragilis et laboriosa mortalitas in par- 2
tes ista[6] digessit, infirmitatis suæ memor, ut portionibus coleret quisque, quo maxime indigeret. Itaque nomina alia aliis gentibus, et numina in iisdem innumerabilia reperimus[7]; inferis quoque in[8] genera descriptis, morbisque[9], et multis etiam pestibus, dum esse placatas trepido metu cupimus. Ideoque etiam publice Febris[10] fanum in Palatio dicatum est, Orbonæ[11] ad ædem Larium, et

licitatis suæ a se uno suspensas habeat rationes, neque aliunde pendeat. Anima est, qua vivimus; animus, quo sapimus : hoc brutæ carent : de quibus Juvenalis, Satyra XV, v. 148 : «communis conditor illis Tantum animas : nobis animum quoque.» Hard.

4. *Atque etiam*, etc. Vet. apud Dalec. *tamque ex virtutibus hominum quam vitiis*. Chiffl. *atque tam ex virtutibus quam ex vitiis hominum*, quod probavit Pintianus. De re ipsa vide Ciceronem de Nat. Deor. lib. II. Ed.

5. *Vitiisque*. Impudentiæ fanum, et Contumeliæ Athenis factum Cicero ait, de Leg. lib. II. Hard.

6. *In partes ista digessit*. In varios divisit Deos numen unicum, quod Plinio cælum est aut mundus : ejusque singulas partes aut, ut philosophi aiunt, attributa separatim coluit. Pro *ista*, quod habent Dalec. et reliqui, Harduinus *ita*, sed sine auctoritate. Infra pro *coleret quisque*, alii *quisque coleret*. Ed.

7. *Reperimus*. Chiffl. *Invenimus*. De immensa Deorum multitudine quos sibi finxerant Ethnici, facunde ut sibi mos est, noster Bossuet in Oratione de Histor. univ. parte II, cap. 3 : *tout était Dieu, excepté Dieu même*. Ed.

8. *In genera descriptis*. Vet. apud Dalec. *in genera Deorum descriptis*. Plura Deorum genera apud inferos : Manes, Eumenides, etc. Ed.

9. *Morbisque*. De Febri quidem mox dicetur : de Scabie testatur Prudentius, in Ἁμαρτ. v. 257 : «Par furor illorum, quos tradit fama dicatis Consecrasse Deas Febrem Scabiemque sacellis. Hard.

10. *Febris*. Νεὼν καὶ βωμὸν, Febri templum et aram collocatam ait in Palatio Ælianus, Var. Hist. lib. XII, cap. 11. Vide et Valer. Max. lib. II, cap. 5. Hard.

11. *Orbonæ*. Orbona est orbitatis Dea. Quæ vocis originatio miror quemadmodum Pintiano, Vallæ, Sabellico, Hermolaoque latuerit. Arnobius, lib. IV, contra Gent. : «In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes.» Tertull. ad Nation. lib. II, cap. 14 : «Orbona Dea,

3 ara[12] Malæ Fortunæ Exquiliis. Quamobrem major cælitum populus etiam quam hominum intelligi potest, quum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones Geniosque[13] adoptando sibi. Gentes vero quædam animalia[14], et aliqua etiam obscena[15], pro Diis habent[16], ac multa dictu magis pudenda, per[17] fœtidos cibos et alia similia jurantes. Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci; et alios esse grandævos[18] semperque canos, alios juvenes atque pueros; atri[19] coloris, aligeros, claudos, ovo editos, et alternis

quæ in orbitatem semina exstinguat. » HARD.

12. *Et ara*. Dalecampius : *Orbonæ ad ædem Larium ara, et Malæ Fortunæ Exquiliis*. Elzev. item, nisi quod virgulam omisit; sed uterque male. Ædes Larium, aut Larum, h. e. Diis Laribus dicata, fuit in regione fori Romani : ara Malæ Fortunæ in regione Esquilina. ED.

13. *Junones*. Appositos sibi statim ab ortu custodes credebant, quos viri Genios, Junones feminæ vocabant. De utrisque Tibullus : « Magne Geni, cape thura libens. » Et « Natalis Juno, sanctos cape thuris honores. » Et Seneca, Ep. C : « Singulis aut Genium, aut Junonem dederunt. » HARD.

14. *Animalia*, etc. Dalec. *animalia etiam aliqua et obscœna*. Elzev. *animalia etiam, aliquæ et obscœna*. Harduinum sequi maluimus. ED.

15. *Obscena*. Cotta apud Cicer. de Nat. Deor. lib. III, pag. 132 : « Omne fere genus bestiarum Ægyptii consecraverunt. » Et pag. 136 : « Cur barbarorum Deos repudiemus? Boves igitur, et equos, ibes, accipitres, aspidas, crocodilos, pisces, canes, lupos, feles, multas præterea belluas in Deorum numero reponemus. » Addit scarabæos Arnobius, lib. I, adv. Gentes, num. 19. HARD.

16. *Habent*. Dalec. et Elzev. *habent*. Harduinus *habeant*, ex MSS. ut ipse ait. ED.

17. *Per fœtidos*. Idem Plinius, lib. XIX, cap. 32 : « Allium, inquit, cæpasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus. » Vide quæ ibi dicturi sumus. HARD. — Chiffl. *per fœtidas cæpas, allia, et similia*. ED.

18. *Grandævos*. Academici dictum apud Cicer. de Nat. Deor. lib. I : « Isto enim modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni... Claudum igitur habebimus Deum, quoniam de Vulcano sic accepimus, etc. » HARD. — Dalec. *grandævos semper canosque*. ED.

19. *Atri coloris*. Ita omnes MSS. non *atricolores*. Erebum, Noctemque significat. Ut quum aligeros dicit, Mercurium : ovo editos, Castorem et Pollucem. Vide Hyginum in Astron. HARD. — Dalec. et Elz. *atricolores*, quod sine dubio ex corruptis MSS. hauserunt. ED.

diebus viventes morientesque, puerilium prope delira-
mentorum est. Sed[20] super omnem impudentiam, adulte- 4
ria inter ipsos fingi, mox jurgia et odia; atque etiam
furtorum[21] esse, et[22] scelerum numina. Deus[23] est mor-
tali juvare mortalem, et[24] hæc ad æternam gloriam via.
Hac[25] proceres iere Romani: hac nunc cælesti passu cum
liberis suis vadit maximus omnis ævi rector Vespasianus
Augustus fessis rebus subveniens. Hic[26] est vetustissimus 5

20. *Sed super.* Sic etiam Tullius, de Nat. Deor. lib. I: « Nec enim multo absurdiora sunt ea, quæ poetarum vocibus fusa, ipsa suavitate nocuerunt: qui et ira inflammatus, et libidine furentes induxerunt Deos; feceruntque, ut eorum bella, pugnas, prælia, vulnera viderimus: odia præterea, dissidia, discordias, ortus, interitus, querelas, lamentationes, effusas in omni intemperantia libidines, adulteria, vincula, cum humano genere concubitus, mortalesque ex immortali procreatos. » Hoc loco Plinius Homerum, quem non intelligit, deridendum propinat. Vide tractatum, quem Gallice nuper scripsimus, de Iliadis argumento, et Diis Homericis. In historia naturali et civili, omnium profanorum scriptorum dignissimus cui fides habeatur, Plinius certe est habendus: at poesim coluisse, artemve poeticam calluisse, idem omnino non videtur. Hard.

21. *Furtorum.* Ut Mercurium, quem idcirco κλέπτην Phurnutus, κλῶπα Suidas appellatum dicunt: alii δόλιον, hoc est, doli ac fraudum artificem. Hard.

22. *Et scelerum.* « Quo ex genere » inquit Tullius, de Nat. lib. II, pag. 75, « Cupidinis, et Voluptatis, et Lubentinæ Veneris vocabula consecrata sunt, vitiosarum rerum, neque naturalium. » Hard.

23. *Deus est.* Hinc nata parœmia, *Homo homini Deus*, Ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον. Hard.

24. *Et hæc. Et* in Vet. deesse docet Dalecampius. Ed.

25. *Hac proceres iere Romani; hac nunc*, etc. Simili prope modo Horatius, lib. III, Od. 3, 9 sqq.:

Hac arte Pollux et vagus Hercules
Enisus, arces attigit igneas;
  Quos inter Augustus recumbens
    Purpureo bibit ore nectar;
Hac te merentem, Bacche pater, tuæ
Vexere tigres, indocili jugum
  Collo trahentes; hac Quirinus
    Martis equis Acheronta fugit.

Hic, ut vides, apud Horatium Romanis e proceribus sive principibus soli Romulus et Augustus inter Divos relati censentur. Quibus adnumerandi erant jam Vespasiani tempore divus Julius et divus Claudius. Divas omitto Liviam, Drusillam, et Poppæam. Ed.

26. *Hic est.* Tullius, de Nat. Deor. lib. II, pag. 76: « Suscepit autem vita hominum, inquit, consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent. Hinc

referendi bene merentibus gratiam mos, ut tales numinibus adscribant[27]. Quippe et omnium[28] aliorum nomina Deorum, et quæ supra retuli siderum[29], ex hominum nata sunt meritis. Jovem quidem, aut Mercurium, aliterve alios inter se[30] vocari, et esse cælestem[31] nomencla-
6 turam, quis non interpretatione[32] naturæ fateatur? Irridendum[33] vero agere curam rerum humanarum illud quidquid est summum. Anne tam tristi atque multiplici ministerio non pollui credamus, dubitemusve? Vix prope est[34] judicare, utrum[35] magis conducat generi humano, quando aliis[36] nullus est Deorum respectus, aliis pudendus. Externis[37] famulantur sacris, ac[38] digitis Deos gestant, monstraque[39], quæ colunt; damnant, et excogi-

Hercules, hinc Castor et Pollux, hinc Æsculapius.... Hinc etiam Romulus, quem quidam eumdem esse Quirinum putant, etc. » Hard.

27. *Adscribant.* Dalec. et Elzev. *ascribantur.* Ed.

28. *Omnium.* In Vet. non legitur, nec in Chiffl. vox *omnium.* Dalec.

29. *Siderum.* Planetarum nempe, qui omnes nomina mutuantur a Diis: Dii vero plerique ex hominibus facti sunt, grata superstitum memoria. Ed.

30. *Inter se.* Id est, ut invicem distinguantur. Ed.

31. *Cælestem nomenclaturam.* Vet. apud Dalec. *cælestium; alii cælestes;* proponebat ipse Dalecampius *cælestes nomenclaturas:* sed nihil mutandum. *Nomenclatura* hic est arbitraria nominum impositio. Ed.

32. *Interpretatione naturæ.* Diligentiore rerum naturalium observatione. Facile enim observando quivis intelliget hæc sidera, non Deos, sed inertis materiæ partem esse, inertia ipsa et inanima. Ed.

33. *Irridendum.* Sapiunt ista Epicuri haram: cujus hæc κυρία δόξα, apud Tullium, de Nat. Deor. lib. I, « Quod beatum et immortale est, id nec habet, nec exhibet cuiquam negotium. » Hard.

34. *Prope est.* Præsto est. Ed.

35. *Utrum.* Mortalia curetne Deus, an non. Ed.

36. *Externis.* Qualia sunt Phrygia sacra Cybeles, Bacchi orgia, Isiaca, Eleusinia, etc. Hard.

37. *Aliis nullus,* etc. Nullus aliis ob impietatem, aliis pudendus ob superstitionem. Ed.

38. *Ac digitis.* Annulis, quibus onusti ornatique digiti. Hard.

39. *Monstraque, quæ colunt.* Monstra vere sunt Ægyptiorum Dii, canis aut bovis capite deformes, aliæque hujusmodi figuræ in annulis magicis sive mysticis frequentes. Dalecampius: *et monstra quoque colunt.* Harduinus, inverso totius loci sensu: *monstra quoque, quæ colunt, damnant; et excogitant cibos.* Respici

tant cibos[40]; imperia[41] dira in ipsos, ne somno quidem quieto, irrogant. Non matrimonia, non liberos, non denique quidquam aliud, nisi juvantibus[42] sacris, deligunt. Alii[43] in Capitolio fallunt, ac fulminantem pejerant Jovem : et hos[44] juvant scelera, illos sacra sua pœnis agunt.

Invenit tamen inter[1] has utrasque sententias medium 7
sibi ipsa mortalitas numen, quo minus etiam plana de Deo conjectatio esset. Toto quippe mundo, et locis[2] omnibus, omnibusque horis omnium vocibus Fortuna sola invocatur : una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, et cum conviciis colitur : volubilis, a plerisque vero et cæca[3] etiam existimata, vaga, inconstans, incerta, varia, indignorumque[4] fautrix. Huic[5] omnia feruntur accepta : et in tota

putat ad Ægyptios bovem Apim enecantes, ut videre erit lib. VIII, cap. 71. Cibos vero excogitatos intelligit alicam, carnes anserinas aliasque majoris pretii ac sumptus epulas quibus Dii Ægyptiorum alebantur. Nos aliter et legimus, et interpungimus. Ed.

40. *Damnant et excogitant cibos.* Cum Dalecampio censemus damnatos a Judæis cibos hic innui, carnem suillam, sanguinem, adipem, etc. Sacratas autem apud illos epulas, agnum paschalem, panes azymos, etc. Ed.

41. *Imperia*, etc. Imperia dira in se ipsi Diis tribuunt, multis se ac molestissimis impedientes vanæ superstitionis ritibus, Deorum semper iram metuentes, unde δεισιδαίμονες dicuntur, et ne in somnis quidem ab illorum metu respirantes, quum sæpe visionibus horrendis perturbentur. Ed.

42. *Juvantibus sacris.* In Dalec. et Elzevir. legitur *jubentibus.* Ed.

43. *Alii.* Impii scilicet. Ed.

44. *Hos juvant scelera, illos*, etc. Dum impii perjuriis ac sceleribus non impunitis modo, sed fortunatis fruuntur, pii homines religionibus suis frustra cruciantur. Ed.

1. *Inter has utrasque sententias.* Atheismum et religionem. Ed.

2. *Locis omnibus.* Vet. apud Dalec. *omnibus locis.* Horatius lib. I, Od. 35, ad Fortunam, v. 6 et sqq.

....Te dominam æquoris,
Quicumque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina,
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Urbesque, gentesque, et Latium ferox,
Regumque matres barbarorum, et
Purpurei metuunt tyranni. Ed.

3. *Cæca etiam.* In Chiffl. deest vox *etiam*. Ed.

4. *Indignorumque.* Addidit Harduinus τὸ *que* ex MSS. Ed.

5. *Huic omnia expensa*, etc. Harduinus omissis sine auctoritate tri-

ratione mortalium, sola[6] utramque paginam facit. Adeoque obnoxiæ[7] sumus sortis, ut Sors[8] ipsa pro Deo sit, qua Deus probatur incertus.

8 Pars[1] alia et hanc pellit, astroque suo eventus assignat, nascendi[2] legibus : semelque in omnes futuros unquam Deo[3] decretum ; in reliquum vero otium datum. Sedere[4] cœpit sententia hæc : pariterque[5] et eruditum vulgus et rude in eam cursu vadit. Ecce fulgurum monitus, oraculorum præscita, aruspicum prædicta, atque etiam parva dictu, in auguriis sternumenta[6], et offensiones pedum. Divus Augustus lævum prodidit sibi calceum præpostere[7] inductum, quo die seditione militari prope

bus mediis verbis : *huic omnia feruntur accepta*. Nos veterem lectionem secuti sumus. Ed.

6. *Sola utramque paginam facit*. Metaphora ducta e mercatorum libris, in quibus pars una paginæ acceptum referebat, expensum altera. Mos hodieque servatus. Ed.

7. *Obnoxiæ sumus sortis*. Ut supra *obnoxii profecta animi est*, nempe infelicis et servilis. Ed.

8. *Sors ipsa pro Deo sit*. Sortem apud Romanos Deam fuisse negat Harduinus; ipse tamen nummum adducit, in quo dimidiata Deæ effigies cernitur imposita tabellæ in qua scriptum est Sors. Ego *Sortem* simpliciter hoc loco poni existimo pro *Fortuna*. Ed.

1. *Pars alia*. Fatalis necessitatis opinio, alteri opposita quæ incertis omnia casibus adsignat. Ed.

2. *Nascendi*. Dalec. et Elzev. *et nascendi*. Ed.

3. *Deo decretum*. Decretam semel a Deo legem in omnes qui unquam futuri erant homines. Vel. apud Dalec. *Dei decreto*, ut cum *astro* et *legibus* construatur : nec multo post, *otia dato*, absolute. Ed.

4. *Sedere*. Vigere, insidere hominum animis. Hard.

5. *Pariterque*, etc. Vel. apud Dalec. *pariterque et eruditi et rude vulgus*. *Rude* et *eruditum* optime inter se componuntur, voces eodem etymo prognatæ. Ed.

6. *Sternumenta et offensiones pedum*. Dalec. et Elzev. *sternutamenta*. Iisdem prope verbis Cicero de Divinat. « Pedis offensio nobis, et abruptio corrigiæ, et sternutamenta erunt observanda. » Multum in hoc libro Plinius Ciceronis vestigiis insistit, quem tamen in elencho libri omisit, nisi pro *Tullio Tirone*, legendum est ibi *Tullio Cicerone*, ut jam observarat Harduinus. Ed.

7. *Præpostere inductum*. Vet. apud Dalec. *indutum*, sed male. Suet. in Aug. XCII : « Auspicia quædam et omina pro certissimis observabat : si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextero induceretur, ut dirum, etc. » Seditio hic apud Plinium agitur eadem, quæ apud Sue-

afflictus est. Quæ singula improvidam mortalitatem invol- 9
vunt, solum ut inter ista certum sit, nihil[8] esse certi, nec
miserius quidquam homine, aut superbius. Cæteris quippe
animantium sola victus cura est, in quo sponte naturæ
benignitas sufficit : uno[9] quidem vel præferendo cunctis
bonis, quod de gloria, de pecunia, ambitione, superque
de morte non cogitant.

Verum in[1] his Deos agere curam rerum humanarum 10
credi, ex usu vitæ est : pœnasque maleficiis aliquando se-
ras, occupato Deo in tanta mole, nunquam autem irritas
esse; nec ideo proximum illi genitum hominem, ut vili-
tate juxta belluas esset. Imperfectæ vero in homine na-
turæ præcipua solatia, ne Deum quidem posse omnia.
Namque[2] nec sibi potest mortem consciscere, si velit, 11
quod homini dedit optimum in tantis vitæ pœnis : nec
mortales[3] æternitate donare, aut revocare defunctos : nec
facere[4], ut qui vixit, non vixerit; qui honores gessit, non
gesserit : nullumque habere in præterita jus, præterquam

tonium, Aug. XIV, in qua «minimum abfuit quin periret concursu et indignatione turbæ militaris.» Ed.

8. *Nihil esse certi.* Inde Socrates aiebat, Cic. Acad. I, 15 : «id unum scio, me nihil scire.» Inde Pyrrhoniorum dubitatio universa, et celebrata apud nos Montaigne nostri parœmia : *Que sais-je?* Ed.

9. *Uno quidem.* Hoc quidem unico bono. Ed.

1. *In his.* Inter has qualescumque sententias. Ed.

2. *Namque nec.* Stolidum ac nefarium adsciscit argumentum : Neque enim id potentia est, sed impotentia, ut probat Anselmus, in Prosologii cap. VII : «Quia qui hoc potest, quanto magis potest, tanto magis adversitas et perversitas possunt in illum, et ipse minus contra illas, etc.» Hard.

3. *Nec mortales.* Hoc vero geminum caput de communicanda immortalitate et revocandis ad vitam fato functis, Christiana nos fides, Scripturis, ac certissimis armata testimoniis, futile ac falsum esse perdocet : nec disputari de eo patitur. Hard.

4. *Nec facere, ut qui vixit, non vixerit.* Absurda, sive impossibilia, mera sunt idearum simulacra et carentia veritate numina, nec ut aliquid reapse exsistens a nobis unquam concipi possunt. Has vero Deus qualescumque species in nobis creare potest; ideoque extra potentiam ejus non cadunt, quamvis cadere videantur. Ed.

oblivionis : atque (ut facetis quoque argumentis societas hæc[5] cum Deo copuletur) ut bis dena viginti non sint, ac multa similiter efficere non posse : per quæ declaratur haud dubie naturæ[6] potentia, idque esse quod[7] Deum vocamus. In hæc divertisse[8] non fuerit alienum, vulgata propter[9] assiduam quæstionem de Deo.

1 VI. (VIII). Hinc redeamus ad reliqua naturæ. Sidera quæ

5. *Societas hæc.* Forsitan *hic* vel *heic*, non *hæc* legendum. Si fas, inquit, hic admiscere facela prope argumenta inceptæ de Deo disputationi. Ed.

6. *Naturæ potentia, idque esse.* Vet. apud. Dalec. *Naturæ potentiam id esse*, sensu eodem, sed apertiori forsitan. Ed.

7. *Quod Deum vocamus.* Omnem igitur vim divinam, ut olim Strato physicus, de quo Cic. de Nat. Deor. lib. I, p. 19, in natura sitam esse censet, quæ causas gignendi, augendi, minuendive habeat. Par Senecæ impietas, de Beneficiis, libro IV, cap. 8 : « Ergo nihil agis, ingratissime mortalium, qui te negas Deo debere, sed Naturæ : quia nec Natura sine Deo est, nec Deus sine Natura; sed *idem est utrumque*, nec distat. Officium si quod a Seneca accepisses, Annæo te diceres debere, vel Lucio; non creditorem mutares, sed nomen, quoniam sive prænomen ejus, sive nomen dixisses, sive cognomen, idem tamen ille esset. Sic hunc *Naturam* voca, *Fatum*, *Fortunam* : omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis sua potestate. » Et lib. II, Natural. quæst. 45 : « Eumdem quem nos Jovem » sapientissimi viri « intelligunt, custodem rectoremque universi, animum ac spiritum, mundani hujus operis dominum et artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum *Fatum* vocare? Non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia : causa causarum. Vis illum providentiam dicere? Recte dices. Est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, et actus suos explicet. Vis illum *Naturam* vocare? Non peccabis. Est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare *Mundum?* Non falleris. Ipse est enim *totum quod vides*, totus *suis partibus inditus*, et se sustinens. » Benigni interpretis eget officio Lactantius, lib. de Ira Dei, cap. X: « Natura, quam veluti matrem esse rerum putant, si mentem non habet, nihil efficiet unquam, nihil molietur. Ubi enim non est cogitatio, nec motus est ullus, nec efficacia. Si autem consilio suo utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum et continendum, cur Natura potius quam Deus nominetur? » Hard.

8. *Divertisse.* Digressionem ab instituto nostro fecisse, et rem tractasse metaphysicam. Ed.

9. *Vulgata propter*, etc. Codex unus MSS. habet *propter vulgatam assidue*, etc. Hard.

affixa diximus mundo [1], non illa, ut existimat vulgus,
singulis attributa nobis, et clara divitibus, minora paupe-
ribus, obscura defectis [2], ac pro sorte cujusque lucentia,
annumerata mortalibus : quia [3] nec cum suo quæque ho-
mine orta moriuntur; nec aliquem exstingui, decidua si-
gnificant. Non tanta cælo societas nobiscum est, ut nostro
fato mortalis sit ibi [4] quoque siderum fulgor. Illa [5] nimio 2
alimento tracti humoris ignea vi [6] abundantiam reddunt,
quum decidere creduntur [7] : ut apud nos quoque id, lu-
minibus [8] accensis, liquore olei notamus accidere. Cæte-
rum æterna est cælestibus natura, intexentibus mundum,

VI. 1. *Mundo*. Scil. Cælo. Hard.

2. *Defectis*. Senio confectis. Sic Columella in præf. lib. I, «defectissimum quemque annis, et viribus» dixit. Hard.

3. *Quia*. Deest hoc verbum in priscis edd. nec, unde acceperit, Harduinus nos docet. Ed.

4. *Ibi quoque*. Hoc est, in cælo. H. — Dalec. et Elzev. *ille quoque* per emphasim. Ed.

5. *Nimio*. Epicuri et Zenonis hæc sententia fuit, sidera marinis terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis ali : de qua re Cic. de Nat. Deor. lib. II, pag. 68. Ex ipsis, quum redundat alimentum, ut in lucernis oleum, scintillas quasdam decidere : hasque stellas esse quas labi cælo putamus. Ex ea opinione Manilius cecinit, Astron. I, 822 et seqq. : «Præcipites stellæ passimque volare videntur, Quum vaga per liquidum scintillant lumina mundum, Et tenues longis jaculantur crinibus ignes.» Ridet hanc opinionem merito Seneca, Natur. quæst. lib. II, cap. 14. Et vero causa est alia stellarum discurrentium, alia natura. Propius terram hæ incenduntur, videnturque discurrere, quod aer viscoso plenus sit halitu, qui ubi est accensus, pabuli sui venam sequitur : uti apud nos quoque, inquit Seneca, Nat. quæst. lib. I, cap. 1, stramenta sulphure aspersa, ignem ex intervallo trahunt. Interim velut igne continuo totum iter signant : quia visus non subsequitur momenta currentis; sed videt simul unde exierit, et quo pervenerit : ut fit in titione circumacto, qui speciem ignei circuli præbet. Adde his ea quæ dicturi sumus cap. 36. Hard.

6. *Ignea vi abundantiam*. Dalec. *igneam vim abundantia*. Servato Harduini textu sic intellige : repleta sidera nimio alimento humoris, qui ignea vi tractus est, id reddere quod abundat. Ed.

7. *Creduntur*. Caute omnino : neque enim stella labitur; sed ut Naso canit, Metamorph. II, vs. 322, opinione quidem vulgi : «Etsi non cecidit, potuit cecidisse videri.» Hard.

8. *Luminibus*. Alii *lucernis*. Dalec.

intextuque concretis[9]; potentia autem ad terram magnopere eorum pertinens. Quæ propter effectus, claritatemque, et magnitudinem, in tanta subtilitate[10] nosci potuerunt, sicut[11] suo demonstrabimus loco. Circulorum quoque
3 cæli ratio in[12] terræ mentione aptius dicetur, quando ad eam tota pertinet, Signiferi[13] modo inventionibus non dilatis. Obliquitatem[14] ejus intellexisse, hoc est, rerum[15] fores

9. *Concretis.* Totius mundi compagine quasi devinctis inter se et solidatis. Ed.

10. *Subtilitate.* Vet. apud Dalec. *sublimitate.* Sed nihil mutandum. *Subtilis* Plinio sæpe est *difficilis ac sagaci mentis acumine indigens.* Sic in præfatione et alias, « immensæ subtilitatis opus » dicitur. Ed.

11. *Sicut suo.* In libris de Agricultura, operis hujusce XVII et XVIII. Hard. — Deleri velim verbum *sicut*, e subsequenti natum. Ed.

12. *In terræ mentione.* Hoc est, in libris Geographicis, nempe sub finem libri sexti. Quid si legas, *in terræ mensione*, hoc est mensura? Subjicitur enim statim post æquorum ac terrarum mensuram, in calce libri sexti, bæc quam modo pollicetur, circulorum sphæralium, sive parallelorum explicatio. Et est latine recepta *mensio* pro dimensione, ac Tulliano ore consecrata vox. Tamen *in cœli mentione* dixit idem, lib. III, cap. 6, itaque nihil moveo. Hard.

13. *Signiferi modo inventionibus non dilatis.* Zodiaci inventoribus nunc statim appellatis. H. — Chifll. *inventoribus*, nec male. Ed.

14. *Obliquitatem.* Excogitata quidem multo ante Anaximandrum sphæra est ab Atlante, ut mox dicetur : at sine obliqui descriptione circuli, sive signiferi, quem Zodiacum vocant. Hard.

15. *Rerum fores.* Hoc est, ad totius astronomiæ perceptionem, aditum fecisse, viam monstrasse. Hac loquendi forma usus iterum, lib. XXXV, cap. 36, de pictura : « Artis fores, inquit, apertas ab Apollodoro Zeuxis intravit. » Excogitata scilicet obliquitate signiferi, Cleostrato occasio ea fuit, signa in eum circulum transferendi, quorum emersu et occultatione prædictiones tempestatum, aliaque ejusmodi multa ducerentur. Plinium hoc loco Dalecampius in jus vocat, quasi μνημονικῷ ἁμαρτήματι, quod Atlanti modo adscribit, illud ipsum Anaximandro adjudicet, lib. VII, cap. 57 ; dum ait : « Astrologiam Atlas .... sphæram in ea Milesius Anaximander. » At hoc posteriore loco sphæræ appellatione censeri puto non cælestem globum, ut aiunt, sed terrestrem, in quo situs gentium describuntur. Auctor ita conjiciendi Laertius in Anaximandro, ipso libri secundi initio : καὶ γῆς, καὶ θαλάττης, inquit, περίμετρον πρῶτος ἔγραψεν, ἀλλὰ καὶ σφαῖραν κατεσκεύασε. « Terræ et maris ambitum primus descripsit, et terrenæ molis similitudinem globo facto expressit, » descriptis scilicet, atque additis in eo, ut nunc mos

aperuisse, Anaximander[16] Milesius traditur primus, Olympiade quinquagesima octava. Signa deinde in eo Cleostratus[17], et prima Arietis ac Sagittarii. Sphæram[18] ipsam ante multo Atlas. Nunc relicto mundi[19] ipsius corpore, reliqua inter cælum terrasque tractentur.

Summum esse, quod vocant Saturni sidus, ideoque minimum videri, et maximo ambire circulo, ac trigesimo anno ad[1] brevissima sedis suæ principia regredi, certum est. Omnium autem errantium siderum meatus, interque 4

est, iisdem circulis, qui in cælesti globo pingi peculiariter solent. Primus certe omnium orbem terrarum descripsit in tabula, teste Agathemero, Geograph. lib. I, pag. 1: Ἀναξίμανδρος ὁ Μιλήσιος, ἀκουστὴς Θάλεω, πρῶτος ἐτόλμησε τὴν οἰκουμένην ἐν πίνακι γράψαι. Hard.

16. *Anaximander.* Pythagoræ alii, alii Œnopidæ Chio, inventum hoc assignant, ut scribit auctor libri de Hist. Philos. apud Galen. cap. XII. De Anaximandro diximus in Auctorum Indice. Erat autem is, anno secundo hujus Olympiadis LVIII, natus annos quatuor et LX, ut refert Laertius statim initio libri secundi. Hard.

17. *Cleostratus.* Tenedius Mathematicus, auctor ὀκταετηρίδος, de qua Petavius, de Doctr. Temp. lib. II, cap. 3. Refert Hyginus, Astron. Poet. lib. II, cap. de Heniocho, fol. 64, hunc Cleostratum hœdos primum omnium inter sidera ostendisse. Hard.

18. *Sphæram.* Ita Diodorus Sic. Biblioth. lib. III, pag. 192. et lib. IV, pag. 255, Edit. Hanov. 1604. Hard. — Proposuit Dalec. edidit Lætius in Elzev. *sphæram ipso pandente mundo Atlas;* sed cui bono? Ed.

19. *Mundi ipsius.* Cæli ultimi, cui affixa sunt sidera. Hard.

1. *Ad brevissima sedis suæ principia.* Principium vocat, punctum quodcumque Zodiaci, et quasi curriculi metam, unde stella movetur, quo Saturni sidus non ante tricesimum fere annum revertitur. Fere, inquam, ut caute locutus est Tullius, de Nat. Deor. pag. 72: ὡς ἔγγιστα, Geminus in Elem. Astron. pag. 4: παχυμερῶς καὶ πλατικῶς, ut minus accurate, et platice dicam, Tatius: cap. XVIII, pag. 137. Brevissima porro principia illa seu metas vocat, siderum errantium in Signifero limites, quos ubi unumquodque attigit sidus, non amplius excurrit. Saturno Ricciolus annos adscribit 29, et dies fere 190, tomo I, Almag. lib. VII, pag. 500. Hard. — Fateor me Harduini mentem non assequi, verbum *brevissima* interpretantis. Brevissima dicuntur sideris uniuscujusque principia, *punctum* ipsum sive *nodus* Eclipticæ, unde cursus ejus instituitur. Latini philosophicis et geometricis verbis carebant, multumque desudabant quum græcorum abstrusas voces in suam linguam convertendas haberent. Græci quod nos *punctum*, sua

ea Solis, et Lunæ, contrarium[2] mundo agere cursum, id est, lævum[3], illo[4] semper in dexteram præcipiti. Et quamvis assidua[5] conversione immensæ celeritatis attollantur ab eo, rapianturque in occasum, adverso[6] tamen ire motu per suos quæque passus: ita[7] fieri, ne convolutus aer eamdem in partem æterna mundi vertigine, ignavo globo torpeat, sed findatur, adverso siderum verbere discretus et digestus. Saturni autem sidus gelidæ ac rigentis esse naturæ, multoque[8] eo inferiorem Jovis circulum, et ideo motu celeriori duodenis circumagi annis. Tertium Martis, quod quidam Herculis[9] vocant, ignei[10], ardentis a Solis vicinitate, binis[11] fere annis converti. Ideoque hu-

lingua modo στιγμὴν appellabant; modo ἀκαρὲς, id est *individuum*, *brevissimum*. Nec vero editionis Elzevirianæ lectionem admiserim, in qua Lætius edidit ex Vet. apud Dalec. *tricesimo anno quum brevissime ad sedis suæ principia regredi*. Minor enim triginta annis Saturni cursus. *Sedes* hic a Plinio usurpatum est pro *circulo* quem sidus agit, ex quo non egreditur. Ed.

2. *Contrarium mundo*. Hoc est, cælo inerrantium stellarum. H.

3. *Id est, lævum*. Plinius Latinorum sententiam secutus, quos laudabimus cap. 55, sinistram statuit ad ortivas partes, obversa spectantium facie ad Austrum; et planetas in lævam ferri ait. Græci contra in dexteram ire contendunt, uti ex Pindari Scholiaste, cæterisque scriptoribus probat Joan. Bapt. Bellus, lib. de Templo Augur. cap. III. Hard.

4. *Illo*. Cælo aut mundo. Ed.

5. *Assidua*. Quotidiana. Ed.

6. *Adverso motu*. Annuo, quem per suos quæque passus conficiunt; nam pro sui cursus diuturnitate, aliquam hujus partem quotidie emetiuntur, ut, puta, sol $\frac{1}{365}$, luna $\frac{1}{28}$, etc. Ed.

7. *Ita fieri*, etc. Ridicula prorsus explicatio, sed veteribus philosophis ignoscenda, qui planetas per aerem discurrere crederent. Vide supra cap. 5. Ed.

8. *Multoque eo inferiorem*. Sic Dalec. et Elzev. Harduinus *multoque ex eo inferiorem*. Ed.

9. *Herculis*. Ἡρακλέους ἀστὴρ dicta Ægyptiis stella Martis, inquit Tatius, in Phænomen. cap. XVII, pag. 136. Ita Hyginus etiam in Astronomic. Poet. lib. II, pag. 76. Apuleius, lib. de Mundo, pag. 169. Arist. de Mundo, cap. II, pag. 602, et alii. Hard.

10. *Ignei*, etc. Vet. apud Dalec. *ignea ardentis solis vicinitate*. Ed.

11. *Binis fere*. Cicero, de Nat. Deor. lib. II, pag. 72: *Quatuor et viginti mensibus, sex, ut opinor, diebus minus*. At recentes Astronomi, spatio unius anni, decemque mensium, et quindecim fere dierum,

jus ardore nimio, et rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Jovem, salutaremque[12] fieri.
Deinde[13] Solis meatum esse partium quidem trecentarum 6
sexaginta; sed ut observatio umbrarum ejus redeat ad notas[14], quinos annis dies adjici, superque quartam partem diei. Quam ob causam quinto[15] anno unus intercalaris dies additur, ut temporum ratio Solis itineri congruat.

Infra solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, 7
alterno[1] meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis ac Lunæ. Præveniens quippe et ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut Sol alter, diem maturans: contra ab occasu refulgens nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens. Quam naturam[2] ejus Pythagoras Samius primus deprehendit,

signiferum lustrare orbem Martia stellam aiunt. Vide Ricciolum, loco ante appellato. Hard.

12. *Salutarem.* Hoc ad astrologicam vanitatem et natalitios siderum aspectus referendum est, ut quod antea dictum est de rigore Saturni, et Martis ardore. Ed.

13. *Deinde Solis.* Solis quidem cursus, ut et aliorum planetarum, ccc et lx Zodiaci partibus, sive gradibus, perficitur. Sed illas partes ocyus alii, alii serius excurrunt. Sol quidem certe quinque diebus ad annum conficiendum additis, et quarta parte diei, uti observatum est ex notis umbrarum in planitiem horologii cadentium, quas umbras ad notas easdem anno vertente regredi animadversum est; quarta autem pars illa diei nonnisi post plures annos est deprehensa. Quin etiam huic quartæ diei parti, sive horis sex, deesse sensit recentiorum accuratior observatio, sexagesimam horæ partem, minutam vocant, et fere dimidiam alteram minutam, seu 23 minutas secundas. Hard.

14. *Ad notas.* Ad easdem lineas in solari horologio. Hard.

15. *Quinto anno.* Computatis scilicet duobus extremis, primo, et quinto: utroque enim intercalationem fieri ne agricolæ quidem ignorant. Hard.

1. *Alterno meatu vagum.* Modo solem antegrediens, modo subsequens. Hard. —Veneris cursus multo fusius explicabitur ad cap. 14. Ed.

2. *Quam naturam.* Stobæus pariter, lib. I, Eclog. 53, ex Apollodoro refert a Pythagora primo deprehensum, eumdem esse Luciferum, Vesperumque. Ita etiam Laertius, lib. VIII, in Pythagor. Quanquam alii Parmenidi tribuunt, ut ait idem in hujus vitæ lib. IX. Sed plane Pythagoræ hanc laudem asserit nummus antiquus,

Olympiade[3] circiter LXII, qui fuit urbis Romæ annus
8 CCXXII. Jam magnitudine[4] extra cuncta alia sidera est : claritatis quidem tantæ, ut[5] unius hujus stellæ radiis umbræ reddantur. Itaque et in magno nominum ambitu est. Alii enim Junonis[6], alii Isidis[7], alii Matris[8] Deum appel-

quem vidimus, in cimelio Regio, in quo Pythagoræ ipsius expressa effigies, baculo stellam in globo signantis, cum epigraphe, ΠΥΘΑΓΟΡΗΣ ΣΑΜΙΩΝ. Hard.

3. *Olympiade circiter* LXII, *qui fuit urbis Romæ annus* CCXXII. Sic Broterius. At Dalec. et Elzev. olim legebant: *Olympiade circiter quadragesima secunda, q. f. a. u. R. centesimus quadragesimus secundus.* Harduinus ex MSS. Reg. Vatic. Colb. *Olympiade circiter* XXXII.... *Romæ annus* CXIII. In tanta diversitate Broterium sequi maluimus; nam, ut ipse docet Harduinus, « Laertius Pythagoram refert, lib. VIII, in ejus vita, ad LX Olympiadem, τὴν ἑξηκοστήν. Clemens Alexandr. lib. I, Strom. ad LXXII, τὴν ἑξηκοστὴν δευτέραν. Tatianus item, Orat. contra Gentes. Olymp. LXX, decessisse scripsit Eusebius. Et crassius sane ac πλατικωτέρως locutus videtur Dionys. Halic. qui lib. II, post quinquagesimum, μετὰ τὴν πεντηκοστήν, floruisse ait. » Livius quoque lib. I, cap. 18, illum floruisse dicit in Magna Græcia Servio Tullio imperante, hoc est inter L et LX Olympiades, et quorumdam opinionem irridet qui centum ante annis sub Numæ tempora eum vixisse tradiderant. Numerorum igitur, quales a Broterio restituti sunt, priores notæ satis constant: vereor ne in ultimis elementis adhuc sit erratum; nam si Romæ primordia in primum annum septimæ Olympiadis cadunt, sane impar numerus et fortasse CCXXI pro CCXXII expectandus erat. Sed hanc sententiam, a Dionysio Halicarn. egregie adsertam, fortasse non secutus sit Plinius. Ed.

4. *Magnitudine.* Conspicua scilicet, et qualis oculo nudo deprehenditur. Ed.

5. *Ut unius hujus.* Nec tamen toto cursu suo, sed quum minimum distat a terra, Venus umbram efficit; quam nos sæpe Lunari ferme parem mirati sumus. Keplerus in Opticis, p. 263, distincta lumina in pariete a se visa testatur, non Veneris modo, sed Jovis, et Spicæ: quod et nos, inquit Ricciolus in Almag. tomo I, lib. VII, sect. 1, cap. 7, non semel in Jove et Mercurio vidimus. Hard.

6. *Junonis.* Arist. lib. de Mundo, cap. II. Hygin. in Astron. lib. II, et Apuleius, lib. de Mundo. Lepide Aug. de Civit. Dei, lib. VII, cap. 15: « Luciferum enim quidam Veneris, quidam dicunt esse Junonis. Sed, ut solet, Venus vincit. Nam multo plures eam stellam Veneri tribuunt, etc. » Hard.

7. *Isidis.* Forte quia Isidem nonnulli, eamdem esse Junonem putarunt, ut scribit Diod. Sicul. Bibl. lib. I. Hard.

8. *Matris Deum.* Mater Deum

lavere. Hujus natura cuncta generantur in terris. Nam- 9
que in[9] alterutro exortu genitali[10] rore conspergens, non terræ modo conceptus implet[11], verum animantium quoque omnium stimulat[12]: Signiferi autem ambitum peragit trecentis[13] et duodequinquagenis diebus, ab Sole nunquam absistens partibus sex[14] atque quadraginta longius, ut Timæo placet.

apud Romanos. Natura rerum est vel per se, vel per Veneris stellam, cujns mirifica quædam vis est, magnos excelsosque animos existimata gignere, quales sunt principes viri ac feminæ; sed feminæ in primis. HARD. — Sic Hardninus. Quæ deinde adjicit ut *Matrem Deum*, sive *Cybelen*, præcipne valetndinis principum curam egisse contendat, vana et deridicula sunt, uniceque ex nummis quibusdam antiquis petita, ubi MATRI DEUM, MATRI MAGNÆ, MATRI DEUM SALUTARI, MATRI DEUM CONSERVAT. aut etiam CONSERV. AUG. legitur; quasi vero non in omnibus religionibus prævaleat, ut nunc huic, nunc illi divo salutem suam referant civitates et viri principes: nec rariora Jovis Statoris, Bonæ Fortunæ nomina in nummis etiam Romanis leguntur, quam Matris Denm, etsi Romæ Italiæqne fatis præfnturam illam cecinerant oracula, antequam Pessinunte adveheretur: Liv. XXIX, 10. Ejns vero sacra non infimum locum inter publicas religiones habnisse, testis *megalesiorum* annua celebritas, et ingens Gallorum sacerdotum Romam et in Italiam concursus, de quo apnd Juvenalem et alios satyricos sæpe agitnr. ED.

9. *In alterutro.* Sive exortu matutino, quum Luciferum agit: sive quum Vesperum, vespertino. HARD.

10. *Genitali rore.* Quemadmodum a Luna Tullins, de Natur. Deor. lib. II, p. 71, aliique aiunt, « multa manare et fluere, quibus et animantes alantur, augescantqne et pnbescant, maturitatemque assequantur quæ oriuntur a terra. » De vi prolifica Veneris multa poetæ fabulantur. Vide Lucretium initio libri primi. Porphyrius apud Euseb. lib. III, de Præpar. pag. 114, τὸν Ἀφροδίτης ἀστέρα γενεσιουργὸν καὶ γονῆς αἴτιον eodem sensu appellat. HARD.

11. *Implet.* Efficit, peragit. ED.

12. *Stimulat.* Snb. *conceptus*. Vet. apud Dalec. regimen verbo addidit vocem *naturam*, ex librarii capite ortam. ED.

13. *Trecentis.* *Trecenis* bene ex MSS. Reg. et Colb. 2. Errant autem Plinius et Timæus. Venus signiferi ambitum non peragit 348 diebus, sed nt recentis astronomiæ observationibus compertnm, diebus 224, horis 16, 41′ 32″ 4‴. Notandis veteris astronomiæ erroribns infinitus foret labor. BROT.

14. *Sex atque.* Immo si hodiernis astronomis fides, gradibus 47 cnm semisse a Sole interdnm removetur, quantum fere Luna quatriduana: id quod ante eos Pto-

10 Simili ratione, sed nequaquam magnitudine aut vi, proximum illi Mercurii sidus, a quibusdam appellatum Apollinis[1]: inferiore circulo fertur, novem[2] diebus ocyore ambitu, modo ante Solis exortum, modo post occasum splendens, numquam ab eo viginti[3] tribus partibus remo-
11 tior, ut hic[4] idem et Sosigenes docent. Ideo et peculiaris horum siderum ratio est, neque communis cum supra dictis. Namque[5] ea et quarta parte cæli a Sole abesse, et tertia, et adversa Soli sæpe cernuntur: majoresque alios habent cuncta plenæ conversionis ambitus, in[6] magni anni ratione dicendos.

lemæus vidit, in Almag. lib. X, cap. 1, et lib. XII. Hard.

1. *Apollinis*. Sic vocatur ab Apuleio, lib. de Mundo. Hard.

2. *Novem diebus ocyore ambitu*. Igitur diebus CCCXXXIX. Anno prope vertente Balbus dixit, apud Tull. de Nat. Deor. lib. II, a Mercurio signiferum lustrari orbem. Nostri in scientia siderali diligentiores, post dies octo et LXXX, fere aiunt, ad unum ex iis punctis reverti, unde digressus est: ac tardo quidem motu ea puncta versus ortum deferri, adeo ut annis XL, gradu uno promoveantur. Hard.

3. *Viginti tribus*. Ita rursum cap. 14, etsi varient exemplaria in his numeris exprimendis. MSS. quatuor habent, XXII; Astronomi hodie ad XXVIII gradus a Sole aiunt abscedere longissime. Ptolemæus in Almag. lib. IX, cap. 7, ad XXVI, cum semisse. Hard.

4. *Hic idem*. Pro *hic idem*, Vet. apud Dalec. *ctesias;* alii *cidenas* legunt, mendo manifesto. Infra quoque pro *ratio est*, Vet. apud Dalec. *statio est*. Ed.

5. *Namque ea*. Tria superiora sidera, quæ vocantur errantia. H.

6. *In magni anni*. Tractari, inquit, hæc debent ab iis, qui de anni magni ratione atque mensura instituunt quæstionem. Cave enim putes denotari a Plinio partem aliam historiæ suæ, quæ in hoc argumento versetur: quum in reliquo opere, de magno anno, nec vola, ut aiunt, nec vestigium appareat, nisi obiter, lib. X, cap. 2, ubi de phœnicis ævo. « Magnus annus efficitur, inquit Cicero, de Nat. Deor. lib. II, pag. 72, quum Solis et Lunæ et quinque errantium ad eamdem inter se comparationem, confectis omnium spatiis, est facta conversio. Quæ quam longa sit, magna quæstio est: esse vero certam et definitam, necesse est. » Magnum annum varie definiere Veteres, quorum opiniones recitat Ricciolus, tom. I, Almag. lib. III, cap. 13, et Censorinus ante eum, cap. XVIII. Hard. — Satis verisimile est Plinium de magno anno sibi dicendum proposuisse, sed postea per incuriam omisisse id quod

(IX). Sed omnium admirationem vincit novissimum sidus, terrisque[1] familiarissimum, et tenebrarum remedium ab natura repertum, Lunæ. Multiformi hæc ambage torsit ingenia contemplantium[2], et proximum ignorari maxime sidus indignantium : crescens semper, aut senescens; et modo curvata in cornua facie[3], modo æqua portione divisa[4], modo sinuata in orbem; maculosa, eademque subito prænitens; immensa orbe pleno, ac repente nulla; alias pernox, alias sera, et parte diei Solis lucem adjuvans; deficiens, et in defectu tamen conspicua; quæ mensis exitu latet, quum[5] laborare non creditur. 12
Jam vero humilis, et excelsa, et ne id quidem uno modo, sed alias admota cælo, alias contigua montibus, nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta. Quæ singula in ea deprehendit hominum primus Endymion[6]; et ob id amore ejus captus fama traditur[7]. Non sumus profecto grati erga eos, qui labore curaque lucem nobis aperuere in hac luce : miraque humani ingenii peste, sanguinem et cædes con- 13

sibimet et lectoribus promiserat. Cujus inconstantiæ jam exemplum aliud notavimus in præfatione. Ed.

1. *Terrisque*. Chiffl. *terris*. Dalec.

2. *Contemplantium*. Chiffl. *contemplantibus* : et paulo post *ignorare* pro *ignorari*. De re ipsa, constat adhuc inter astronomos nullum sidus plus habere molestiæ : ejus enim vel minimæ divagationes, ut e propinquo, sentiuntur, unde clarissimus Halley *sidus pertinax* appellabat. Ed.

3. *Facie*. Hoc verbum Dalec. et Elzev. non habent. Vet. apud Dal. *modo curvata*, *facie modo æqua*. Ed.

4. *Divisa*. Vet. *dividua* : sic et cap. 18. Dalec. Vide cap. 16. Ed.

5. *Quum laborare*. Si quum deficit, conspicua est, inquit, et tamen laborare existimatur; cur eadem in exitu mensis abdita, haud laborare tum creditur? Laborare Lunam Veteres putabant, quum deficeret : qua de re dicemus cap. 9. Hard.

6. *Endymion*. Ita ex Platone Anonymus lib. de Incredib. cap. XII : ὅτι πρῶτος Ἐνδυμίων etc. Princeps omnium Endymion siderum contemplationi operam dedit : quamobrem noctu vigilabat, plurimum dormiebat interdiu : atque idcirco ejus amore Luna capta esse dicebatur. Ita etiam Apollod. de Diis, lib. I. Tzetzes, Chiliad. 2, vs. 877. Fulgent. Mythol. lib. II, cap. ult. Hesychius, pag. 325. Hard.

7. *Traditur*. Vet. apud Dalec. *traditus*. Ed.

dere annalibus juvat, ut scelera hominum noscantur mundi ipsius ignaris.

14 Proxima ergo cardini[1], ideoque minimo ambitu, vicenis diebus septenisque, et tertia diei parte, peragit spatia eadem, quæ Saturni sidus altissimum triginta (ut dictum est) annis. Deinde morata[2] in coitu Solis biduo, quum tardissime tricesima luce rursus ad easdem vices exit; haud scio an[3] omnium, quæ in cælum[4] pernosci potuerunt, magistra: in duodecim mensium spatia oportere dividi annum, quando ipsa toties Solem redeuntem ad principia[5], consequitur: Solis[6] fulgore eam, ut reliqua siderum, regi; siquidem in totum[7] mutuata ab eo luce fulgere, qualem[8] in repercussu aquæ volitare conspicimus; ideo[9] molliore, et imperfecta vi solvere tantum

1. *Cardini.* Hoc est, terræ, ut ait ipse cap. 64. Certe ex implicatis orbibus ii sunt breviores, qui centro sunt axique omni ex parte propiores. Hard.

2. *Morata in coitu solis biduo.* Biduo fere propter conjunctionem solis obscurata, exin per XXVII aut XXVIII alios dies rursus conspicua evadit. Ed.

3. *Haud scio an.* Forte, forsitan, ut ita dicam. Ed.

4. *Pernosci.* Chiffl. *pronosci.* Ed.

5. *Ad principia.* Ad ea puncta unde cursum incepit, quæ non attingit nisi anno vertente, Luna eum jam duodecies consecuta. H.

6. *Solis fulgore eam, ut reliqua siderum, regi.* Sic Dalec. et Elzev. nisi quod *tegi* maluerunt. Harduinus ex MSS. ut ipse ait, *solis fulgore reliqua siderum regi*, voculis duabus male omissis. Ed.

7. *In totum.* Sic Dalec. et Elzev. Harduinus *in toto.* Sed vetus lectio præstat. Nam *in totum* pro *penitus*, *omnino*, Plinio familiaris est vox. Cfr. Indices. Ed.

8. *Qualem.* Subaudi *lucem;* ut modo, post verbum *fulgere*, subaudiendum fuit *Lunam.* Infra pro *repercussu aquæ*, Vet. apud Dalec. *repercussa aqua.* Ed.

9. *Ideo molliore*, etc. Idcirco, inquit, Luna minore prædita calore, tantummodo aquas Oceani solvere potest, vel etiam illas augere emanatione quadam sua, unde sol alatur. Sic veteres illi astronomiæ parentes, Oceani motus variis Lunæ vicibus respondentes interpretari putabant. Sidera oceano pasci Plinius ipse, hujus libri cap. 68, rursus affirmabit, et idem Lucanus dixerat: « Necnon oceano pasci Phœbumque polumque Credimus. » Astrorum vero emanationes, græcis ἀποφρροίας, ex astrologorum commentis in astronomiam receptas fuisse jam vidimus. De vi et calore

humorem, atque etiam augere, quem Solis radii absumant; ideo et[10] inæquali lumine aspici, quia ex[11] adverso demum plena, reliquis diebus tantum ex se terris ostendat, quantum ex Sole ipsa concipiat[12]; in coitu quidem non cerni, quoniam haustum omnem lucis aversa illo regerat, unde acceperit: sidera[13] vero haud dubie humore terreno pasci, quia[14] orbe dimidio nonnunquam[15] maculosa cernatur, scilicet nondum[16] suppetente ad haurien-

Lunæ, confer ingeniosas magis quam veras disputationes doctissimi cæterum et elegantissimi scriptoris Bernardin de St. Pierre, *Etudes de la nature*, tom. III. Ed.

10. *Ideo et.* Vet. apud Dalec. *Ideo autem.* Ed.

11. *Ex adverso.* Quum soli adversa est. Ed.

12. *Quantum ex sole ipsa concipiat.* Non quantum concipiat (nam dimidia sui parte semper illuminari eam ne Veteres quidem ignorarunt, et Plinius in proxima phrasi satis innuet): sed quantum ex illa lucida parte oculis nostris deprehendere possumus, variante sideris aspectu. Pro *concipiat*, Chiffl. apud Dalec. *conspiciat*, quod Menagio magis placebat. Ed.

13. *Sidera vero.* Stoicissat hoc loco Plinius, ut et Seneca ὁ Στωϊκώτατος, Quæst. Nat. lib. II, cap. 5, qui de terra agens, hinc proferri ait, quo sustineantur tot sidera, tam exercitata, tam avida, per diem noctemque, ut in opere, ita et in pastu. Anacreon lepide in eam sententiam: « Πίνει θάλασσα δ' αὔρας, Ὁ δ' ἥλιος θάλασσαν. » Scio hac etiamnum ætate astronomos haud obscuri nominis huic sententiæ patrocinari: sed dudum est quod ridiculam Aristoteles appellavit, Meteor. lib. II, cap. 2, pag. 551: « Διὸ καὶ γελοῖοι πάντες ὅσοι τὸ πρότερον ὑπέλαβον τὸν ἥλιον τρέφεσθαι τῷ ὑγρῷ. » Hard. — Hæc, et quæ sequuntur de maculis, fabulæ sunt, quæ vel a pueris, in tanta hoc ævo astronomiæ luce, ridentur. Brot. — Dalec. legit: *humore vero terreno, ut sidera, haud dubie pasci.* Menagio placebat ea lectio. Aliam proposuit Lætius in Elzev. Sed cave quidquam mutes: Plinius ait Lunam cælestium rerum optimam quasi magistram, nobis, quid de reliquis planetis sentiremus, ostendisse. Ed.

14. *Quia orbe.* Ex Lunæ nutrimento effici ait, similem esse aliorum siderum pastum: Lunæ autem cibum ejusdem maculis declarari putat. Hard.

15. *Nonnunquam.* Immo sæpius aut semper, quum luna, inquam, dimidia est. Tunc enim obliqui Solis radiis porriguntur in majus altorum montium umbræ, quæ macularum speciem in hoc sidere referunt. Ed.

16. *Nondum suppetente* etc. Plinius ex eorum sententia, qui sidera terreno humore pasci credebant, intelligit, attolli quidem ad Lunam

dum ultra justa vi; maculas enim non aliud esse quam terræ raptas cum humore sordes : (x) defectus autem suos[17], et Solis, rem in tota contemplatione naturæ maxime miram, et ostento similem, eorum magnitudinum, umbræque[18] indices exsistere.

1 VII. Quippe manifestum est, Solem interventu Lunæ occultari, Lunamque terræ objectu : ac vices reddi, eosdem Solis radios Luna interpositu suo auferente terræ terraque Lunæ. Hac subeunte repentinas obduci tenebras, rursumque illius umbra sidus hebetari. Neque aliud esse noctem, quam terræ umbram. Figuram autem umbræ similem[1] metæ, ac turbini inverso : quando[2] mucrone tantum ingruat, neque Lunæ excedat altitudinem[3] : quo-

permixtas illo humore sordes, sed in superficie hærere nec ultra penetrare, quandiu Luna crescens adhuc, et nondum adulta, haud satis valet ad illas penitus absorbendas. Nunc scimus aquarum vapores supra crassiorem aeris nostri regionem non exsurgere, et maculas istas in Luna ingentium vallium cavernis altorumque montium umbris effici. Ed.

17. *Defectus autem suos.* Lunæ scilicet, ac deinde Solis : ex quibus Luna ipsa docuit utriusque sideris et amborum umbræ magnitudinem posse intelligi. Hæc enim ad illa superioris capitis referuntur, unde male divulsa sunt hactenus ab iis qui Plinianum opus in capita digesserunt : *Haud scio an omnium quæ in cælo pernosci potuerunt, magistra.* Quare perperam Hermolaus, quem Lætius in editione sua est secutus, *suos* inducit, ut *ejus* reponat, repugnantibus MSS. et libris editis. Hard.

18. *Umbræque.* Et umbrarum magnitudinis, unde ipsorum siderum magnitudo argui potest. Ed.

VII. 1. *Similem metæ ac turbini inverso.* Conicam scilicet, et a terra tanquam basi sensim decrescentem, se demum acuto mucrone deficientem: hæc enim metæ figura Λ, illa autem turbinis V. Ed.

2. *Mucrone.* Non extremo quidem coni acumine, sed angusta illius parte quæ paulo infra mucronem est. Ed.

3. *Altitudinem. Latitudinem* magis probat Hermolaus, quod latitudinem disci Lunaris umbra terræ tegi compertum est. Sed *altitudinem* scripsisse Plinium, et MSS. codicum consensus suadet, et illud inprimis quod proxime sequitur : *Quoniam nullum aliud* supra Lunam *sidus obscuretur.* Hard. — Dicit Plinius terrestris umbræ mucronem fere in Lunam incidere, neque multum excedere ejus astri altitudinem; inde fieri, ut altiora sidera, Mars, Jupiter, Saturnusque, pares defectus non sentiant. Ed.

niam nullum aliud sidus eodem[4] modo obscuretur, et talis figura semper mucrone[5] deficiat. Spatio[6] quidem 2
consumi umbras, indicio sunt volucrum[7] prælti volatus. Ergo confinium[8] illis est aeris terminus, initiumque ætheris: supra Lunam pura omnia ac diuturnæ lucis plena. A nobis autem per noctem cernuntur sidera, ut reliqua lumina e tenebris[9]. Et propter has causas nocturno[10] tempore deficit Luna. Stati autem[11] atque menstrui non sunt utrique defectus, propter obliquitatem Signiferi, Lunæque multivagos[12], ut dictum est, flexus, non semper in scrupulis[13] partium congruente siderum motu.

VIII. (xi). Hæc ratio mortales animos subducit in cæ- 1
lum: ac velut inde[1] contemplantibus, trium[2] maximarum

4. *Eodem modo.* Hoc est, intercedente terra. Soli enim ex adverso esse Mercurius Venusque non possunt, nec ab eo tam longo, ut dictum est, dissident intervallo. Obscurari tamen alio modo, Lunæ scilicet interjectu, quis neget? Mars ipse etiam delibari fortassis umbra terræ potest, ut Keplero visum. H.

5. *Mucrone.* Dalec. et Elzev. *in mucronem.* Ed.

6. *Quidem.* Chiffl. apud Dalec. *eodem*; sed nullo sensu. Ed.

7. *Volucrum.* Quarum ante absumuntur umbræ, quam terram eæ pertingant. Hard.

8. *Ergo confinium illis est*, etc. Ergo ibi desinunt umbræ, ubi aeris terminus, ætheris initium est. Hanc quidem distinctionem aeris et ætheris hactenus non observaverat Noster. Ed.

9. *E tenebris.* Propter tenebras in quibus tunc degimus, dum astra in puro micant æthere. Lux enim non cernitur, nisi comparatione tenebrarum. Vet. apud Dalecampium *in tenebris* vult; sed male. Ed.

10. *Nocturno tempore.* Quia tunc averso Sole, terrestris umbra dirigitur in eam partem ubi Luna est. Ed.

11. *Stati autem atque menstrui non sunt.* In MSS. *stati autem atque non menstrui sunt.* Læt. — Figura ἓν διὰ δυοῖν: *stati atque menstrui*, hoc est, *singulis mensibus stati.* Infra dicet statos quidem esse defectuum reditus, sed post CCXXIII menses lunares. Ed.

12. *Multivagos.* Nunc in Aquilonem elata, nunc in Austros dejecta, ut dictum est superiore capite. H.

13. *In scrupulis.* Non semper movente se utroque sidere sub iisdem Eclipticæ partibus, sive punctis, unde Solis defectus oritur: aut in oppositis ex diametro, unde Lunæ deliquium. Scrupuli, nodi sunt, in quibus circuli, quos in suo cursu Sol et Luna efficiunt, se mutuo secant. Hard.

VIII. 1. *Inde.* Dal. et Elz. *deinde.* Ed.

2. *Trium maximarum.* Terræ, Lunæ, Solis. Aliquod his tribus

rerum naturæ partium magnitudinem detegit. Non posset quippe totus Sol adimi terris, intercedente Luna, si[3] Terra
2 major esset quam Luna. Certior ex[4] utroque vastitas Solis aperitur; ut non sit necesse amplitudinem ejus oculorum argumentis, atque conjectura animi scrutari: (immensum esse, quia arborum[5] in limitibus porrectarum in quotlibet passuum millia umbras paribus jaciat intervallis,

corporibus majus aliud fuisse aliquando existimatum in rerum natura, negat aperte Plinius; negat inter Veteres quemquam aliter sensisse: quod si fecisset aliquis, de more ipse, ut de mundis innumerabilibus, aliisque nonnullorum quamvis stultis opinionibus jam superius dixit, verbo saltem id indicaret. Hard.

3. *Si Terra major esset quam Luna.* Unus est hic locus ex iis, in quibus vel sideralis scientiæ imperitus, vel improbe fixisse crucem astronomis Plinius hactenus visus est. Corruptos illi codices conquesti sunt, atque in diversas deinde emendando conjiciendoque abiere partes. Zieglerus sic quidem legit: *Non posset quippe totus sol non adimi terris .... nisi terra major* vel *si terra non major esset quam luna.* Dalecampius: *Si luna major esset, quam terra.* Salmasius: *Si terra minor esset quam luna.* Miliehium is hac parte sequitur, ita rescribentem: *Non posset totus Sol non adimi terris, si terra minor esset, quam luna.* Plerique pugnantia secum locutum esse Plinium, et a veritate alienissimum arbitrati sunt, etc. Hard.— Frustra lectionem torserunt interpretes, quæ certissima est. Sed frustra etiam Plinii sententiam tuitus est Harduinus, quæ sine dubio falsa. Credidit enim Noster, errore prorsus non ignoscendo, et vel sui ævi astronomis deridendo, solares defectus universæ simul terræ vel saltem integro hemisphærio conspicuos esse. Hinc sibi optime constat. Nam capite superiore ingentem conum sive metam aut turbinem descripsit, cujus Sol basis esset, extrema vero acies in Lunam Soli aversam incurreret, ita ut orbis terraquei latitudo figuram illam secaret sub ipsum acumen sive mucronem. Quod si luna inter solem et terram denuo subiens, ejusdem coni latitudinem implere potest, sane lunaris orbis terrestri major existimandus est, quoniam talis figura a mucrone semper ad basim crescit. Sed, ut dixi, falsa sunt hæc, quod integri Solis defectus, nunquam ab universa simul terra, sed tantum ab exigua ejus parte conspici queant. Ed.

4. *Certior ex utroque.* Harduinus ex MSS. *tertia ex utraque*, sed nullo sensu; nos veterem lectionem restituimus. Ed.

5. *Arborum* etc. Arborum quæ agris aut viis prætexuntur, omnes parallelæ sunt umbræ, in quantumcumque spatium porrigatur illarum ordo. Hinc tamen potius distantia quam magnitudo Solis colligi potest. Ed.

tanquam toto spatio medius[6]; et quia per æquinoctium omnibus in meridiana plaga habitantibus, simul[7] fiat a vertice; item quia citra[8] solstitialem circulum habitantium meridie ad Septemtrionem umbræ cadant, ortu vero ad occasum : quæ fieri nullo modo possent, nisi multo, quam terra, major esset) : nec quod[9] montem[10] Idam exoriens latitudine exsuperet, dextra lævaque large amplectens, præsertim tanto[11] discretus intervallo. 3

Defectus Lunæ magnitudinem[1] ejus haud dubia ratione declarat, sicut terræ parvitatem ipse[2] deficiens. Namque quum sint tres umbrarum figuræ : constetque, si par lumini sit materia, quæ[3] jactat umbram, columnæ effigie jaci, nec habere finem; si vero major materia, quam lu- 4

6. *Medius.* Vet. apud Dalec. *Medias.* Ed.

7. *Simul fiat a vertice.* Absurde dictum ; nam aliis oritur, aliis occidit, dum aliis est a vertice; quod vel pueri sentiant. Ed.

8. *Citra solstitialem circulum.* Sic Vet. apud Dalecampium. Cæterum in edd. receptum est *circa*, non *citra*. Nostram tamen lectionem ipsa Plinii sententia fulcit. Iis inquit, qui citra solstitium habitant, meridie umbra in septemtrionem projicitur; ortu igitur non ad occasum, sed inter occasum et septemtrionem projici deberet, et tamen ad ipsissimum occasum vergit, propter immensam solis magnitudinem; melius dixisset, propter ejus distantiam. Ed.

9. *Nec quod.* Neque, ait, illis quos modo enumeravi argumentis jam opus est, ad Solis magnitudinem demonstrandam, nec quod montem Idam, etc. Ed.

10. *Montem Idam.* Sive Cretæ montem intelligat, sive Troadis, nihil interest. Narrat quiddam de Ida, Troadis monte, Pomponius Mela lib. I, cap. 18, quod Cretensi Idæ Solinus imprudens adscribit, cap. XI. Sed aliud longe est quam quod hic Plinius refert : quanquam Salmasius in Solin. et Voss. in Melam, hoc ipsum esse arbitrati sunt. Diodorum vide, lib. XVII. Bibl. pag. 492. H. — Vet. apud Dalec. *montes idem;* non male forsitan. Ed.

11. *Præsertim tanto discretus intervallo.* Præcedentibus argumentis Plinius distantiam potius quam magnitudinem Solis indicavit; sed ex oculorum testimonio cum distantia comparato facile colligi potest hujus astri vastitas. Ed.

1. *Magnitudinem ejus.* Solis. H.

2. *Ipse deficiens.* Ut dictum est superiore capite, quo Plinius falso contendit Terram esse Luna minorem. Ed.

3. *Quæ jactat.* Chiffl. apud Dalec. *jactans.* Ed.

men, turbinis recti, ut sit imum ejus angustissimum, et simili modo infinita longitudo; si minor materia, quam lux, metæ exsistere effigiem in cacuminis finem desinentem; talemque cerni umbram deficiente Luna: palam fit, ut nulla amplius relinquatur dubitatio, superari[4] magnitudine terram. Id[5] quidem et tacitis ipsius naturæ indi-
5 ciis. Cur enim[6] partitis vicibus anni brumalis abscedit? ut noctium opacitate[7] terras reficiat, exusturus haud dubie, et sic quoque exurens quadam[8] in parte: tanta magnitudo est.

1 IX. (XII). Et rationem quidem defectus utriusque, primus Romani generis in vulgus extulit Sulpicius[1] Gallus,

4. *Superari.* A Sole, scilic. HARD.

5. *Id quidem.* Vet. apud Dalec. *his quidem.* ED.

6. *Cur enim* etc. Cur enim Sol per dimidiam anni partem, per hiemem nempe, a terra longius abscedit? ED.

7. *Opacitate.* Sic codices omnes MSS. et editi ante Dalecampium qui *capacitate* substituit, vocem isto prorsus alienam loco: quanquam Latius in suis notis, *capacitatem* ait Plinium hic dixisse videri, pro longitudine. Nihil occurrit frequentius evolventi Veterum scripta, quam *noctes opacæ, opaca et frigida in silvis loca* etc. Sed Plinianæ lectioni favet inprimis Tullius, de Nat. Deor. lib. II, pag. 71: « Primisque sol ... ita moretur, ut quum terras larga luce compleverit, easdem modo his, modo illis partibus opacet » etc. H.

8. *Quadam in parte.* In zona torrida. Cave enim intelligas, ut si scriptum esset *quadam ex parte.* ED.

IX. 1. *Sulpicius.* Rem Livius narrat, lib. XLIV, cap. 37: « Castris permunitis, inquit, C. Sulpicius Gallus tribunus militum secundæ legionis, qui prætor superiore anno fuerat, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronuntiavit, nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse ... nec trahere in prodigium debere. Nocte, quam pridie Nonas Septemb. insecuta est dies, edita hora Luna quum defecisset, Romanis militibus Galli sapientia prope divina videri, etc. » Valerius quoque Max. lib. VIII, cap. 11, qui narrationem hoc eleganti concludit elogio: « Itaque illi, inquit, inclytæ Paulianæ victoriæ liberales artes Galli aditum dederunt: quia nisi ille metum nostrorum militum vicisset, imperator Romanus vincere hostes non potuisset. » Meminere etiam Frontinus, Strategem. lib. I, cap. 2. Quintilian. lib. I, cap. 10, 47. Plutarchus in Æmilio Paulo, pag. 260, hunc Lunæ defectum contigisse refert sub exitum æstatis. HARD. — Illa eclipsis contigit anno urbis conditæ DLXXXVI,

qui consul cum[2] Marcello fuit, sed tum tribunus militum,
sollicitudine exercitu liberato, pridie quam Perseus rex
superatus a Paulo est, in concionem ab imperatore pro-
ductus ad prædicendam eclipsim, mox et composito vo-
lumine. Apud Græcos autem investigavit primus[3] omnium
Thales Milesius, Olympiadis XLVIII[4] anno quarto, prædicto
solis defectu, qui Alyatte[5] rege factus est, Urbis conditæ
anno CLXX[6]. Post eos utriusque sideris cursum in sexcen- 2
tos annos præcinuit Hipparchus, menses[7] gentium, dies-
que et horas, ac situs locorum, et visus populorum com-

ante Christum 168. Luna defecit die 21 Junii, hora circiter octava a meridie. Brot.

2. *Consul cum Marcello fuit.* Anno U. C. DLXXXVIII. Ed.

3. *Primus omnium.* Id quoque narrant Herod. lib. I, Clio, n. 74. Laertius in Thalete, pag. 6, ex Eudemo historico, ex quo id pariter hausisse se ait Clemens Alex. lib. I, Strom. pag. 302. Plutarch. de Placitis Philos. lib. II, cap. 24. Tzetzes, chil. 2, v. 869. Hard.

4. *Olympiadis* XLVIII *anno quarto.* Annus quartus Olympiadis XLVIII fuit Urbis conditæ annus CLXIX ante Christum 585. Hoc anno die 28 Maii fuit illa eclipsis Solis, quam totam dicimus, *Eclipse totale;* flagranteque Lydorum ac Medorum pugna, dies repente in noctem mutatus est, teste Herodoto lib. I, n. 74. Hanc eclipsim astronomicis rationibus recte definiere cll. *Riccioli, le Comte*, et *Newton.* Cur autem Plinius scripserit defectum illum Solis factum esse Urbis conditæ anno CLXX haud dixerim. Forte usus est rotundo numero; forte etiam Tarrotiana computandi ratione, quæ anno uno Varronianos Urbis Romæ annos antecedit. Brot.

5. *Alyatte.* Ἀλυάττης Gygis pronepos, Sardium tyrannus, Crœsi pater, qui Alyatticus idcirco ab Horatio appellatur. Bellum is tum gerebat cum Cyaxare Medorum rege, Astyagis patre, ut refert Herodotus, loc. citato, et Clemens Alexandrinus. Hard.

6. *Anno* CLXX. Hard. DLX, ex cod. reg. 4972, Chiffl. et M. apud Dalec. et Elzev. cum plerisque, CLXX, quæ bona est lectio, si Plinius, ut videtur, fastos capitolinos secutus est. Vide superiorem Broterii notam. Ed.

7. *Menses gentium.* Hoc est, ephemerides conscripsit, effecitque ut gentes interlunia possent pleniluniaque prænoscere. Dies item et horas, hoc est, dierum magnitudines adnotavit; situs locorum, distantiam ab Æquatore, et boreali polo; denique visus populorum, hoc est, quod astronomi diversitatem aspectus appellant. Hæc ab Hipparcho fuisse digesta ordinatim, auctor est etiam Ptolemæus, Geogr. lib. I, cap. 4. Hard. — De Hipparcho, plura dicta sunt in Auctorum elencho. Ed.

plexus, ævo[9] teste, haud alio modo, quam consiliorum naturæ particeps. Viri ingentes supraque[10] mortalium naturam, tantorum[11] numinum lege deprehensa, et misera hominum mente absoluta[12], in defectibus scelera[13] aut mortem[14] aliquam siderum pavente (quo[15] in metu fuisse Stesichori[16] et Pindari vatum sublimia[17] ora palam[18] est deliquio Solis), et in Luna veneficia arguente mortalitate,
3 et ob id crepitu[19] dissono auxiliante. Quo pavore, igna-

9. *Ævo teste.* Temporum lapsu et sæculorum experientia supputationes ejus comprobante. Ed.

10. *Supraque mortalium naturam.* Supple, *existimandi.* Vet. apud Dalec. *supraque mortalia.* Ed.

11. *Tantorum numinum.* Solis, Lunæ, Siderum, quæ alibi etiam numina vocavit. Ed.

12. *Absoluta.* Metu soluta. Hard.

13. *Scelera.* Siderum scelera appellat, bella, grandines, eluviones aquarum, cæterasque calamitates et infortunia, quæ immitti innoxiis hominibus ab iratis in defectu suo sideribus putabantur. Hæc enim portendi defectione Solis, cecinit Pindarus in eo hymno, cujus partem recitat Dionysius Halicarn. in opusc. de Demosthenis gravitate in dicendo, pag. 167. Ejus hymni initium est, Ἀκτὶς ἀελίου ... πολέμου δ' ἢ σᾶμα φέρεις τινὸς, ἢ καρποῦ φθίσιν, ἢ νιφετοῦ σθένος ὑπέρφατον, ἢ στάσιν οὐλομένην, etc. etc. Hard. — Dalec. et Elzev. *stellarum scelera.* Ed.

14. *Aut mortem.* Exstinctionem luminis. Hinc laborare Luna in defectu putabatur, ut mox dicemus. Hard.

15. *Quo in metu.* Vet apud Dal. *quo in mente.* Ed.

16. *Stesichori.* Himeræus fuit e Sicilia vates: cujus ingenii formam Quintilianus describit, lib. X, cap. 1. Horatius, lib. IV, Carm. Ode 9, *Stesichori graves Camœnas* vocat, quod maxima bella, et clarissimos duces cecinerit. Hujus fragmenta collegit Henricus Stephanus, inter Lyricos hic poetas. Quod hic de Stesichoro Pindaroque Plinius refert, etiam apud Plutarchum legitur, lib. de Facie in orbe Lunæ, pag. 931: Στησίχορον καὶ Πίνδαρον ἐν ταῖς ἐκλείψεσιν ὀλοφυρομένους τὸν φανερώτατον κλεπτόμενον, etc. Hard.

17. *Sublimia ora.* Sic Velleius lib. I, sub finem: *nisi Thebas unum os Pindari illuminaret.* Ed.

18. *Palam est deliquio solis*, etc. Dalec. *palam est deliquia Solis et in Luna.* Alii aliter interpunxerunt; nos Elzevirios secuti sumus. Ed.

19. *Crepitu dissono.* Æris ac pelvium. Juvenalis agens de clamosa muliere, Satyra VI, v. 440 et sqq.

Verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves et tintinnabula dices
Pulsari. Jam nemo tubas, atque æra fatiget:
Una laboranti poterit succurrere Lunæ.

Lunam deficientem quum antiqui viderent, maximos sonitus et fragores edebant, quod laboranti se succurrere inani ea superstitione

rus causæ, Nicias[20] Atheniensium imperator, veritus classem portu[21] educere, opes eorum afflixit. Macti[22] ingenio este, cæli interpretes, rerumque naturæ capaces, argumenti repertores, quo Deos hominesque vicistis[23]. Quis enim hæc cernens, et statos siderum (quoniam ita placuit appellare) labores[24], non suæ necessitati mortalis genitus ignoscat? Nunc confessa de iisdem breviter atque capitulatim attingam, ratione admodum necessariis locis strictimque reddita: nam neque instituti operis talis argu-

crederent. Existimabant quippe idcirco deficere, quod magicis sagarum incantationibus cogeretur in terram descendere, ac nescio quo virulento rore in herbas despumare, quo veneficæ uterentur. Lunam vero, ne devocaretur e cælo, tum laborare ac reluctari; sed vinci tandem carminibus, nisi æris tinnitu et incondito strepitu ad carmina sagarum obsurdesceret, et in ea lucta laboranti Lunæ obstrepera mortalium superstitio succurreret. Pleni sunt poetarum libri bis nugis. Etiam in christianorum mores mos ille irrepsisse aliquando videtur, quum in eos Maximus Taurin. invehatur, homilia de defectu Lunæ, quod magnos clamores deficiente Luna summa contentione tollerent: Et S. Audoenus, lib. II, vitæ S. Eligii, cap. 15. Hard.

20. *Nicias*. Refert hæc fuse Plutarchus in Nicia. Quintilian. lib. I, cap. 9, et alii. Hard.

21. *Portu*. Syracusarum, cujus partem occupaverant Athenienses, prius obsidentes, tunc obsessi. Thucydides in primis consulendus, lib. VII, cap. 50. Ed.

22. *Macti ingenio*. Nibilo minus eleganter versibus laudat astronomos Ovidius, Fast. I, 296 sqq.:

Felices animos, quibus hæc cognoscere primis,
  Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitiisque locisque
  Altius humanis exseruisse caput...
Admovere oculis distantia sidera nostris,
  Ætheraque ingenio supposuere suo
Sic petitur cælum: non ut ferat Ossan Olympus,
  Summaque Peliacus sidera tangat apex.

Hard.

23. *Vicistis*. Homines quidem vicistis, quibus cælestium rerum præscientia tanto antecellitis: Deosque ipsos, earumdem deprehensione rerum, quas latere tandiu hominibus voluerunt. Legit Pintianus *vinxistis*, hoc sensu: paris fere sortis conditionisque fecistis, necessitati, perinde ac mortales, obnoxios Deos. Cui emendationi favet sane orationis textura ipsa, favet et Seneca ante laudatus: at consensus omnium exemplarium adversatur. Hard. — Vet. apud Dal. *vinxistis*. Latius in Elz. *junxistis* ab aliis legi testatur, quod sane malim quam *vicistis*, aut *vinxistis*, cæterum Harduino plane consentiens. Ed.

24. *Labores*. Ita poetæ vocant. Virgil. Æneid. lib. I, vs. 742: « Hic canit errantem Lunam, Solisque labores. » Hard.

mentatio est : neque omnium rerum afferri posse causas, minus mirum est, quam constare in aliquibus.

1 X. (XIII). Defectus ducentis viginti tribus[1] mensibus redire in suos orbes certum est : Solisque defectum[2] nonnisi novissima primave fieri Luna, quod vocant coitum[3]; Lunæ autem, nonnisi plena, semperque citra[4] quam proxime fuerit[5]. Omnibus[6] autem annis fieri utriusque sideris de-

X. 1. *Ducentis viginti tribus mensibus.* Ita plane legendum esse demonstrat ipse siderum, Solis, ac Lunæ cursus, consensusque librorum veterum, ut Chiffletiani codicis teste Dalecampio, editionis Romanæ 1470, Parm. 1476, Tarvis. 1479, et Venet. 1483. Nam in his constanter legitur CCXXIII mensibus, et in Itala versione Christophori Landini, Venetiis anno 1476, *certo che gl' eclypsi in ducento venti tre mesi ritornano a' suoi cerchi.* Editio Veneta, anni 1496, prior scripsit CCXXII, quam ceteræ deinceps perperam sunt secutæ. Plinium confer cum Martiano Capella, libro VIII, cap. de XII partibus latitudinis Zodiaci, ubi CCXXXV menses requirit, hoc est annos XIX. Vide et Ricciolum tom. I, Almag. pag. 349, ubi Keplerum ait in epist. Astron. pag. 895, affirmare, « ob multa principia concurrentia ad eclipses præsertim solis, nullum esse revolutionis exactum ordinem nobis notum : loquendo tamen de lunaribus, quæ simpliciores sunt, insignem esse periodum mensium CCXXIII, seu annorum lunarium XVIII; ita ut ad cyclum decemnovennalem residuus sit unus lunaris annus simplex. Hoc enim periodo plerumque redeunt eclipses, non multum differentes, denis tamen gradibus Zodiaci antecedentes. » HARD. — Dalec. et Elz. *viginti duobus*, male. Princeps editio, Venet. 1469, cum ceteris ab Harduino laudatis consentit, nec dubitationi locus restat. Broterius, qui et Harduinum secutus est, monet tamen illam periodum CCXXIII mensium, ut recurrant eædem eclipses lunares, non esse curatissimam. « Nam, inquit ille, post annos ducentos non redeunt eclipses juxta ordinem periodi annorum XVIII, seu mensium Lunarium CCXXIII. Inde eclipsis Lunæ a Tychone observata die 31 Januarii, anno 1580, non rediit die 10 Junii, hoc anno 1778. » Lectoresque idem remittit ad Cl. HALLEY, *Transact. Philosoph.* N° 194, anno 1691, et Cl. GENTIL, *Mémoires de l'académie royale des sciences*, an. 1756, pag. 58. ED.

2. *Defectum.* Chiffl. *defectus.* ED.

3. *Coitum.* Solis et Lunæ conjunctionem. ED.

4. *Semperque citra.* Hoc est, non in eadem parte cæli, in qua proxima eclipsis animadversa fuerit; sed in parte magis occidentali. H. — Hoc est, quod Keplerus aiebat loco supra citato ad not. 1 : « eclipses redire denis gradibus Zodiaci antecedentes. ED.

5. *Fuerit.* Chiffl. *fuerint.* ED.

6. *Omnibus autem.* Hoc est, intra

fectus, statis[7] diebus horisque, sub terra : nec tamen,
quum[8] superne fiunt, ubique cerni, aliquando propter nu-
bila, sæpius[9] globo terræ obstante convexitatibus[10] mun-
di. Intra[11] ducentos annos Hipparchi sagacitate comper- 2
tum est, et Lunæ defectum aliquando quinto mense a
priore fieri; Solis[12] vero, septimo : eumdem[13] bis in tri-

unius cujusque anni spatium. Hoc vero demonstrant Tabulæ Eclipsium Astronomicæ, apud Ricciolum, tom. I, Almag. lib. V, pag. 389. Hard.

7. *Statis diebus.* Vide supra, ad cap. 7, not. 11. Ed.

8. *Quum superne fiunt.* Dalec. *quum fiant, superne ubique cerni:* Vet. apud eumdem, *quum fiunt.* Elzev. *quum fiant superne, ubique cerni.* Ed.

9. *Sæpius globo.* Impediente globositate terræ, cælique convexitate, quominus cerni possint *ab oriente deliquia in occidente facta*, inquit Martianus, lib. VI, pag. 193: «et quæ in ortu accidunt, a tota Britannia atque occasus regionibus ignorantur.» Hoc versibus eleganter expressit Manilius, Astron. I, 220:

Mediique tumores
Eripiunt terræ cælum, visusque coercent.
Te testem dat, Luna, sui glomerabilis orbis:
Quæ quum mersa nigris per noctem deficis umbris,
Non omnes pariter confundis sidere gentes:
Sed prius Eoæ quærunt tua lumina gentes;
Post medio subjecta polo quæcumque coluntur;
Ultima ad Hesperios infestis volveris alis.
Quod si plana foret tellus, simul icta per omnes
Deficeret pariter toti miserabilis orbi;
Sed quia per teretem deducta est terra tumorem,
His modo, post illis apparet Delia terris, etc.
Hard.

10. *Convexitatibus mundi* Vet. ap. Dalec. *e convexitatibus.* Elzev. *et convexitatibus*, quod libenter amplectar. Sed etiam Harduini lectio defendi potest: *convexitatibus*, hoc est, propter convexitates. Ed.

11. *Intra ducentos.* Ducentos, inquit, ante annos vixit Hipparchus, cujus sagacitate compertum est, etc. Tantum enim temporis intercessit inter Hipparchi Pliniique ætatem. Neque vero sensus est, ut existimavit vir alioqui extra ingenii aleam positus, exspectandos esse annos ducentos, ut recurrat lunæ defectus quinto mense, quum vel intra annos decem animadversum fuerit ætate nostra geminam ita recurrere: primo nempe, 14 Junii et 9 Novemb. anno 1658, ac rursum 10 Novemb. 1668, et 15 April. anni 1669. De hoc porro delectionum Lunæ recursu, qui fit quinto mense, subscribit Plinio Ptolemæus, lib. VI, Almag. cap. 6. H.

12. *Solis vero.* Ita Ptolemæus loc. cit. Tale intervallum fuit septem fere mensium inter solarem eclipsim anni 1623 Octob. 23, et anni 1624 Maii 18. Tale et ab eclipsi item solari 16 Januar. 1684 ad aliam 12 Julii. Hard.

13. *Eumdem bis in triginta diebus.* Ita correximus, quum *eamdem* prius legeretur: secuti codices MSS. Reg. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. et Milichii conjecturam: quod his omnibus præstat, Ptolemæum ipsum, qui

ginta diebus supra terras occultari, sed[14] ab aliis atque aliis hoc cerni : quæque sunt in hoc miraculo maxime mira, quum conveniat umbra terræ Lunam hebetari, nunc[15] ab occasus parte hoc ei accidere, nunc ab exortus : et quanam ratione, quum Solis exortu umbra illa hebetatrix sub terra esse debeat, semel jam acciderit, ut in occasu Luna deficeret, utroque[16] super terram conspicuo
3 sidere. Nam ut[17] quindecim diebus utrumque sidus quæ-

lib. VI, Almag. cap. 6, in eodem habitat argumento de Solis defectuum recursu bis in mense. Mathematicis rationibus Ricciolus id evincit, tom. I, Almag. lib. V, theoremate 5. De Sole certe Plinium esse locutum, vel ipsa latini sermonis ratio clamat, quæ Solem in defectu supra terras occultari dicit, non Lunam, quam etiam in ipso defectu esse conspicuam dictum est, cap. 6. Hard.

14. *Sed ab aliis.* Hoc illud est quod Ricciolus ait loc. cit. non posse Solis eclipsim in uno mense bis fieri versus eumdem polum, posse versus alterum: hoc est, priorem eclipsim visum iri a Borealibus, ab Australibus alteram, aut vice versa. Hard.

15. *Nunc ab occasus.* Nunc ab occidente, nunc ab oriente Lunam obscurari. Subtilius arbitror quam quod Plinius intellexit, illud quod Ricciolus excogitat, loc. cit. cap. 13, sententiam videlicet hujus loci esse : « quanquam ordinarie Lunæ eclipsis incipiat ab orientali Lunæ parte, et desinat in occidentali: evenire tamen aliquando, ut incipiat ab occidentali, desinatque in orientali » quod et Keplerus accidere posse ostendit, in Astronom. Optica, cap. xi, probl. 31. Id vero sane infrequens, ac permirum debet videri, si vel semel accidit. Hard. — Ricciolo potius et Keplero, quam Harduino, fidem in talibus tribuas. Verum sensum Ricciolus vidit; neque sane Plinius inter maxime mira astronomiæ prodigia retulisset rem notissimam vulgatissimamque. Ed.

16. *Utroque super terram conspicuo sidere.* Id contigit in horizontalibus eclipsibus, refractionum vi. Quod autem tempore Plinii semel fuerat observatum, illud quoque recentioribus observationibus 17 Julii 1590, 30 Novembris 1648, 16 Junii 1660, comprobatum. Brot. — Non dicit Plinius semel hoc observatum suo tempore, sed omnino semel. Neque enim veteres illos astronomos non aliquid latebat eorum quæ in cælo fiebant. Ed.

17. *Nam ut quindecim.* Ut intra dies quindecim sidus utrumque deficeret, haud ita magnam, inquit, admirabilitatem habet: nam et ævo nostro id contigit. Quod porro Plinius accidisse suis temporibus ait, id frequenter nostra quoque vidit ætas; uti anno 1666, 16 Junii, deliquium patiente Luna; Sole, 2 Julii. Anno 1681, Luna quarto

reretur[18], et nostro ævo accidit, Imperatoribus[19] Vespasianis, patre IV[20], filio iterum Consulibus.

XI. (XIV). Lunam semper aversis a Sole cornibus, si crescat, ortus spectare, si minuatur, occasus, haud dubium est. 1
Lucere[1] dodrantes semuncias horarum ab secunda adji-

Martii; Sole, 19. Anno 1683, Sole deficiente 27 Jan. Luna, 9 Feb. etc. Anno 1307, Sol defecit die 11 Februarii; Luna deinde post dies quindecim, die 26 ejusdem mensis. Pro *quindecim* antea *duodecim* legebatur, atque ita legit Dungalus in epist. ad Carolum Magnum, tom. X spicilegii, pag. 151. Librariorum incuria sæpe contigit, ut in Pliniano contextu notæ numerorum confunderentur. Facit vero in primis affinitas harum notarum *u* et *ii*, in veteribus libris, ut invicem magno chronologiæ rei periculo permutentur. Quanquam primæ notæ codices R. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. Tolet. et alii, atque Parisiensis editio anni 1543, diserte *quindecim* exprimunt, sine ullis notarum compendiis. HARD.

18. *Quæreretur.* Eclipsim pateretur. Ridicule Pinetus et Landinus, gallice alter, alter italice verterunt, tanquam integros dies quindecim nec Sol nec Luna conspicui fuerint. Confirmat tantum hac observatione Plinius id quod sæpius a neotericis observatum monet Harduinus, nota superiore. ED.

19. *Imperatoribus.* Vide notam, initio Plinianæ præfationis. ED.

20. *Patre IV, filio iterum consulibus.* Annus Christi vulgaris fuit LXXII, quo anno die 8 Februarii, Sol defecit in Italia ante meridiem et die 22 ejusdem mensis Luna defecit sesquihora fere post occasum Solis Romæ, uti ex tabulis astronomicis collegit Ricciolus in Chronolog. Reform. lib. IV, pag. 161. HARD. — Hic quoque nobis est annus Jesu Christi 72, urbis conditæ DCCCXXV. Sed ecce monet Broterius nullam hoc anno eclipsim solarem mense Februario fuisse; anno vero sequenti, U. C. DCCCXXVI, Christi 73, solem defecisse die 23 Julii, Luna die 6 Augusti, secundum accuratissimas tabulas clarissimi PINGRÉ. Ergo doctissimis inter se viris de re mathematicis rationibus assequenda non convenit. Nec raræ sunt hujus modi controversiæ; et ut verum dicamus, sive astronomis, sive chronologis imputandi sunt errores, nondum ex astronomicis observationibus historia multum profecit. Nota in hoc Plinii loco non quartum, sed tertium Vespasiani patris consulatum in codd. designari. Numerum IV restituit Harduinus, ut eum plerisque fastorum interpretibus consentiret: sed Dalec. et Elz. legunt *patre III, filio iterum coss.* quam lectionem etiam Broterius prætulit. Ambages ubique et tenebræ. ED.

XI. 1. *Lucere dodrantes.* Lucet Luna a secunda post novilunium die, adjiciens singulis diebus dodrantem horæ et semunciam: tanto enim citius quolibet die oritur usque ad plenilunium; tantumdemque detrahit, ac serius oritur eadem, quam

cientem usque ad plenum orbem, detrahentemque in diminutionem[2]. Intra quatuordecim[3] autem partes Solis,
2 semper occultam esse. Quo argumento amplior errantium stellarum[4], quam Lunæ, magnitudo colligitur: quando illæ et a septenis[5] interdum partibus emergant[6]. Sed altitudo

minuitur. Dodrans tres quartas, ut vocant, horæ partes complectitur. Semuncia pars est unius horæ quarta et vicesima, sive minuta duo cum semisse. Summa igitur est minutorum $47\frac{1}{2}$ quibus citius in singulos dies Luna, quam pridie, oritur. Ita secunda post novilunium die, sive post coitum Solis ac Lunæ, Luna post occasum Solis lucet minutis horæ $47\frac{1}{2}$; die sequenti, hora una et minutis 35; et sic deinceps, donec totum orbem compleat. At post plenilunium tantumdem detrahit temporis, hoc est, prima die post plenilunium non oritur Luna post Solis occasum, nisi $47\frac{1}{2}$ horariis minutis; secunda die, nonnisi post horam, et minuta 35, etc. Vide Keplerum in Astron. Optica, cap. 6, et Ricciolum, lib. IV, cap. 4. Fortassis exactius paulo locutus est Plinius, lib. XVIII, cap. 75, ubi in eodem argumento babitat: qua de re eo loco dicemus. HARD. — Loco citato Plinius non dodrantem semunciam, id est $\frac{9}{12}+\frac{1}{24}$ sive $\frac{19}{24}$ unius horæ, sed dextantem sicilicum lunæ accrescere dicit, id est $\frac{10}{12}+\frac{1}{48}$ sive $\frac{41}{48}$. Ergo nunc minutas $47\frac{1}{2}$, nunc $51\frac{1}{4}$ numeravit, nec tamen veritatem assequi potuit, siquidem spatio distant inæquali Lunares ortus, inter quos si medium quis terminum quærat inveniet circiter 54 vel 55 horæ minuta. ED.

2. *Diminutionem.* Chiffl. apud Dalec. *deminutionem* exhibuit. ED.

3. *Intra quatuordecim.* Quum distat a Sole gradibus tantum quatuordecim. HARD.

4. *Errantium stellarum.* Ita codices MSS. omnes: quamobrem frustra Salmasius, pag. 722, corrigit, *errantium ceterarum*, quod Luna etiam una sit errantium. At stellas errantes Plinius appellat eas duntaxat, quæ minores nobis e septem apparent: Solem ac Lunam stellarum nomine nusquam comprehendit; sed vel siderum, vel rerum naturæ partium maximarum, oculorum nempe judicio. HARD. — Recte: sed profecto sibi pugnat Harduinus, qui supra, initio cap. 8, voces has *trium maximarum naturæ partium* ad verbum intelligendas, non ex oculorum judicio, contendebat. Hoc autem, qui nunc agitur, loco, feliciter Plinius ex improba argumentatione veram colligit sententiam. Ampliores Luna sunt errantes stellæ; quod tamen citius e radiis Solis emergunt, id fit non propter majorem illarum amplitudinem, sed propter diversam radiorum Solis incidentiam, quod geometricæ demonstrant rationes. ED.

5. *Et a septenis.* Etiam et Venus, quum quinque partibus sive gradibus a Sole digressa est, oculis ipsis detegitur: per telescopium vero, etiam in Sole conspectum sidus illud scimus. HARD.

6. *Emergant.* Conspicuæ fiant. ED.

cogit minores videri : sicut affixas[7] cælo Solis[8] fulgor interdiu non cerni, quum[9] æque ac noctu luceant, idque manifestum fiat defectu[10] Solis, et præaltis[11] puteis.

XII. (xv). Errantium autem[1] tres, quas supra Solem diximus[2] sitas, occultantur, meantes[3] cum eo. Exoriuntur vero matutino[4], discedentes partibus nunquam amplius undenis[5]: postea radiorum ejus contactu reguntur[6]: et in

7. *Affixas cælo.* Stellas ipsas, quas cælo affixas credidere antiqui. Brot.

8. *Fulgor.* Chiffl. *fulgore.* Ed.

9. *Quum æque ac noctu.* Dalec. *quum æque diu ac noctu*, nescio qua auctoritate. Sed Latius in Elzev. ac deinde Harduinus, veram codd. lectionem restituerunt. Ed.

10. *Defectu.* Dalec. *defectibus.* Ed.

11. *Ac præaltis puteis.* Notissima observatio præaltis e puteis, nullo tum Solis officiente fulgore, stellas interdiu cerni posse. Ed.

XII. 1. *Errantium autem tres.* Mars, Jupiter, Saturnus. Hard.

2. *Diximus sitas.* Dictum hoc supra, cap. 6. Dalecamp. *dicimus*, male. Ed.

3. *Meantes cum eo.* In conjunctione cum Sole. Horum quatuor siderum errantium motum apparentem egregie describit D. Cassini, in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1709, pag. 247. Hard.

4. *Exoriuntur.* Visibiles oriuntur paulo ante solis ortum. *Matutino*, suppl. tempore, ut sæpe alias apud Plinium. Ed.

5. *Nunquam amplius undenis.* Sic libri omnes, etiam manu exarati. At Julius Firmicus, lib. II, cap. 9: « Sciendum, inquit, quod Saturni stella, quum a Sole duodecim recesserit partibus, id est, quum præcedens orta fuerit, matutina erit: simili modo etiam Jupiter undecim partibus recedens, matutinum se facit præcedentem : Mars autem octo. » Quin Plinius ipse paulo post diserte ait Solem iterum, ubi est stellas assecutus in duodenis partibus, illas occultare, quum vespertini fiunt occasus. Eodem certe intervallo temporis ante Solem oriuntur, quo post illum occidunt. Denique Plinii transcriptor Martianus, qui lib. VIII, pag. 299, cap. de stella Saturni : « Ortus tam ei, inquit, quam duobus inferioribus sunt similes : quum ultra partes duodecim, eas matutini radius non præcesserit Solis. » Hard. — Salmasius locum invertit, et pro *nunquam* proposuit *nonnunquam*, quod a Plinii mente non minus quam a manuscripta lectione distat. Priore quidem capite dixerat planetas a septenis interdum partibus emergere; nunc undenis ad summum partibus. Sibi ergo optime constat : nec nimium a Julii Firmici rationibus differt, quamvis ille duodecim partibus Saturnum, ut videri incipiat, a sole discedere jusserit, undecim tantum Jovi circumscribens, octo non amplius Marti, quod verum est. Ed.

6. *Reguntur. Reguntur*, scripsimus,

triquetro[7] a partibus centum viginti stationes[8] matutinas

non ut prius *teguntur*, ex codd. Reg. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. etc. ac Turnebi favente conjectura. Tegi sane hæc sidera post exortum matutinum, qui tandem possunt? Admonuit me hujus emendationis Vitruvius, l. IX, c. 4: «Quemadmodum, inquit, omnes res evocat fervor, et ad se ducit.... eadem ratione Solis impetus vehemens, radiis trigoni forma porrectis, insequentes stellas ad se perducit, et antecurrentes veluti refrænando retinendoque non patitur progredi, sed ad se cogit regredi et in alterius trigoni signum esse, etc.» Et librum octavum Martianus ita concludit pag. 300: «Sed cursus diversitates, altitudinisque, causas consistendi, retrogrediendique, atque incedendi, omnibus supradictis importat radius Solis affulgens, qui eas percutiens aut in sublime tollit, aut in profundum deprimit, aut in latitudinem declinare, sive retrogradare facit.» Hæc veterum mathematicorum opinio fuit, qui causam motus planetarum conjecerunt in aspectus Solis. Hos refellit Ricciolus, tom. I, Almag. lib. VII, sect. v, cap. 3. Haud multum absunt ab eo errore novi mathematici, quos inter Keplerus: quum ad magneticas Solis tractiones, quibus planetas trahat et circumducat, referunt hos diversos motus, sive retardandi, sive sistendi, sive incitandi, seu denique retrahendi causas. Confirmat rursum emendationem nostram ipse Plinius, qui cap. 13, de iisdem stellis agens, «percussæ, inquit, Solis radio inhibentur rectum agere cursum, et ignea vi levantur in sublime.» H. — Posteaquam, inquit, videri cœpti sunt planetæ, atque e Solis vicinitate emerserunt, totus eorum cursus Solis radiis in eos decidentibus, et aut repellentibus, aut attrahentibus, regitur. Hunc sensum egregie firmant allati ab Harduino loci. Pudet igitur me cum Dalec. et Elzev. diu legisse *teguntur*; quæ scriptura mihi tunc apertissima videbatur, nunc absurdissima. Ed.

7. *Et in triquetro*. Hoc est, in aspectu trino, sive trigono. Vitruvium vide, libro IX, cap. 4. Aspectus planetarum trigonus, seu triangularis vocatur, quum distant inter se duo planetæ tertia cæli parte, hoc est, gradibus 120, seu quatuor signis Zodiaci. Porro Keplerus in Epitome Astron. pag. 744, aliique recentiores astronomi, loca stationum haud paria tribus superioribus planetis assignant: sed Saturno inter quadratum ac trinum Solis aspectum, propius tamen quadrato; Jovi fere in trino; Marti ultra trinum. Hard.

8. *Stationes matutinas*. Stationarius planeta dicitur, quando stare videtur per aliquod tempus in eadem parte Zodiaci, et sequenti die apparet in eodem loco, quo fuit præcedenti. Matutina statio vocatur et prima, in tribus superioribus planetis, de quibus nunc quæstio instituitur, ea quæ exortum planetæ matutinum sequitur. Hard. — Has, ut vocant, stationes errore videntium fieri nunc constat, quoties arcus a planeta descriptus, propter immensam locorum distantiam, et ipsam orbitarum latitudi-

faciunt, quæ et primæ vocantur; mox[9] in adverso, a partibus centum octoginta, exortus vespertinos. Iterumque[10] in centum viginti ab[11] alio latere appropinquantes[12], stationes vespertinas, quas[13] secundas vocant: donec assecutus in partibus duodenis occultet illas; qui vespertini occasus appellantur. Martis stella ut propior, etiam ex[14] 2

nem, cum linea tangenti confundi potest, versus nos directa, et quæ, si ad terram usque porrecta intelligatur, oculos nostros pertranseat. Ed.

9. *Mox in adverso.* In oppositione Solis, ut loquuntur astronomi: quum a Sole absunt longissime, hoc est, media parte cæli, sive gradibus 180. Oriri tum dicuntur ortu vespertino, sive acronycho: qui fit, quum ascendit stella supra horizontem ortivum, Sole occidente. Codices tamen omnes MSS. Reg. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. etc. *max in averso* legunt, ut idem fortassis aversum sit quod lævum, seu orientalis pars cæli, in qua tum stella oritur, Soli adversa. At Martianus, lib. VIII, pag. 300: « Moxque in contrario in CLXXX partibus exortus faciunt vespertinos. » Hard.

10. *Iterumque.* Dalec. *itemque.* Ed.

11. *Ab alio latere.* Hæc totidem fere verbis Martianus loc. cit. Peracta est statio matutina, seu prima, orientali mundi plaga, stellis ab orientali latere Soli vicinis: nunc vicissim in oppositis, hoc est, in occiduis mundi partibus eædem positæ, alio latere a Sole 120 partibus pariter disjunctæ, consistere rursum videntur, ac stationem facere, quam vespertinam et secundam vocant, quia vespertinum planetæ occasum, et conjunctionem cum Sole antecedit: donec Sol, qui multo est in suo motu velocior, eas assecutus, ita ut duodecim graduum intervallo, non amplius, ab eis dissideat, occultet illas: atque hæc occultatio, occasus planetarum vespertinus heliacus appellatur. Hard. — Occasus planetæ vespertinus dicitur, quo die desinit post occasum Solis supra horizontem aliquantisper oculis se præbere manifestum. Ed.

12. *Appropinquantes.* Dalecamp. *appropinquante*, sed forsitan typographico mendo. Ed.

13. *Quas secundas.* Dalec. et Elz. *quas et secundas.* Ed.

14. *Ex quadrato.* Planetæ ceteri tertia cæli parte distant a Sole, quum stationarii fiunt et vocantur, hoc est, 120 partibus. Mars vero, quum quarta tantum cæli parte disjungitur, hoc est, gradibus 90, tum radiis Solis quasi retrahitur ac revocatur, et stationem facit. Unde hic motus nomen accepit: nam quum ab exortu matutino apparet, nonagenarius primus; quum ab vespertino, secundus nuncupatur: hoc est, primus, quum in statione prima, seu matutina moratur; quum in secunda, seu vespertina, secundus. In MSS. R. 1, 2, Chiffl. etc. legitur ab LXXX partibus, haud satis recte, ut opinor. Nam receptam lectionem vidit et secutus est Martianus, lib. VIII, pag. 299. H.

quadrato sentit radios, ab nonaginta[15] partibus : unde et nomen accepit is motus, primus et secundus nonagenarius dictus ab utroque exortu. Eadem stationalis[16] senis mensibus commoratur in signis, alioqui bimestris : quum cæteræ utraque statione quaternos menses non impleant.

3 Inferiores[1] autem duæ occultantur in coitu vespertino, simili modo : relictoque[2] Sole, totidem in partibus faciunt exortus matutinos : atque[3] a longissimis distantiæ suæ metis Solem insequuntur : adeptæque occasu matutino conduntur ac prætereunt. Mox[4] eodem intervallo vespe-

15. *Ab nonaginta.* Vet. ap. Dal. *et ab octoginta.* Chiffl. *octoginta*, sine præpositione. Vide notam priorem. Interpres Gallicus Poinsinet de Sivry, vel qui notas ei ministravit, hanc lectionem defendere conatur, quod verba hæc *sentit radios* non de statione, sed de emersione Martis accipiat; qui tamen non octoginta, sed octo partibus a sole distans, cerni incipit; itaque non est audiendus vir optimus. Ed.

16. *Eadem stationalis.* Stella Martis, inquit, suo proprio cursu bimestris est, hoc est, duobus mensibus signum unum pervagatur; binis ferme annis duodena, ut dictum est, cap. 6. Eadem ab una statione ad alteram, menses senos insumit : cæteræ, Jovis et Saturni, vix quaternos. Hard. — Hic sensus e Plinii verbis manifesto elici non potest. Mars, inquit, quum stationalis est, in eodem signo, triginta cæli partes aut gradus continente, senis mensibus immoratur, quum alioqui binis mensibus hoc spatium conficiat. Minus pigri sunt alii planetæ. Ed.

1. *Inferiores.* Venus et Mercurius, simili modo ac superiores planetæ, radiis Solis teguntur, in coitu seu conjunctione cum Sole; latentque sic usque ad emersionem matutinam, sive ortum matutinum heliacum, qui fit similiter in duodenis partibus a Sole, ascendente stella supra horizontem, paulo ante Solis exortum, quem pone se relinquere. Hard.

2. *Relictoque Sole.* Vet. ap. Dalec. et Chiffl. codex, posteaque Latius in Elzev. *relictæque a Sole.* Ed.

3. *Atque a longissimis.* Inde longissime recedunt a Sole, Venus scilicet gradibus xlviii, Mercurius xxviii, ut diximus cap. 6. Ubi ad cursus sui metas longissimas pervenerunt, concitato cursu regrediuntur ad Solem ortivum, et horizontem : quem ubi sunt assecutæ, occidere dicuntur occasu heliaco matutino : conduntur enim radiis Solis, desinuntque conspici, neque ad emersionem vespertinam, ad quam deinde cursum accelerant. Hard. — In Chifletii codice deest *a* præpositio. Ed.

4. *Mox eodem intervallo.* Partium sive graduum duodecim intervallo a Sole dissitæ velocitate sua emergentes, oriuntur ortu heliaco ve-

re[5] exoriuntur, usque ad quos diximus terminos : ab[6] his retrogradiuntur ad Solem, et occasu vespertino delitescunt. Veneris stella et[7] stationes duas, matutinam vespertinamque, ab utroque exortu facit, a longissimis[8] distantiæ suæ finibus. Mercurii stationes breviore[9] momento, quam ut deprehendi possint[10].

XIII. Hæc est luminum occultationumque ratio, perplexior motu[1], multisque involuta miraculis. Siquidem[2] magnitudines suas et colores mutant; et eædem[3] ad Septemtrionem accedunt, abeuntque ad Austrum; terrisque propiores aut cælo repente cernuntur : in quibus aliter 1

spertino; quis post Solis occasum luminis sui libertate clarescunt, inquit Msrtianus, lib. VIII, pag. 290, hoc est, apparere tum primum incipiunt in horizonte occidentali : ibique deinceps videntur in dies singulos vesperi altiores, usque sd quos diximus terminos, hoc est, ad maximam digressionem a Sole : post quam illæ rursum regredinntur ad Solem, a quo demum occultantur. Atque hæc occultatio, vespertinus occasus heliscus appellatur : descendunt enim ab horizonte paulo post Solis occasum, ac deinceps sub ejus rsdiis delitescunt. At discrepat a Plinio Ptolemæus, qui lib. XIII, Almag. cap. 7, vespertinum Veneris exortum statuit fere in gradu sexto s Sole; Mercnrii, in undecimo cum semisse. Hard.

5. *Vespere*. Dalec. et Elzev. *vesperi*. Ed.

6. *Ab his*. Chiffl. *ab hisce*. Ed.

7. *Et stationes*. In Chiffl. et in Vett. omnibus deest τὸ *et*, Dalecampio teste. Ed.

8. *A longissimis*. Ubi longissime discessit s Sole, post utrumque exortum matutinum sc vespertinum, matutinam vespertinamque stationem facit, ibi tunc fscts tsrdior et retrograda. Hard. — Voculam *a* deleri voluisset Dalecampius. Ed.

9. *Breviore momento*. Biduo triduove, vel forte qustriduo, ut dicetur cap. 14. Hard.

10. *Possint*. Dalec. et post eum Poinsinet de Sivry, *possit*. Testatur tamen ipse Dalecampius in Chiffl. legi et in slio MS. *possint*. Ed.

XIII. 1. *Perplexior motu*. Difficilioris explicatus, quam ratio motuum. H. — Malim intelligere : perplexior ob inconstsntism motus. Sequentibus Plinii verbis in hanc opinionem addncor. Dalec. et Elz. *perplexiore motu*; quæ lectio nostrum sd sensum sccedit. Ed.

2. *Siquidem et colores*. Apparent enim maxims, et luminosa magis, quum propius ad terras accedunt. Hard. — Terra scilicet et errantes stellæ, in orbibus excentricis suos quæque cursus peragentes, nunc plus, nunc minus inter se distant. Ed.

3. *Eædem*. Chiffl. apud Dslec. *eadem*. Ed.

multa, quam priores, traditurі, fatemur ea quoque illorum esse muneris, qui primi quærendi vias demonstraverunt[4]: modo ne quis desperet sæcula proficere semper.

2 Pluribus de causis hæc omnia accidunt. Prima circulorum, quos Græci ἁψῖδας[1] in stellis vocant: etenim Græcis utendum erit vocabulis. Sunt autem hi sui cuique earum, aliique quam mundo[2]: quoniam terra a verticibus duobus, quos appellaverunt Polos, centrum[3] cæli est,
3 nec[4] non Signiferi, oblique inter eos siti. Omnia autem hæc constant ratione circini semper indubitata. Ergo ab alio cuique centro absides suæ exsurgunt: ideoque diversos habent orbes, motusque dissimiles, quoniam interiores absidas[5] necesse est breviores esse. (XVI). Igitur a[6] terræ centro absides altissimæ sunt, Saturno in[7] Scorpione,

4. *Demonstraverunt.* Sic veteres fere ad unam editiones. Harduinus *demonstraverint.* Ed.

1. Ἀψῖδας. Ἀψὶς, aut absis, græco verbo est fornix, curvatura, circuli arcus; non vero ipse circulus, quanquam Plinius *circulorum* nomen perperam huc attulerit. Astronomi enim veteres ἁψῖδας vocabant circuli ab unoquoque planeta descripti arcus duo, seu potius duo puncta, quorum unum terræ proximum περίγειον, alterum remotissimum ἀπόγειον dicebant. Ed.

2. *Quam mundo.* Quam cælo. H.

3. *Centrum cæli est.* Jam Pythagoras, posteaque Copernicus, Solem, minime vero Terram cæli centrum esse dixit: quod recentioris astronomiæ laudibus et observationibus receptum. Brot.

4. *Nec non Signiferi.* Qui legunt, *non Signiferi*, perperam hunc locum emendatione sua corrumpunt, contra omnium exemplarium fidem, atque adeo contra Plinii mentem: qui solos stellarum errantium circulos diversum a cælo, stellisque quæ cælo ac Signifero affixæ sunt, centrum habere docet. Hard.

5. *Interiores.* Centro propiores. Hard.

6. *Igitur a terræ.* Ita fere Martianus ex Plinio, lib. VIII, pag. 299. Ἀψὶς altissima, est summus apex circuli excentrici, in quo planeta maxime a centro terræ distat: quod punctum Græci ἀπόγειον vocant. Humillima contra, sive infima, est punctum ejusdem circuli, in quo planeta quam minime distat a terra: περίγειον iidem Græci appellant. Si planeta habeat in Ariete absidem altissimam, infimam obtinebit in Libra, et sic de reliquis. H.

7. *Saturno in Scorpione.* Quoniam stellæ fixæ a prisco illo veterum astronomorum ævo progressæ sunt versus ortum gradibus fere 30; Zodiacus verus, seu visibilis, signis

Jovi in Virgine, Marti in Leone, Soli in Geminis, Veneri in Sagittario, Mercurio in Capricorno, mediis omnium[8] partibus : et e contrario, ad[9] terræ centrum humillimæ atque proximæ. Sic fit, ut tardius moveri 4
videantur, quum altissimo ambitu feruntur : non[10] quia accelerent, tardentve naturales motus, qui[11] certi ac singuli sunt illis; sed quia deductas ab summa abside lineas coarctari ad centrum necesse est, sicut in[12] rotis radios; idemque motus alias major, alias minor, centri propinquitate sentitur.

pæne integris dissidet a signis Zodiaci invisibilis, quem immobilem, et in duodecim partes æquales sectum, prima parte statuta in intersectione æquatoris et obliquæ Solis orbitæ, retinent hodieque astronomi : adeo ut Arietis astrum visibile sub Tauro sit Zodiaci invisibilis, Taurus sub Geminis, hoc est, sub tertia parte dodecatemorii : nam Arietem semper vocant primam e Zodiaci duodenis partibus, etsi nunc illa subest, ut dixi, Tauri constellationi. Inde minime mirandum est, absidas planetarum nunc temporis esse mutatas. Sunt enim absides altissimæ planetarum hoc ævo, ut refert Ricciolus tom. I, Almag. Saturni quidem, in Sagittarii gradu 28; Jovis, in Libræ gradu 9; Martis, in Leonis 30; Solis in Cancri gradu 7 cum semisse; Veneris in Libra, Mercurii in Capricorno. E contrario minimæ, Saturni in Geminis, Jovis in Ariete, Martis in Aquario, etc. in partibus totidem. Hard.

8. *Mediis omnium partibus.* Nempe quinto decimo cujusque signi gradu. Ed.

9. *E contrario.* In oppositis Zodiaci signis : vid. sup. quæ annotaverit Harduinus, not. 7. Ed.

10. *Non quia.* Sic Harduinus. Dalec. et Elz. *non quod.* Ed.

11. *Qui certi ac singuli sunt illis.* Vet. apud Dalec. *qui certi singulis sunt.* Ed.

12. *Sicut in rotis radios.* Radii rotæ, quo propiores sunt axi, sive centro, hoc magis inter se coarctantur : quo ab eodem axe longius abscedunt, hoc inter se spatii plus relinquunt. Hinc fit ut illud cæli spatium quod planeta lustrat, et ex quo ad oculum nostrum angulus ducitur, alias decurri tardius videatur, dum planeta absidem summam obtinet, quia id spatium longe majus apparet; alias celerius, dum terræ propinquat, quia tunc angulus, qui ab utroque spatii limite ducitur, quo magis ad centrum accedit, eo angustior breviorque est, atque adeo celerius confici sentitur. Hard. — Vet. apud Dalec. *sicut in rotæ radiis idem motus*, etc. Lex ea in physicis notissima : celeritatem puncti circumacti pro portione radii esse; sicut vis quæque, vecti incumbens, pro vectis longitudine augetur. Ed.

5 Altera sublimitatum[1] causa : quoniam a suo[2] centro absidas altissimas habent in aliis[3] signis. Saturnus in Libræ parte vicesima, Jupiter Cancri quintadecima, Mars Capricorni vicesima octava, Sol Arietis[4] decima nona, Venus Piscium vicesima septima, Mercurius Virginis decima quinta, Luna Tauri tertia.

6 Tertia altitudinum[1] ratio, cæli mensura, non[2] circuli intelligitur : subire eas, aut descendere per profundum aeris, oculis existimantibus.

1. *Altera sublimitatum.* Cur sublimes, inquit, stellæ spectentur, altera ex eo causa petitur, quod a suo centro, hoc est, a circumferentia extima circuli sui excentrici, alias absidas, sive circulos altissimos habent, quos epicyclos vocant. Tunc enim non ἀπόγειον modo sidus appellatur, sed et ἀπογειότατον, quum in absidum, ut aiunt, linea, atque in eo epicyclo circulo, longissime discedit a centro terræ: quod in aliis signis contingit, quam quæ superius appellata sunt. Hard.

2. *A suo centro.* Nempe ab orbitæ suæ centro, a qua plus minusve distabat planeta, dum secundarios illos circulos describeret, vulgo *epicyclos*, quorum centra in primarii circuli peripheria collocaverat error astronomorum. Ed.

3. *In aliis signis.* Quam quæ modo dicta sunt. Saturnus enim in Scorpione ἀπόγειος, in Libræ vicesimo gradu ἀπογειότατος, et sic de reliquis. Ed.

4. *Arietis decima nona*, etc. Dalecampius et antiquiores : *arietis vicesima nona*, *Venus piscium decima sexta .... Luna tauri quarta.* Restituit hunc locum Harduinus paulo audacioribus, sed, ut opinor, felicibus conjecturis ex Julio Firmico, lib. II, cap. 4, unde hæc verba profert : « Sol igitur in Arietis parte decima nona exaltatur; in Libræ vero decima nona dejicitur. Luna exaltatur in Tauri parte tertia; in Scorpionis tertia parte dejicitur. Saturnus exaltatur in Libræ parte vicesima; in Ariete rursus decima nona parte dejicitur. Jupiter exaltatur in parte Cancri quintadecima; dejicitur vero in Capricorni decima quinta. Mars exaltatur in Capricorni parte vicesima octava; dejicitur vero in Cancri parte XXVIII. Venus exaltatur in Piscium parte vicesima septima; dejicitur vero in Virginis parte XXVII. Mercurius exaltatur in Virginis parte decima quinta; dejicitur vero in Piscium parte XV. » Monet idem Harduinus correctioni suæ favere codicem Chiffletianum in quo legitur : *arietis decima nona :* hinc merito suspectam esse etiam in reliquis vulgatæ lectionis fidem; quam et nos, illo duce, deserendam duximus. Ed.

1. *Tertia altitudinum ratio.* Tertia causa est, cur stellæ nunc altiores, nunc demissiores videantur, immensa cæli altitudo, qua falluntur oculi. Ed.

2. *Non circuli.* Non jam absidum varietas, modo descripta. Ed.

Huic connexa[1] latitudinum Signiferi, obliquitatisque causa est. Per hunc stellæ, quas[2] diximus, feruntur : nec[3] aliud habitatur in terris, quam quod illi subjacet; reliqua a Polis squalent. Veneris[4] tantum stella excedit eum binis partibus : quæ causa[5] intelligitur efficere, ut quædam animalia et in desertis mundi nascantur. Luna quoque per totam latitudinem ejus vagatur, sed[6] omnino non excedens eum. Ab his Mercurii stella laxissime, ut tamen e duodenis partibus (tot[7] enim sunt latitudinis) non amplius octonas pererret, neque has æqualiter, sed[8] 7

1. *Huic connexa.* Latitudinum ratio, inquit, habet aliquam connexionem et vicinitatem cum explicatione altitudinum. Est porro latitudo, stellæ distantia ab ecliptica, versus alterutrum polum.

2. *Quas diximus.* Errantes videlicet, de quibus hoc retulit, cap. 6. HARD. — Dalecampius : *per hunc stellæ, quas diximus errantes, feruntur.* Elzev. *per hunc stellæ, quas diximus, errantes feruntur.* Vox *errantes* e glossa nata est. ED.

3. *Nec aliud.* Ita sane creditum antiquis, quibus non erant septemtrionales plagæ lustratæ, ut nuper fuere. Desertos putarunt eos terrarum tractus, unde Zodiacus integer cerni non posset : de quibus Maro cecinit, Æneid. VI, 796 : « jacet extra sidera tellus, Extra anni Solisque vias. » Ubi vidend. not. nost. Virg. t. III, pag. 197. ED.

4. *Veneris.... binis partibus.* Binis gradibus versus singulos mundi polos extra Signiferum Venus evagatur. Igitur ab ecliptica Venerem putat hinc inde discedere gradibus octonis. Sunt enim Zodiaco utrinque ab ecliptica, ut mox dicetur, seni latitudinum gradus. Keplerus tamen, in Epitome Astron. Copern. lib. II, pag. 150, maximam Veneris evagationem ait esse graduum decem in Boream. Ex machinarum cælestium contemplatione, quas mirabili opere et arte summa confici Rex Christianissimus nuper jussit, quas et spectare nobis plures menses licuit, Venerem discedere ab ecliptica longissime sensimus, gradibus novem, minutis duobus et viginti : quod et Schottus animadvertit, lib. VIII, Astron. pag. 275. HARD.

5. *Quæ causa.* De hac vi prolifica Veneris, sed fabulosa illa quidem, dictum est cap. 6. HARD.

6. *Sed omnino.* Immo etiam, nec pererrans totum, si recentioribus credimus : nam ab Ecliptica discedere ea non existimatur, nisi gradibus quinque, et minutis octodecim, quum sex gradus integros latitudinis signifer habeat ab utroque eclipticæ latere. HARD.

7. *Tot enim sunt.* In duodecim gradus Zodiaci sive Signiferi latitudo dividitur, quam secat mediam Ecliptica. HARD.

8. *Sed duas medio.* Duas Zodiaci partes seu gradus pererrat, quum

8 duas medio ejus, et supra quatuor, infra duas. Sol deinde[9] medio fertur inter duas partes[10] flexuoso Draconum[11] meatu inæqualis. Martis[12] stella quatuor medias; Jovis[13] mediam et super eam duas; Saturni[14] duas (ut

ipse per medium incedit signiferum: supra, quum deflectit ad Aquilonem, per quatuor alias ejusdem partes vagatur: infra, quum descendit ad Austrum, discedit duabus. Sic latitudo Mercurii maxima, seu discessus ab ecliptica fuerit gradunm omnino quinque. Nunc amplius senos recentiores statuunt: nempe gr. 6, min. 54. Vide Schottum, loc. cit. et Ricciolum, tom. I, pag. 628. HARD.

9. *Sol deinde.* Solem ait per medium moveri Zodiacum, sub ea linea quæ Zodiacum in partes duas æquales secat: sic autem moveri inæqualiter, mox subeundo in Aquilonem, mox in Austrum descendendo, ut flexuosos draconum meatus imitari quodammodo videatur. HARD.

10. *Inter duas partes.* Interpretatur Harduinus inter duas signiferi dimidiati sectiones, quas linea ecliptica æquales utrinque facit. Nos eumdem sensum alio modo elicimus ex verbis. Nam *partes* pro *gradibus* accipere debuit hoc loco Plinius; duasque partes easdem hic innuit, quas supra de Mercurio loquens, *duas medio ejus*. Intellige igitur ferri Solem inter duos gradus ab ecliptica utrinque proximos, id est, per ipsam eclipticam; nisi Plinium turpi errore latitudinem duarum partium Soli etiam, qui nullam habet, tribuisse credas: vide infra Not. 14. ED.

11. *Flexuoso draconum meatu inæqualis.* Fortasse *meatui æqualis.* Fortasse Plinii mens est: Sol eclipticam sequitur annuo cursu, quotidianos interim orbes conficiens, et sic aliquo modo in spiram vertitur, ut Eudemus ait apud Stobæum. Aliter explicat Hard. not. 9. ED.

12. *Martis stella.* Igitur ab ecliptica discedit utrinque binis partibus. Ab ea sententia haud multum abludit recentiorum observatio, qui discessionem eam gradu uno, min. 51' 4'' circumscribunt. Ricciolus, loc. cit. cum Bulliardo. HARD.

13. *Jovis.* Jovis stella mediam Zodiaci partem pererrat, et super eam partes duas. Sic et nunc quoque Jovis discessum ab ecliptica, hoc ævo, astronomi uno tantum gradu utrinque dimidioque finiunt. HARD.

14. *Saturni duas, ut Sol.* Ricciolus et alii Saturnum duabus partibus cum semisse ab ecliptica discedere testantur. Parvus igitur error erit in Plinio, si pro verbis *ut sol* legas *utrinque*. Sed potius verba *ut sol* manifesta glossematis indicia præ se ferunt: grammatice enim legendum esset *ut solis*; nec logice verisimile est, in tantum errasse Plinium, ut Soli latitudinem duarum partium tribueret, quam manifesto nullam esse sciebat. Quippe linea ecliptica nihil aliud est quam apparens solis curriculum, aut orbita. Hunc autem locum nescio quo casu depravatum esse, jam hoc testatur, quod

Sol). Hæc erit[15] latitudinum ratio ad Austrum descendentium, aut ad Aquilonem subeuntium. Hac constare[16] et tertiam illam a terra subeuntium in cælum, et pariter scandi[17] eam quoque, æstimavere plerique falso : qui ut coarguantur, aperienda est subtilitas immensa, et omnes eas complexa causas.

Convenit stellas in occasu vespertino[1] proximas esse 9
terræ et latitudine[2] et altitudine : exortusque matutinos

in manuscriptis optimis, Reg. 2, et Chiffl. non *duas* legitur, sed *duabus*, quam lectionem etiam in textum recepit Harduinus, repugnante quamvis verborum textura et totius loci sensu. Ed.

15. *Hæc erit*. Colligendo quæ supra dicta sunt de planetarum latitudinibus, et veterum supputationem cum recentioribus calculis comparando, reperias maximam uniuscujusque sideris latitudinem hanc esse :

	Plinio	Neotericis
Veneris	8°	9° 22′
Lunæ	6°	6°
Mercurii	5°	6° 54′
Solis	o	o
Martis	2°	1° 51′
Jovis	1° 30′	1° 30′
Saturni	1° (vel 2°)	2° 30′

Apparentem signavi latitudinem; non veram, quam antiqui novisse non poterant. Notat Bouquerus maximam planetarum latitudinem, si a Sole conspici possint, hanc fore : Veneris, 3° 23′ 30″, Mercurii 7° 0′ 0″, Martis 1° 50′ 54″, Jovis 1° 19′ 30″, Saturni 2° 30′ 36″; sed hanc a terra majorem minoremve videri, prout in eclipticæ alio vel alio loco consistimus, plusve minusve a planeta distamus. Quare non est tenuibus numerorum particulis nimis insistendum. Ed.

16. *Hac constare*. Tertiam altitudinis stellarum causam, de qua dictum est paulo superius, e cæli mensura petitam, hoc est, ex elevatione planetæ supra horizontem, quidam putarunt eamdem esse cum latitudinum ratione : rati quoties stella est elevata illa tertia altitudine, tunc quoque latitudinem esse maximam. Triplici illi coarguuntur ratione. Hard.

17. *Et pariter scandi eam quoque*. Vet. apud Dalec. *pariter et descendentium quoque*. Proponit Dalecampius, *et per aera quoque descendentium*. Sed *latitudinem scandi*, id est, in latitudinem discedere planetas, sæpe dicit Plinius; neque mutari quidquam oportet. Ed.

1. *In occasu vespertino*. Quum vespere cerni desinunt, a Solis conjunctione parum remotæ. Ed.

2. *Et latitudine*. Latitudine quidem, quia tum descendunt in Austrum, quæ pars cæli humilior existimatur vulgo; sunt enim tum in latitudine meridionali : altitudine vero, quia sunt in perigeo : adeoque viciniores terræ sunt eæ et latitudine simul, et altitudine. H.

in initio cujusque[3] fieri; stationes, in mediis[4] latitudinum articulis, quæ vocant Ecliptica[5]. Perinde confessum est, motum augeri[6], quandiu in vicino sint terræ : quum abscedant in altitudinem, minui. Quæ ratio[7] Lunæ maxime sublimitatibus approbatur. Æque non est dubium, in exortibus matutinis etiamnum[8] augeri : atque a stationibus primis[9] tres superiores[10] diminui usque ad stationes secundas. Quæ quum ita sint, manifestum erit ab exortu matutino latitudines scandi[11], quoniam in eo primum habitu[12] incipiant parcius adjici motus; in stationibus vero

3. *In initio cujusque fieri.* Latitudinis, altitudinisque : latitudinis quidem, quia tunc latitudinem borealem habent; altitudinis, quia tum scandunt apogeum. Hard. — Locus ita corruptus et intricatus, ut nullum inde sensum elicere possis, salva grammatica ; nam *cujusque* pro *utriusque* vix dici potest. Ed.

4. *In mediis.* In media latitudinum via, quam eclipticam vocant, quoniam contingere ibi eclipses soleant. Hard.

5. *Ecliptica.* Vocant sic puncta sive nodos, in quibus eclipticam lineam secat planetæ cujusque orbita. Ed.

6. *Motum augeri.* Sic videbant, sic credebant antiqui, concitatiorem esse in perigeo, tardiorem in apogeo planetarum motum. Quod autem illi de apogeo et perigeo credebant, astronomi nostri de aphelio et perihelio demonstrant, tardius volvi planetas, quo partem orbitæ suæ, semper, ut diximus, excentricæ, a sole remotiorem occupant. Ed.

7. *Quæ ratio.* In apogeo enim, quum magis recedit a nobis, et est sublimior, moveri ea tardius videtur; celerius, quum depressior est, et in perigeo. Hard.

8. *Etiamnum.* Pro *etiam*, usitatissima Pliniò loquendi formula. Sic Harduinus ex MSS. emendavit. Dalec. et Elzev. *etiam numerum*; numerum nempe graduum intelligentes, sicut infra *detrahi numerus* dicetur; quam lectionem probat et defendit Poinsinet de Sivry, numerumque hunc Gallice vocat *accroissement numérique*. Alii, teste Latio in Elzev. legere malunt *etiam motum*. Ed.

9. *Primis.* Stationes primæ sunt, quæ et matutinæ; secundæ, quæ et vespertinæ nuncupantur, uti dictum est cap. 12. Hard.

10. *Tres superiores.* Saturnus, Jupiter et Mars, ut supra dictum fuit. Ed.

11. *Latitudines scandi.* Planetam incipere tum temporis ab ecliptica discedere in Aquilonem per latitudinem borealem : quoniam tum primum incipit lentius progredi motus. Hard.

12. *Habitu.* Ita MSS. omnes, Reg. Colb. Chiffl. non, ut editi, *abitu*. Hard.

primis altitudinem subire [13], quoniam tum primum incipiat detrahi numerus [14], stellæque retroire. Cujus rei ratio privatim reddenda est. Percussæ [15] in qua diximus parte [16], et triangulo Solis radio inhibentur rectum agere cursum, et ignea vi levantur in sublime. Hoc non protinus intelligi potest visu nostro, ideoque existimantur stare, unde et nomen accepit statio. Progreditur deinde 11
ejusdem radii violentia, et retroire cogit vapor repercussus [17]. Multo id magis in vespertino earum exortu, toto Sole averso [18], quum in summas absidas expelluntur, minimeque cernuntur, quoniam altissime absunt, et minimo feruntur motu; tanto minore [19], quum hoc in [20] altissimis absidum evenit signis. Ab exortu [21] vespertino latitudo descenditur [22], parcius jam se minuente motu;

13. *Altitudinem subire.* Apogeum scandere, quum minui motus incipit: hoc est, quum moveri tardissime, immo et retrogredi stellæ videntur. Hard.

14. *Detrahi numerus.* Numerus nempe partium quas certo temporis intervallo emetiuntur; unde Dalecampius et alii supra legebant *etiam numerum augeri.* Vide not. 8. Cæterum nostra et Harduini lectio ex Chiffletii codice desumpta est. Nam Dalec. et Elzev. *incipiant detrahi numeri.* Ed.

15. *Percussæ.* Nam solis radiorum contactu planetas regi credebant, ut dictum est cap. 12, initio; et ab illis, prout sub alio vel alio perculsi essent angolo, vel impelli vel retrahi. Ed.

16. *In qua diximus parte.* Quum stella distat a Sole 120 partibus: est enim id in cælo triquetrum. H. — Chiffletii codex, *aversa.* Dalec. et Elzev. *adverso.* Sensus idem. Ed.

17. *Vapor repercussus.* Hoc est, calor Solis. Rectius forte *repercussas*, ut ad stellas vox illa pertineat. Hard. — Lectionem *repercussas* admisit Poinsinet de Sivry. Ed.

18. *Toto Sole averso.* Sive adverso, hoc est, in horizonte fere exortivo posito. Hard.

19. *Tanto minore.* Chiffl. *tanto minores.* Ed.

20. *Quum hoc in altissimis.* Altissimas a centro suo absidas unicuique planetæ, (epicyclum circulum hodie nuncupant); singulis deinde absidibus sua signa adscripsit paulo superius, in explicanda altera sublimitatum causa. Hard.

21. *Ab exortu.* Sicut e contrario paulo ante dixit: « Ab exortu matutino latitudines scandi, quoniam in eo primum habitu incipiant parcius adjici motus. » Hard.

22. *Descenditur.* Elzev. *descenditur parcius, jam* etc. Quod et secutus est Gallicus interpres. Ed.

non tamen ante stationes secundas augente [23], quum et altitudo descenditur, superveniente ab alio latere radio, eademque vi rursus ad terras deprimente, quæ sustule-
12 rit [24] in cælum ex priore triquetro. Tantum interest, subeant radii, an superveniant [25]. Multoque eadem magis in vespertino occasu accidunt. Hæc est superiorum stellarum ratio: difficilior reliquarum [26], et a nullo [27] ante nos reddita.

1 XIV. (XVII). Primum igitur dicatur, cur [1] Veneris stella nunquam longius XLVI partibus [2], Mercurius viginti tribus [3]

23. *Augente.* Sic Vet. apud Dalecamp. et Chiffl. Legit Dalecampius, *agente;* sed idem proponit *augescente.* Ed.

24. *Sustulerit.* Elzev. *sustulerat.* Non male. Ed.

25. *Superveniant.* Vet. apud Dalec. *desuper veniant.* Ed.

26. *Reliquarum.* Veneris et Mercurii; qui ut Soli et Terræ propiores, ita propter varietates aspectuum, motus habere videntur intricatiores. Ed.

27. *A nullo.* Quid sibi vult Plinius? An ipse, astronomus jam derepente factus, systema parat omnino suum? Non credo: sed restricto sensu, *a nullo Latinorum* intelligo. Ed.

XIV. 1. *Cur Veneris stella.* Vide quæ diximus cap. 8. Consentit his Cicero, de Nat. Deor. lib. II, pag. 72, de Mercurio : « Neque a Sole longius unquam unius signi intervallo discedit, tum anteverteus, tum subsequens. » Item de Venere, pag. 73 : « Neque unquam ab Sole duorum signorum intervallo longius discedit, tum antecedens, tum subsequens. » — In libris hactenus editis legebatur, *Primum igitur dicatur, quum sint diversæ stellæ, cur Veneris stella,* etc. Verum hæc clausula, *quum sint diversæ stellæ,* in probatissimis codd. deest, quales sunt Regius uterque, Chiffl. aliique: nataque videtur ex prava lectione verborum sequentium, *cur Veneris stella:* unde conflatum primo, *cum universæ stellæ,* ut in vet. cod. Dalec. postmodum, *cum diversæ stellæ,* ut in editis. Nam quo tandem hæc verba spectant? Hard. — Menagio quoque et Cl. Salm. insititia videbatur clausula, *quum sint diversæ stellæ.* Poinsinet de Sivry tamen illam in textum restituit; sed parum idoneis rationibus defendere conatur omnino jam desertam lectionem. Ed.

2. *XLVI partibus.* Chiffletii codex XXXVI. Alii XLI. Sed recentiores astronomi supputant maximam Veneris a Sole distantiam esse XLVII partium et fere dimidiæ, adnotante Poinsinet de Sivry. Ed.

3. *Viginti tribus.* Chiffl. et Vet. apud Dalec. *viginti.* Recentiores astronomi etiam triginta partium distantiam admittunt. Ed.

a Sole abscedant, sæpe citra eas[4] ad Solem[5] reciprocent. Conversas[6] habent utræque absidas, ut infra Solem sitæ : tantumque[7] circulis earum sub terra est[8], quantum superne prædictarum : et ideo non possunt abesse amplius, quoniam curvatura absidum ibi[9] non habet longitudinem majorem. Ergo utrique[10] simili ratione modum statuunt[11] absidum suarum margines, ac spatia longitudinis latitudinum evagatione[12] pensant. At enim 2
cur non semper ad quadraginta sex, et ad partes viginti tres[13] perveniunt? Immo vero[14]. Sed ratio canonica

4. *Citra eas.* Citra prædicta spatia. Nam utrumque planetam, antequam limites suos attigerit, *interdum reciprocare*, id est, reverti, rursus accedere ad Solem, Venerem scilicet a XLV partibus, Mercurium vero ab XVIII, astronomi fatentur. Ed.

5. *Reciprocent.* « Retrogradatione sui, viciniæ Solis admotæ, » inquit Martianus, lib. VIII, cap. de stella Mercurii. Hard.

6. *Conversas.* Chiffl. *sic conversas.* Intelligo : convexam circulorum suorum orbitam Soli objiciunt; reliqui autem planetæ et Soli superiores concavam, ideoque contrariam præcedentibus aut inversam. Quidni pro *conversas* edidi quoque *convexas?* sed deerat mihi codicum auctoritas, sine qua nihil audendum. Sic pro *utræque*, quod statim sequitur, mallem *utraque*, si liceret. Ed.

7. *Tantumque.* Non absolute scilicet, sed pro portione : nempe dimidia pars cujusque circuli. Ed.

8. *Sub terra est.* Sic Chiffletii codex, quem Harduinus sequi non dubitavit. Dal. et Elz. *subter est.* Ed.

9. *Ibi.* Quum ad illam Solis distantiam pervenerunt, ultra procedere non possunt, deficiente circuli longitudine, id est, amplitudine. Sic enim interpretor; nec multum Harduini commentis immoror, ovatas huc figuras adducentis. Ed.

10. *Utrique.* Mercurio scilicet et Veneri. Dalec. et Elzev. *utræque,* barbare. Ed.

11. *Modum statuunt.* Ne ulterius abscedant. Hard.

12. *Latitudinum evagatione.* Quoniam laxissime Mercurius, ut dictum est sup. cap. octonas partes Signiferi in latitudine pererrat : sedecim Venus, quod nulli alteri planetæ accidit. Sic spatia longitudinis, quæ sunt arctissima, quum tam prope abscedant a Sole, latitudinum evagatione pensant. H.

13. *Viginti tres.* Vet. apud Dalec. *viginti*, ut supra. Ed.

14. *Immo vero.* Perveniunt vero, inquit, ad eos limites : sed quiddam est in canonica ratione hujusce motus, haud sane satis diligenter animadversum. Orbes enim earum stellarum sive absides moveri vel ex eo apparet, quod Solem non transeant. Itaque quum in partem Solis modo assignatam,

fallit[15]. Namque apparet, absidas quoque earum[16] moveri, quod nunquam transeant Solem. Itaque quum in partem ipsam ejus incidere margines alterutro latere, tum et stellæ ad longissima sua intervalla pervenire intelliguntur: quum citra fuere margines totidem partibus, et ipsæ ocyus redire[17] creduntur, quum sit illa semper utrique
3 extremitas[18] summa. Hinc et ratio motuum[19] conversa intelligitur. Superiores enim celerrime feruntur in occasu vespertino, hæ tardissime: illæ a terra altissime[20] absunt, quum tardissime moventur; hæ, quum ocyssime. Quia sicut

hoc est, distantiam a Sole vel 46, vel 23 grad. margines istorum circulorum pervenerint, sive ab exortiva parte, sive ab occidua, tum stellæ a Sole digressæ longissime: quum citra sunt, tum eædem regredi intelliguntur. Intricatius nihil dici potest hac methodo, ut agnovit Ricciolus, Almag. tom. I, lib. VII, cap. 3, pag. 648, et ante eum Milichius, Zieglerus, aliique. A Ptolemaica etiam hypothesi vehementer discrepare postea agnovimus: adeo ut quam ante se a nullo inventam gloriatur Plinius extremo cap. sup. inferiorum planetarum motus explicandi rationem, ab omnibus post illum derelictam neglectamque esse intelligamus. Hæc interim certa sunt: A Sole Mercurium non plusquam 27 aut 28 gradus removeri, quantum fere Luna distat, altero a novilunio die; at sæpe ad Solem reverti, postquam 10 tantum gradus ab eo recesserit: in his regionibus vix Mercurium sub oculos venire, quod Soli vicinior ex ejus radiis vix emergit. In Sole visum haud semel, ac nuperrime a D. Cassino, 7 Novemb. anno 1667. Idem de Venere proportione dicendum: ut quum longissime a Sole 47 gradibus cum semisse discedere; interdum 45 grad. cum semisse a Sole digressam, ad eum reverti. HARD.

15. *Canonica fallit.* Canonum astronomicorum, seu regularum. Achilles Tatius, pag. 136, Aratum citat ἐν τῷ κανόνι. In MSS. quibusdam, *Canonicos*, hoc est, canonum peritos. Sic. Basil. ad Amphiloch. can. I, magnum Dionysium vocat τὸν κανονικὸν ὄντα. HARD.

16. *Moveri.* Hæc est epicyclorum doctrina supra jam indicata, et quæ ab Anaximandro, teste Plutarcho, originem sumpsisse videtur. ED.

17. *Redire creduntur.* Ut paulo ante, *pervenire intelliguntur.* Quanquam in codd. nonnullis, quos Salmasius secutus est, legitur, *redire coguntur.* HARD.

18. *Extremitas summa.* Meta digressionis ultima. HARD.

19. *Conversa.* Diversa intelligitur a superiorum planetarum motu. HARD.

20. *Altissime.* In apogeo. HARD.

in illis propinquitas centri accelerat, ita in his[21] extremi-
tas[22] circuli. Illæ ab exortu matutino minuere celeritatem
incipiunt, hæ vero augere. Illæ retro cursum agunt a
statione matutina usque ad vespertinam; Veneris, a ve-
spertina usque ad matutinam. Incipit autem ab exortu 4
matutino latitudinem[23] scandere; altitudinem[24] vero ac
Solem insequi a statione matutina, ocyssima in occasu
matutino, et altissima: digredi[25] autem latitudine, mo-
tumque minuere ab exortu vespertino[26]: retro quidem
ire, simulque altitudine digredi a statione vespertina.
Mercurii rursus stella utroque modo[27] scandere ab ex-
ortu matutino, digredi vero latitudine a vespertino: con-
secutoque Sole ad quindecim partium intervallum, con-
sistit quatriduo[28] prope[29] immobilis. Mox ab altitudine 5
descendit, retroque graditur ab occasu vespertino usque
ad exortum matutinum. Tantumque hæc, et Luna, toti-
dem diebus[30], quot subiere, descendunt. Veneris quin-

21. *His.* Dalec. et Elzev. *iis.* Ed.

22. *Extremitas circuli.* Margo circuli qui recessit a Sole longissime. Hard.

23. *Latitudinem scandere.* Ab ecliptica digredi Aquilonem versus, in latitudinem Zodiaci borealem. Hard.

24. *Altitudinem vero.* Apogeum. Velocissimos Venerem et Mercurium ad conjunctionem apogeam matutinamque, quam Plinius hoc loco intelligit, agnoscit pariter Riccioluis, tomo I, lib. VII, pag. 500. Hard.

25. *Digredi autem.* Discedere a parte boreali Zodiaci, regredique versus Austrum, in latitudinem Zodiaci australem. Hard. — Elz. *degredi*, hoc loco et seqq. quod in MS. Reg. 1, si fides Broterio, legitur: sed usitatius *digredi.* Ed.

26. *Vespertino.* In codd. optimis ita legitur. Dalecampius tamen *matutino*, cum vetustis edd. quamvis multo ante Pintianus ex cod. Salm. locum restituisset. Ed.

27. *Utroque modo.* Latitudine et altitudine. Hard.

28. *Quatriduo.* Moræ stationum sunt inæquales, etiam in iisdem planetis: sunt enim alias breviores, alias prolixiores. In Mercurio tamen, medio tempore electo, haud prætergredi bidui fere spatium recentiores astronomi asseverant. Hard.

29. *Prope.* Chiffl. *pæne.* Ed.

30. *Totidem diebus.* Septem fere diebus a novilunio Luna subit in quadraturam, atque adeo in mediam cæli partem, et in apogeum. H.

decies pluribus[31] subit. Rursus Saturni et Jovis duplicato[32] digrediuntur : Martis etiam quadruplicato[33]. Tanta est naturæ varietas. Sed ratio evidens : nam quæ in vaporem[34] Solis nituntur, etiam descendunt ægre.

1 XV. Multa promi amplius circa hæc possunt secreta naturæ[1], legesque, quibus ipsa serviat. Exempli gratia : in Martis sidere, cujus est maxime inobservabilis[2] cursus, nunquam id[3] stationem facere Jovis sidere triquetro[4];

31. *Quindecies pluribus*. Hoc est, diebus fere centum et quinque. Nam si septem dies per quindecim multiplicentur, ea summa colligitur. Recentiores Astronomi centum fere et 30 dies maximæ digressioni a Sole assignant. Hard. — Harduini lectio e Chiffletii codice orta est. Dal. et Elzev. *quindecim et pluribus*. Ed.

32. *Duplicato*. Hoc est, ducentis fere diebus tendunt ad oppositionem cum Sole. Hæc accipienda sunt πλατικῶς et large : nam si rem exactius velis expendere, Saturnus eo digreditur diebus centum octogiuta sex ; Jupiter, ducentis. Vide Ricciolum loco citato. Hard.

33. *Quadruplicato*. Longissime a Sole digreditur diebus fere quadringentis. Quum enim revolutio planetæ ad Solem, vel potius Solis, qui velocior est, ad planetam, fiat in Marte, ut ait Ricciolus loc. cit. diebus 780, inde efficitur progredi Martem ad oppositionem cum Sole dimidiato hoc dierum numero, hoc est, 390, sive rotundo, ut aiunt, absolutoque numero, fere quadringentis. Hard.

34. *In vaporem*. In Solis calorem. Hard.

XV. 1. *Secreta naturæ*. Monet Bouquerus ad h. l. non sane contemnendus talium rerum judex, pleraque falsa et male observata in hoc capite contineri. Ed.

2. *Inobservabilis*. Quod spiris inextricabilibus Astronomorum hactenus frustra torsit ingenia. Vide Ricciolum tom. I, lib. VII, cap. 6, pag, 497. Hard. — Non mirum igitur Keplerum astronomiæ physicæ patrem, hanc sibi materiam elegisse præstantissimi operis sui *de stella Martis*, quæ ut maxime excentrica volvitur, motus etiam maxime dissonos habere diu visa est. Detexit tandem vir doctissimus ellipticum esse illius motum, certisque illum rationibus adstrinxit; unde ad terram quoque et cæteros planetas progressus, antiquas circulorum hypotheses deturbavit, primusque geometriæ obliquarum coni sectionum omnem cæli subdidit rationem. Ed.

3. *Id stationem facere*. Vet. apud Dalec. *id nisi quadrato stationem facere*. Sed hoc glossemate tenor omnis sententiarum perturbatur. Ed.

4. *Triquetro*. Quum est in trino aspectu cum Sole Jupiter, sive quum distat ab eo partibus centum et sexaginta. Hard.

raro admodum sexaginta[5] partibus discreto, qui numerus sexangulas mundi efficit formas : nec exortus, nisi in duobus signis tantum, Cancri et Leonis, simul[6] edere. Mercurii vero sidus in Piscibus exortus vespertinos raros facere, creberrimos in Virgine; in Libra matutinos. Item 2
matutinos in Aquario, rarissimos in Leone. Retrogradum in Tauro et Geminis non fieri; in Cancro vero non citra vicesimam quintam partem. Lunam bis coitum cum Sole et[7] in nullo alio signo facere quam Geminis[8] : non coire aliquando in[9] Sagittario tantum. Novissimam vero primamque eadem die vel nocte, nullo alio in signo quam Ariete[10], conspici : id quoque paucis mortalium contingit; et inde fama cernendi Lynceo[11]. Non comparere[12] in 3

5. *Sexaginta partibus.* Aspectum hexagonum, et sextilem vocant, quum abest a Sole planeta gradibus LX. Quod spatium sexies multiplicatum, in tympano seu tabula lignea, ope circini, orbis sive mundi formam sexangulam facit. HARD.

6. *Simul.* Simul cum Jove. H.

7. *Et in nullo.* Deest vocula *et* apud Dalec. et Elzev. Restituit Harduinus non alio auctore, quam sensu, qui manifesto illam postulat. ED.

8. *Quam Geminis.* Ob tarditatem nimirum Solis, cujus apogeum ea ætate erat in Geminis : nunc est in Cancri gradu fere octavo. HARD. — Hujus differentiæ causa est *æquinoctiorum præcessio*, jam a nobis in prioribus notis indicata, de qua vide, si plura cupis, recentiores astronomos. ED.

9. *In Sagittario.* Ob celeritatem Solis, cujus perigeum tunc erat in Sagittario : nunc est in Capricorni gradu ferme octavo. Idcirco assequi Solem Luna non potest, ut eum eo sub hoc signo coeat. HARD.

10. *Quam Ariete.* Visam esse Hispali Lunam, anno 1553, Martii 13, Sole in gradu tertio Arietis, Luna in gradu 23 Piscium, atque adeo in distantia a Sole graduum circiter decem, scribit Keplerus in Epitome Astronomiæ, lib. VI, pag. 839. Americus Vespuccius apud Ramusium, Navigat. tomo I, pag 132, visam a se Lunam testatur ipso cum Sole coitus die. Sic et a suis conspectam e montium jugo, scribit Joan. de Barros, ibidem, pag. 392. HARD.

11. *Lynceo.* De quo multa fabulati poetæ. Flaccus, Argon. I, 466 et seq. « Quumque æthera Juppiter umbra Perdiderit, solus transibit nubila Lynceus. » De Lynceo Tzetzes Chiliad. I, hist. 48, v. 711 aliique. HARD.

12. *Non comparere.* Hunc Plinii locum refert ac defendit P. Ricciolus, summus astronomicæ disciplinæ artifex, Almag. tomo I, lib.

cælo Saturni sidus, et Martis, quum plurimum, diebus centum septuaginta [13]: Jovis, triginta sex, aut quum minimum, denis detractis diebus : Veneris, sexaginta novem, aut quum minimum, quinquaginta duobus : Mercurii, tredecim, aut quum plurimum, octodecim. [14]

1 XVI. (XVIII). Colores [1] ratio altitudinum temperat : siquidem earum similitudinem trahunt, in quarum aera [2] venere subeundo [3] : tingitque appropinquantes utralibet [4] alieni meatus circulus, frigidior [5] in pallorem, ardentior in ruborem, ventosus in horrorem; Sol [6], atque commissuræ absidum, extremæque orbitæ, atram in obscuritatem. Suus quidem [7] cuique color est, Saturno candidus, Jovi

VII, pag. 503, contra Milichium. Hard.

13. *Centum septuaginta.* Vet. apud Dalec. *centum sexaginta.* Ed.

14. *Octodecim.* Sic Harduinus e Chiffletii codice. Dalec. et Elzev. *septemdecim.* Ed.

XVI. 1. *Colores.* Colorum, inquit, varietatem efficit altitudo planetarum, dum plus minusve inter se appropinquant. Hoc omnino suppositititum et falsum : quamvis enim sit altitudo planetarum propter excentricos motus variabilis, non tamen mutuo in alienos limites incurrunt; sed aeris nostri densitas facit, ut horizonti propiores rubrum maxime colorem ad nos transmittant, recepturi naturalem sibi colorem (neque enim idem omnibus), aut saltem ab eo minus diversum, quum magis a vertice nobis illuxerint. Ed.

2. *In quarum aera.* Proximitate, inquit, aliarum stellarum ad quas accedunt, colorem trahunt : tingitque sidera alieni orbis aerisque in quo volvitur alius planeta, color, sive ad eum ascendendo vicinitas ea fiat, sive descendendo. H. —Pro *aera*, Vet. apud Dalec. *oram;* corrupte videlicet. Ed.

3. *Subeundo.* Penetrando. Ed.

4. *Utralibet.* Supra vel infra. Ed.

5. *Frigidior* etc. Frigidior circulus appropinquantem planetam tingit in pallorem, etc. Ed.

6. *Sol*, etc. Sol, inquit, vicinitate sua cæteras obscurat stellas. Commissuræ etiam circulorum, quas Nodos vocant, dum Solis orbitam sideris alterius meatus intersecat, (ut quum Lunæ defectiones fiunt), atram obscuritatem sideribus obducunt : uti et extremæ orbitæ, hoc est, absis suprema, sive apogeum planetarum; quia quo longius ab oculo corpora discedunt, hoc illa obscuriora apparent. Frustra hic Longolii conjectura, emendantis, *solæque commissuræ.* Hard.

7. *Suus quidem.* P. Ricciolus, Almag. tomo I, lib. VII, p. 496, existimat planetas non esse opacos, sicuti est tellus, quod Keplerus

clarus, Marti igneus, Lucifero candens, Vespero[8] refulgens, Mercurio radians, Lunæ blandus, Soli, quum oritur, ardens, postea radians. His causis[9] connexo visu et earum quæ cælo continentur. Namque modo multitudo conferta inest circa dimidios[10] orbes Lunæ, placida nocte leniter illustrante eas; modo raritas, ut fugisse miremur, plenilunio abscondente, aut quum Solis, suprave dictarum[11] radii, visus perstrinxere nostros. Et ipsa[12] autem Luna ingruentium Solis radiorum haud dubie differentias sentit, hebetante cætero[13] inflexos mundi convexitate eos,

censuit; sed esse opacitate metallis simili, aut potius gemmis colore aliquo imbutis, et valde densis: Saturnum onychi, Jovem sapphiro, Martem pyropo aut amethysto, Venerem chrysopraso, Mercurium beryllo sive achatæ, Lunam margaritis et unionibus, mediamque ei naturam esse inter specula, et mere opaca: omnes denique indolis ad combibendum lumen aptissimæ, et ad illud idem vividius huc vibrandum. Hard.

8. *Vespero*. Sic Elzev. ex Chiffletiano codice; Dalecampius et Harduinus *Vesperi*, quod hoc sensu minus usitatum: formæ enim notissimæ *vesperi* et *vespere*, diei potius ultimum tempus quam Veneris sidus indicant. Ed.

9. *His causis connexo visu*. Huic tractationi connexa contemplatio est etiam earum stellarum, quæ cælo affixæ sunt. Admonent vestigia veterum codd. legi posse, *His causis connexus visus cæterarum*, etc. Hac forma loquendi usus ipse cap. 13. *Huic connexa*, inquit, *latitudinum Signiferi, obliquitatisque causa est*. Multa hic de connexo dispersoque visu Milichius congerit, quem Plinii interpretes alii sunt secuti: sed prorsus ea ἄτοπα. H. — Recte locum explicavit Harduinus: agitur hic de stellis fixis, quæ modo multæ et confertæ, modo rariores videntur et pauciores. In textu nihil mutandum: ablativus absolutus est, quales multi apud Plinium coævosque scriptores inveniuntur, non sane multum probandi, quum duas periodos logico sensu dissitas grammatico tantum nexu copulant. Ed.

10. *Circa dimidios orbes Lunæ*. Quum Luna dimidiata minus lucis cælo affundit. Ed.

11. *Suprave dictarum*. Errantium stellarum, inter quas Venus maxime radiat. Ed.

12. *Et ipsa Luna* etc. Vet. apud Dalecamp. *et ipsi autem Lunæ ingruentium Solis radiorum haud dubia differentia sentitur*. Ed.

13. *Hebetante cætero*, etc. Infringit alioquin immissos in Lunam Solis radios cæli convexitas, præterquam ubi recto illi ingruunt angulo. Hard. — Pro *cætero*, Dalec. et Elzev. *cætera*, eodem sensu: Sed *cætero* Plinio usitatius. Vid. Indices. Male interpunxit Latius

3 præterquam [14] ubi recti angulorum competunt ictus. Itaque in quadrato Solis dividua est, in triquetro seminani [15] ambitur [16] orbe, impletur autem in adverso : rursusque minuens easdem effigies paribus edit intervallis, simili ratione [17], qua supra Solem tria sidera.

1 XVII. (XIX). Sol autem ipse quatuor differentias habet; bis æquata nocte diei, vere et autumno, et in centrum [1] incidens terræ, octavis in partibus [2] Arietis ac Libræ : bis permutatis spatiis; in auctum diei, bruma [3], octava in parte Capricorni; noctis vero [4], solstitio, totidem in par-
2 tibus Cancri. Inæqualitatis causa obliquitas est [5] Signiferi; quum pars æqua mundi super subterque terras omnibus fiat momentis : sed quæ recta [6] in exortu suo consurgunt

in sua, sive Elzeviriana editione: *hebetante, cætera inflexos, mundi convexitate eos.* Nam *cætero*, nisi ego fallor, opponitur τῷ *præterquam*, et eum *hebetante* construendum est. Semper, inquit, hebetantur inflexi convexitate mundi Solis radii, nisi quum etc. Ed.

14. *Præterquam ubi,* etc. Nisi quum Solis radiis Luna ex adverso feritur, plenilunio scilicet. Nam is est sensus, etsi Plinius nescio cur de angulis loquitur. Ait illam adverso tantum Sole non hebetatam conspici : in quadrato autem Solis aspectu et in triquetro, id est, quum partibus 90, sive 120 ab eo discessit, dividuam, aut seminanem videri. Ed.

15. *Seminani.* Orbe non perfecto et absoluto. Græcis ἀμφίκυρτος dicitur, hoc est, ut ait Martianus, lib. VIII, pag. 292 : « Major dimidia, minor plena. » Hard.

16. *Ambitur.* Rotundari incipit. Dalecampius *ambitu*, male. Ed.

17. *Simili ratione.* Id est, mox in triquetro, mox in quadrato, mox in adversis a Sole partibus posita, uti quæ supra Solem sunt sidera tria errantia. Hard. — Cave credas Plinium hoc loco trium supra Solem planetarum φάσεις quasdam lunaribus similes innuere : de aspectu tantum hic loquitur, nunc quadrato, nunc trino, ut supra cap. 12. Ed.

XXVII. 1. *In centrum.* In medium axem, vel potius in Æquatorem. Ed.

2. *Octavis in partibus.* Vide quæ dicenda sunt de solstitii, brumæ, æquinoctiorumque momentis, lib. XVIII, cap. 59. Hard.

3. *Bruma.* Solstitio hiemali, ut nos dicimus. Infra *solstitium* uno verbo vocat Plinius, quod nos solstitium æstivum. Ed.

4. *Noctis vero.* In auctum vero noctis. Ed.

5. *Est.* Hæc vox in Vett. et in Chiffl. deerat. Ed.

6. *Sed quæ recta.* In sphæra obliqua, seu inclinata, sex signa recte ascendunt, totidem oblique.

signa, longiore tractu tenent lucem; quæ vero obliqua, ocyore transeunt spatio.

XVIII. (xx). Latet plerosque, magna cæli[1] assectatione compertum a principibus doctrinæ[2] viris, superiorum trium 1
siderum ignes esse, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant: sed maxime ex iis medio loco siti[3]; fortassis quoniam contagium nimii humoris ex superiori[4] circulo, atque ardoris, ex subjecto, per hunc modum egerat: ideoque dictum Jovem fulmina jaculari. Ergo ut e flagrante 2
ligno carbo cum crepitu, sic a sidere cælestis ignis exspuitur, præscita[5] secum afferens; ne abdicata[6] quidem sui parte in divinis cessante operibus. Idque maxime turbato fit aere, quia[7] collectus humor abundantiam stimulat, aut quia[8] turbatur quodam ceu gravidi sideris partu.

Recte, seu tarde ascendit apud boreales Cancer cum reliquis quinque sequentibus; sed eadem oblique descendunt. Reliqua vero sex signa illis ascendunt oblique, recte descendunt. Illa longiore mora tenent lucem, hæc breviore. Hard.

XVIII. 1. *Assectatione.* Diligenti observatione. Alii, *affectatione* Ed.

2. *Principibus doctrinæ.* Etruscæ disciplinæ, de qua cap. 53. H.

3. *Medio loco siti.* Medium obtinentis e tribus locum, nempe Jovis. Hard.

4. *Superiori circulo.* Humorem nimium esse in superiore circulo Saturni dicit; ardorem nimium in subjecto, hoc est, in inferiore Martis: has contrarias qualitates coire in Jove qui medius est: atque ut e flagrante ligno, etc. Hard. — Hos insanientis sapientiæ fœtus ne risu quidem dignos, nedum refutatione, quis non sentit? Sed ecce tibi errorem in errore. Nam Saturnum siccum ac frigidum esse, non humidum, inter astrologos constat: unde Dalecampius *algoris*, non *humoris* legi volebat. Ed.

5. *Præscita.* Præsagia. Ed.

6. *Ne abdicata quidem* etc. Etiam illa sui parte, quam cælestis hic Jovis ignis velut a se abdicat et exspuit, in rebus divinis non cessante, sed occupata, in præsignificandis videlicet futuris eventibus. Hard.

7. *Quia collectus humor.* Quia collectæ circum nubes humidæ ignem abundantiorem provocant, ut emicet et exsiliat. Hard.

8. *Aut quia.* Aut quia turbatur aer, quasi ex gravidi Jovis partu Hard. — Ergo perturbatio aeris paulo ante fulminis causa erat, nunc comes tantum. Quænam, oro, veterum physicorum erat scientia, qui nubes, aera, planetas commiscebant, sideraque nunc vomere, nunc parturire credebant, et

1 XIX. (XXI). Intervalla quoque siderum a terra multi indagare tentaverunt[1]: et Solem abesse a Luna undeviginti partes[2], quantum Lunam ipsam a terra, prodiderunt. Pythagoras vero vir sagacis animi, a terra ad Lunam[3], centumvi-
2 ginti sex[4] millia stadiorum esse collegit. Ab ea usque ad Solem, duplum[5]; inde ad duodecim signa, triplicatum: in qua sententia et Gallus Sulpicius[6] noster fuit.
1 XX. (XXII). Sed Pythagoras[1] interdum ex musica[2] ratione

interim aliquid in se divini habere quod futuri temporis gnarum esset, etc. etc.? Ed.

XIX. 1. *Tentaverunt.* Vet. apud Dalec. *tentarunt.* Ed.

2. *Undeviginti partes.* Decies illi et novies aiebant majus esse illud spatium, quod est a Luna ad Solem, quam illud quod est a terra ad Lunam. Veteres mathematici apud Plut. lib. II, de placitis Philos. cap. 31, Lunæ a Sole distantiam esse aiunt octodecuplam ejus quæ Lunæ a terra est. Unde suspicor legi hic oportere, *duodeviginti.* Hard. — Monet Gallicus interpres Poinsinet de Sivry, nimis favere Plinio Harduinum, quum talem sensum ejus verbis affingit, ex quibus nihil aliud elici potest, nisi Solem a Luna, ut Lunam a Terra, XIX gradibus distare: legendum enim esse *undevicies*, ut Harduini interpretatio admitti possit. Equidem illi non assentior; et Harduini potius sensum amplector, qui legenti statim occurrit, licet grammatica syntaxis paulum repugnare videatur. Non suam, sed *multorum* opinionem huc adducit Plinius. Nam ipse, Lunam inter Solem Terramque ferri mediam, diserte affirmabit, et mathematicis etiam rationibus demonstrare conabitur, infra, cap. 21, ubi vide notam 17. Ed.

3. *A terra ad Lunam.* Recentiores astronomi, Pythagora sagaciores, ex parallaxi Lunæ compererunt mediam Lunæ a Terra distantiam esse leucarum 85,464, quales sunt leucæ 25 in gradu terrestri, singulæ hexapedarum Parisiensium 2,283. Parallaxi quoque Solis compertum est Solem a Terra distare leucis circiter 32,830,478. Neque in triplicatum, sed ferme in immensum est distantia ad duodecim signa. Distantia autem stellarum superat leucas 6,771,770,000,000. Brot.

4. *Centum viginti sex.* Hoc ipsum de Pythagora refert Censorinus, cap. 13. Hæc millia passuum efficiebant 18,000. Hard.

5. *Ad Solem, duplum.* A Luna scilicet. Hæc fuit Empedoclis sententia, teste Plutarcho loc. cit. et Platonicorum, apud Macrob. in Somn. Scip. lib. II, cap. 2. Hard.

6. *Gallus Sulpicius.* Vide Auctorum indicem. Ed.

XX. 1. *Sed Pythagoras.* Hæc Censorinus totidem fere verbis, cap. 13.

2. *Ex musica.* Quæsitis ab arte musica nominibus. Hard. — Chiffl. *et musica.* Ed.

appellat tonum, quantum absit[3] a terra Luna. Ab ea[4] ad
Mercurium, spatii[5] ejus dimidium : et ab eo[6] ad Venerem
fere tantumdem. A qua ad Solem sesquiplum : a Sole
ad Martem, tonum : id est, quantum ad Lunam a terra.
Ab eo usque Jovem, dimidium : et ab[7] eo ad Saturnum, 2
dimidium, et inde sesquiplum ad Signiferum. Ita[8] septem
tonos effici, quam diapason[9] harmoniam vocant, hoc est,
universitatem concentus. In ea Saturnum Dorio[10] moveri
phthongo, Jovem Phrygio, et in reliquis similia, jucunda
magis, quam necessaria subtilitate.

3. *Quantum absit:* Totum illnd spatinm quod Lunam inter et Terram interjacet; hoc est, intervallum, ut diximns, 126,000 stad. Id appellabat Tonum. H.

4. *Ab ea*, etc. Censorinus loc. cit. « A Luns, inqnit, usque ad Mercurii stellam, dimidium ejus spatii, velut ἡμιτόνιον. Hinc ad Φωσφόρον, quæ est Veneris stella, fere tantumdem : hoc est, aliud ἡμιτόνιον. Inde porro ad Solem ter tantum, quasi tonnm et dimidium. Itaque Solis astrnm abesse a terra tonos tres, et dimidium, qnod vocaut, διὰ πέντε. A Luna autem duos et dimidinm, quod est διὰ τεσσάρων. A Sole vero ad stellam Martis, tantnmdem intervalli esse, quantum a Terra ad Lunam, idque τόνον. Hinc ad Jovis stellam, dimidium ejus, quod faciat ἡμιτόνιον. Tantnmdem a Jove ad Satnrni stellam, id est aliud ἡμιτόνιον. Inde ad snmmum Cælnm, nbi signa sunt, perinde ἡμιτόνιον. Itaque a Cælo summo .... ad Terræ summitatem tonos esse sex, in quibus sit διὰ πασῶν symphonia. » Hard.

5. *Spatii ejus dimidium.* Vet. et Chiffl. *spatii medium.* Ed.

6. *Ad Venerem ... a qua.* Vet. et Chiffl. *ad Veneris ... a quo.* En.

7. *Ad Saturnum.* Vet. et Chiffl. *ad Saturni.* En.

8. *Ita septem.* Censorinus loco allato, sex tantum tonos a Terra ad summum Cælum esse sit : D. Anselmus, lib. I, de imag. mundi, cap. 23, nt Plinius, septem. Hard. — Errat Plinius. Sex toni, non vero septem toni efficiunt diapason harmoniam. Sunt quidem septem intervalla quæ nunc dicimus *ut*, *re*, *mi*, *fa sol*, *re*, *mi*, *fa*; sed tantum sex toni, nempe quinque toni integri et duo hemitonia. Merito Censorinus de die nstali, c. 13, dixit *tonos esse sex, in quibus* διὰ πασῶν *symphonia.* Diapason nunc appellamns *l'octave.* Brot.

9. *Diapason.* Διὰ πασῶν, omnibus tonis contextam harmoniam. Hard.

10. *Dorio moveri.* Veteres tria in primis vocum discrimina tennerunt: de quibus rursum dicemus, l. VII, cap. 57. Gravem vocaverunt Dorium, quia Dorienses hoc genere soni delectabantur : medium appellavere Lydium : acutum vero Phrygium. Quia vero Saturni motus est tardissimus, gravissimo quoque

1 XXI. (XXIII). Stadium[1] centum viginti quinque nostros efficit passus, hoc est, pedes[2] sexcentos viginti quinque. Posidonius non minus quadraginta stadiorum[3] a terra altitu-

sono in hoc concentu astrorum moveri dixerunt, etc. Habet his nugis similia Achilles Tatius, in Phæn. pag. 136. In editis hactenus libris legebatur, *Dorio moveri*, *Mercurium phthongo*. Sed de Mercurio silent omnes ad unum codices manu exarati. Inepti emendatores, qui tria viderent esse apud antiquos vocum discrimina, quæ nos retulimus; tertium, nempe Lydium, a Plinio prætermissum, Mercurio adjudicarunt: quem inter Saturnum et Jovem præpostere vel sic collocari a se non animadverterunt. Hard.

XXI. 1. *Stadium.* Ita etiam Martianus Capella, lib. VI, cap. de circuitu terræ. Uberius Censorinus, cap. 13: « Stadium, inquit, in hac mundi mensura id potissimum intelligendum est, quod Italicum vocant, pedum DCXXV. Nam sunt præterea et alia longitudine discrepantia, ut Olympicum, quod est pedum DC; item Pythicum, pedum mille. » Tamen inter Italicum, Olympicumque stadium nihil interesse acute vidit Lucas Pætus, lib. I de mensur. et pond. pag. 3. Hard.

2. *Hoc est, pedes sexcentos viginti quinque.* Passus igitur quilibet Italicus pedibus quinis æquatur; stadiis octo, milliare unum: uti ex Strabone constat, lib. VII, pag. 322. Hard. — Pes Romanus erat unciarum duodecim, quæ efficiunt mensura nostra Parisiensi pollices 10, lineas 10, cum lineæ partibus 09. Stadium æquabat eadem nostra mensura hexapedas 94$\frac{3}{4}$. Brot.

3. *Quadraginta stadiorum. Quadring. stad.* scriptum primo fuisse, idque postea in *quadraginta* immutatum, suspicantur Nonnius, Thaddæus Haggæcius, et Tycho, quos citat Ricciolus, Almag. tom. I, lib. II, pag. 82, quique se *quadringenta* legisse in vetustis exemplaribus testantur. Auget suspicionem eorum, id quod Plinius statim subdit, plures exstitisse scriptores, qui nongentis stadiis subire nubes in altitudinem prodiderint: quod intervallum propius abest ab eo numero, CCC stadiorum. Posidonium nihilominus scripsisse *quadraginta*, mihi ex eo capite verisimile fit: quod et id veritati magis consentaneum sit, et is ad veritatem proxime omnium scripsisse videatur, ubi de altero agitur spatio a nubibus ad Lunam. Accedit eo, quod omnes quos quidem vidi codices ad unum, constanter legunt, *quadraginta*. Nubes certe haud ultra quintum milliare Italicum, seu stadia quadraginta, attolli pæne certum est, ex observationibus variis quas loco ante laudato colligit Ricciolus. Hard. — Insignes sunt illæ Posidonii mensuræ, quæ non multum recedunt a veritate observationibus nobis comperta. Nubes enim in summa altitudine a terra ascendunt circiter 30,000 pedes; nec alia ferme est mensura Posidonii in XL stadiis. A turbido ad Lunam numerat vicies centum millia stadiorum, quæ efficiunt leu-

dinem esse, in qua nubila [4] ac venti, nubesque prove-
niant: inde purum [5], liquidumque, et imperturbatæ lucis
aerem. Sed a turbido [6] ad Lunam vicies centum [7] millia
stadiorum. Inde ad Solem quinquies millies [8]: eo spatio
fieri ut tam immensa ejus magnitudo non exurat terras.
Plures autem nubes nongentis stadiis [9] in altitudinem sub- 2
ire prodiderunt. Incomperta hæc et inextricabilia; sed
tam prodenda [10], quam sunt prodita. In queis tamen una

cas nostras 82,952. Nunc novimus mediam distantiam Lunæ a Terra esse leucarum 85,464. A Luna ad Solem computat Posidonius quinquies millies cent. m. stad. quæ efficiunt leucas nostras 20,821,000. Nunc vero nobis Solis distantia est leucarum 32,830,478. De his vide Cl. DE LA LANDE, *Astronomie, Num.* 1718 *et* 1746. BROT.

4. *Nubila ac venti nubesque.* Manuscripti quidam *nubila*, *venti*, *nubes*, teste non fortasse gravissimo POINSINET DE SIVRY. Scribit Rezzonicus *nebulæ* pro *nubila*, sed ut ipse fatetur sine auctoritate, nisi quod pleonasmus *nubila* et *nubes*, illi displicuerat: verum hic *nubila* in plurali numero pro nubilo et turbido aere sumi videntur. Paulo post Vet. apud Dalec. non *proveniant*, sed *perveniant* legit. ED.

5. *Purum, liquidumque*, etc. Ventos tamen etiam supra nubes, et ubicumque aer calore rarefieri, vel frigore densari potest, oriri posse nunc scimus. Nec lux ibi sempiterna est: neque enim Posidonius ignorabat aerem supra nubes positum eclipses tamen sentire, quoties umbrosus a Terra, vel a Luna conus ingrueret. Sed et cæteri planetæ eorumque satellites umbras suas a tergo jaciunt, quod supra ad cap. 7 annotandum maxime fuit, ubi Plinius: «Supra Lunam pura omnia ac diuturnæ lucis plena.» Adde quod lux, etiam ubi libere meat, tamen neque colores, neque fulgorem habet, inconspicua omnino et vere nigra, quoties nullis incurrit objectis; quod ultra atmosphæram fieri necesse est. Cæterum pro *aerem* legitur in Chiffl. *aera*, quod idem valet. ED.

6. *A turbido.* A turbinum ventorumque regione. H.

7. *Vicies centum.* Quæ millia passuum efficiunt ducenta et quinquagena. Itaque a terra ad Lunam colligit Posidonius intervallum CCLV mill. pass. H.

8. *Quinquies millies.* Hoc est, quinquies et millies centena millia stadiorum: sive, quod eodem recidit, centies et vicies centena millia passuum, præterque, DL millia pass. HARD.

9. *Nongentis stadiis.* Centum ac duodecim millibus passuum, et quingentis. H. — Id temere proditum est. Constat enim ex variis observationibus altiores nubes vix ascendere ultra pedes 30,000: quum viciniores sunt terræ, densamque in pluviam solvuntur, altæ sunt pedes circiter 2,500, et quandoque etiam paulo minus. BROT.

10. *Sed tam prodenda*, etc. Toletanus codex: *sed tamen prodenda*,

ratio geometricæ collectionis[11] nunquam fallacis possit non repudiari, si cui libeat altius ista persequi; nec ut mensura (id enim velle pæne dementis otii est), sed ut
3 tantum æstimatio conjectanti[12] constet animo. Nam[13] quum trecentis sexaginta et fere sex partibus orbis Solis, ex circuitu ejus, patere appareat circulum, per quem meat; semperque dimetiens[14] tertiam partem ambitus, et tertiæ paulo minus septimam colligat: apparet, dempta[15] ejus dimidia (quoniam terra centralis interveniat), sextam fere partem hujus immensi spatii, quod circa terram circuli solaris animo comprehenditur, inesse altitudinis spatio: Lunæ[16] vero duodecimam, quoniam tanto breviore, quam Sol, ambitu currit; ita ferri eam[17] in medio Solis ac Terræ.

quia sunt prodita; quamvis una ratio, etc. In Regio 2 cod. *sed prodenda quia sunt prodita*. Quæ lectionea mire conveniunt eum loco simili, lib. XXX, cap. 47: « Vix est serio complecti quædam: non omittenda tamen, quia sunt prodita. Ed.

11. *Collectionis*. Argumentationis. Ed.

12. *Conjectanti*. Dalec. cæterique ante nos, *conjectandi*: male. Ed.

13. *Nam quum*, etc. Vet. apud Dalec. *nam quum t. s. et f. s. partibus patere circulum, per quem meat orbis solis, ex c. ejus appareat, semperque* etc. Non sine glossæ suspicione. Ed.

14. *Semperque dimetiens*, etc. Semperque diameter tertiam partem eirculi obtineat et paulominus quam septimam tertiæ partis portionem. Hard. — Sic quidem Plinius, sed falso: nam circuli peripheriam æquare diametros tres et fere septimam unius partem, jam dudum Archimedes demonstraverat. Ergo diameter colligit tantum peripheriæ partes $\frac{7}{22}$, sive $\frac{1}{3} - \frac{1}{66}$, non ut Plinio visum $\frac{1}{3} + \frac{1}{21}$. Ed.

15. *Dempta ejus dimidia*. Ut dimidia pars diametri restet, sive radius, hujus nempe eirculi quo Sol Terram ambire putabatur in centro positam, ideoque diametrum æquis partibus dividentem. Ed.

16. *Lunæ vero duodecimam*. Quod annna revolutio duodecim menses contineat, et Lunæ ambitus fere menstruus sit, ait illum solaris eorsus duodeeimam tantum partem æquare; perinde ac si tempus mensura spatii esse posset, nisi qnum eadem est celeritas! Ed.

17. *Ita ferri eam*, etc. Si lonaris ambitus solaris orbitæ duodecima pars est, eadem ratio est diametrorum, eadem quoqoe radiorum. Ergo Lunæ altitudo deberet esse ad solis altitudinem, ut 1 ad 12. Solis vero altitudinem esse dixit ad sideris ejusdem circuitum, nt 1 ad 6. Inde eolligit dimidiam esse lunæ altitudinem. Nihil unquam absurdius hac supputandi ratione excogitatum. Pro *ferri*, quod retinendum est, MS.

Mirum[18] quo procedat improbitas cordis humani! Par- 4
vulo aliquo invitata successu, sicut in supradictis, occasionem impudentiæ ratio largitur: ausique divinare Solis ad terram spatia, eadem ad cælum[19] agunt, quoniam sit medius Sol: ut protinus mundi quoque ipsius mensura veniat ad digitos. Quantas enim[20] dimetiens habet[21] septimas, tantas habere circulum duo et vicesimas; tanquam plane a perpendiculo[22] mensura cæli constet!

Ægyptia ratio, quam Petosiris et Necepsos ostendere, singulas[1] partes in lunari circulo, (ut dictum est) minimo[2], triginta tribus[3] stadiis paulo amplius patere colligit: in Saturni, amplissimo, duplum[4]: in Solis, quem medium[5] esse diximus, utriusque mensuræ[6] dimidium.

Reg. 1, 2, itemque Chifl. *fieri*. Ed.

18. *Mirum*. Vet. apud Dalecamp. *miror*. Sed frigide. Ed.

19. *Eadem ad cælum agunt*. Idem intervallum a Sole ad cælum esse contendunt. Ed.

20. *Quantas enim*, etc. Nunc ad Archimedis calculos redit Plinius, et bene: nam supra eosdem valde perturbaverat. Vide notam 14. Nostri geometræ, fere $\frac{22}{7}$ esse rationem illam peripheriæ ad diametrum, inter $3 + \frac{10}{70}$ et $3 + \frac{10}{71}$ positam, cum illo totius antiquitatis γεωμετρικωτάτῳ Archimede fatentur; sed multo accuratiores eam decumanis notis sic exprimunt 3, 1415926..... Ed.

21. *Habet*. Dalec. et Elz. *habeat*: melius fortasse. Ed.

22. *Tanquam plane a perpendiculo*, etc. Ironice dictum. Ed.

1. *Singulas partes*. Singulos gradus lunaris circuli. H.

2. *Ut dictum est, minimo*. Dictum est cap. 6, Lunam esse novissimum sidus, terrisque proximum: cap. vero 12 extremo, interiores circulos esse oportere breviores, ut vel ipso sensu apparet. H.

3. *Triginta tribus*. Igitur 360 partes colligunt ambitu suo stadiorum undecim millia, cum octingentis et LXXX. Hard.

4. *Duplum*. Stadia videlicet sexaginta sex in singulis partibus; in toto circulo, XXIII millia DCCLX. Ed.

5. *Quem medium esse diximus*. Non inter Lunam et Saturnum, sed inter Lunam et cælum affixarum stellarum, medium esse Solem modo dixerat. Quam parum sui meminit! Ed.

6. *Mensuræ dimidium*. Hoc est, stadia 17,820. Sed pueriliter nimis arctant orbium cælestium mensuram Petosiris et Necepsos, ut probe Ricciolus intellexit, Almag. tom. I, lib. IV. H. — Si gradus singuli sunt medii inter 33 et 66 stadia, id est 49 stadiorum et dimidii, totus revera circulus erit 17,820 stadiorum; ejus autem radius, sive Solis ad terram distantia erit 2,836 stadio-

Quæ computatio[7] plurimum habet pudoris, quoniam, ad Saturni circulum addito Signiferi ipsius intervallo, innumerabilis multiplicatio efficitur.

1 XXII. (XXIV.) Restant pauca de mundo : namque[1] et in ipso cælo[2] stellæ repente nascuntur. Plura earum genera. (XXV). Cometas[3] Græci vocant, nostri crinitas, horrentes crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidas. Iidem Pogonias[4], quibus, inferiore ex parte, in speciem barbæ longæ, promittitur juba. Acontiæ[5] jaculi modo vibrantur,

rum, quæ mensura nostra efficiunt hexapedas 270,000, sive leucas circiter centum et viginti, quales in terrestri gradu quinque et viginti numeramus. Quantum hoc ab hodiernis rationibus distat! Ed.

7. *Quæ computatio.* Qui computandi modus plurimum habet verecundiæ et modestiæ, quum ibi sistit, nec ulterius progreditur. Hard. — Velle enim mundum ipsum dimetiri, quum Saturni a nobis distantiæ addenda esset ejusdem a stellis affixis distantia prope infinita, improbæ foret et impudentis audaciæ. Ed.

XXII. 1. *Namque.* Nempe, sc. Quo sensu Græci τὸ γάρ usurpant. Ed.

2. *Cælo.* Nempe stellarum affixarum. Ergo supra stellas errantes volvi inter reliqua sidera cometas recte agnoscit Plinius. Ed.

3. *Cometas Græci.* Aristoteles ferme ad verbum eadem habet, Meteorol. lib. I, cap. 7. Crinitum cometam vocant, qui circumquaque crines emittit, rosæ instar, unde illi et Rosæ nomen. Diversi generis cometarum icones exhibet accurate Corn. Gemma, lib. I, Cosmocrit. cap. 8. H. — Κομήτας vocat masculino genere, ἀστέρας scilicet; *crinitas* feminino, stellas nempe. Nota, nobis cometæ nomen generale semper esse; Latinis et Græcis sæpe, ut hoc loco, speciale. Cometa, quam Rosam vocant recentiores, utrum Plinii Cometes sit, an Hippeus, dubitatur. Vide mox notam 19. Ed.

4. *Pogonias.* Πωγωνίας, barbatus cometes idem, et caudatus appellatus. Discrimen enim respectus ad Solem facit: propterea quod barba, seu cauda, projicitur semper in partem contrariam et adversam Soli : quem si mane præveniat, cometa barbatus apparet, villis in anteriora versus occidentem procurrentibus, cujusmodi fuit cometa anni 1618; si vesperi superstes erit, Sole jam occaso, caudatus videtur, et prælongo syrmate versus ortum insignis, qualis cometa is exstitit, qui novissime omnibus terris visus anno 1681. Crinitum, et Pogoniam gemino versu Manilius comprehendit, lib. I, pag. 26 : « Nunc prior hæc species dispersis crinibus exit; Et globus ardentis sequitur sub imagine barbæ. » Hard.

5. *Acontiæ.* Ἀκοντίας Græca voce jaculum significante, ab appendice radiorum longa in modum jaculi, nomen habet. Hujusmodi fuit is

ocyssimo[6] significatu. Hæc[7] fuit de qua quinto[8] consulatu 2
suo Titus imperator Cæsar præclaro carmine[9] perscripsit, ad hunc diem novissime[10] visa. Easdem breviores et in mucronem fastigiatas, Xiphias[11] vocavere, quæ sunt omnium pallidissimæ, et quodam gladii nitore, ac sine ullis radiis[12] : quos Disceus[13], suo nomini similis, colore autem electro, raros e margine emittit. Pitheus[14] doliorum 3

qui anno 1533 julio mense visus est, teste Miliehio, in lib. II Plinii, fol. 65. Manilius loc. cit. : « Et tenues longis jaculantur crinibus ignes. » H.

6. *Ocyssimo.* In cod. Reg. 2, *ocyssime significantes* : hoc est, celeritatem futuri eventus monstrantes. H. — Vet. apud Dalec. *ocyssimæ significatu*, solœce, nam ἀκοντίας, ut πωγωνίας et κομήτης, masculini generis est. Retinenda sane Harduini lectio. Sed contendit Gallicus interpres verba hæc non de præsagiis cito perficiendis, verum de velocitate istorum planetarum, quam ipsum nomen exprimat, esse capienda; atque sic interpretatur, quasi scriptum esset, *nomine ocyssimum cursum significante.* Ego non assentior, quum etiam infra legatur, libro XVIII, cap. 74 : « vehementissimo significatu. » Ed.

7. *Hæc fuit.* Subaudi *stella*, ut supra vidimus ad *crinitas* subaudiendum *stellas.* Ed.

8. *Quinto consulatu suo.* Anno urbis conditæ DCCCXXIX, J. C. 77. Brot. — Anno potius Christi 76. Vide quæ ad Plinii vitam de Titi consulatibus disseruimus. Ed.

9. *Perscripsit.* Accurate omnia phænomena descripsit. Ed.

10. *Ad hunc diem novissime visa.* Plinii enim historia vix duobus annis posterior in vulgus edita est. Ed.

11. *Xiphias.* Ξιφίας, Ensis est, vel ensiformis : cujusmodi visus est imminere urbi Hierosolymitanæ paulo ante ejus excidium, ac toto fere anno fulgere, ut quidem refert Josephus, belli Jud. lib. VII, pag. 960. Hard.

12. *Sine ullis radiis.* Videlicet discriminatis. Fuisse ejusmodi dicitur is, qui visus est anno 1532, mense Septembri, ut refert Miliehius loc. cit. Hard.

13. *Quos Disceus.* Δισκεὺς, a lata disci rotunditate nomen accepit. Hard. — De cometa Disceo unus, nisi fallor, meminit Noster, unde lectio a quibusdam tentata, non tamen emota est. Vet. apud Dalec. *similes* habebat, unde legi voluisset Dalecampius, *quos disco similes, colore autem electro, raro e margine emittunt.* Nihil mutandum videtur. Pro *electro* nescio cur in Elzev. *electrus* occurrit, quasi vero non cum adjectivo *similis* bene construatur dativus *electro.* Ed.

14. *Pitheus.* Ita Reg. 1 et 2, qua forma Disceus et Hippeus efferuntur. Græcis Πιθεὺς, Πιθίτης, et Πιθίας, quæ vox dolium sonat. Describitur a Manilio, lib. I, pag. 26, inter cometarum genera : « Quin etiam tumidis exæquat dolia flammis Procero distenta utero; »

cernitur figura, in concavo fumidæ lucis. Ceratias [15] cornus speciem habet, qualis fuit quum [16] Græcia apud Salamina [17] depugnavit. Lampadias [18] ardentes imitatur faces: Hippeus [19] equinas jubas, celerrimi motus, atque in orbem circa se euntes. Fit et candidus cometes, argenteo crine [20], ita refulgens, ut vix contueri liceat, specieque
4 humana [21] Dei effigiem in se ostendens. Fiunt [22] et hirti villorum specie, et nube [23] aliqua circumdati. Semel adhuc jubæ effigies mutata in hastam [24] est, Olympiade [25]

Et Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap. 14: « Sunt Pithiæ, inquit, quum magnitudo vasti rotundique ignis dolio similis, vel fertur, vel in uno loco flagrat. » Hard.—Dalec. et. Elzev. *Pithetes*. Deinde post *fumidæ lucis*, subaudi *plenus*. Ed.

15. *Ceratias*. Κερατίας sive κερατοειδὴς, id est, Cornutus, cujus flamma in modum cornu, sive litui, vel acinacis Persici, curvata torquetur. Forma hæc postremi cometæ fuit ex iis qui fulsere anno 1618. H.

16. *Quum Græcia*. Xerxe navali pugna devicto a Græcis, duce Themistocle, anno ante J.C. 480. Hard.

17. *Salamina*. Vet. apud Dalec. et Chiffl. codex, *Salaminam*. Quæ terminatio mere latina exemplis non caret, etiam apud bonos auctores: Græca tamen usitatior. Ed.

18. *Lampadias*. Manilio pariter sic appellatus, loco cit.: « Lampadias fissus ramosos fundit in ignes. » Lampas Senecæ, et Lucano, lib. I, vs. 532: « Nunc jaculum longo, nunc sparso lumine lampas Emicuit cælo. » Hard.

19. *Hippeus*. Ἱππεὺς, quasi stella equina, ob celeritatem motus. Hanc quidam volunt a recentioribus Rosam vocari. Hard.

20. *Argenteo crine*. Unde ei nomen, ἀργυροκομήτης. Hard.

21. *Specieque humana*. Totam hanc clausulam supposititiam esse Pintianus existimat, haud improbabiliter, tametsi reclamant omnia exemplaria. Fromondus, Meteorol. lib. III, cap. 4, spectare hæc verba putat ad stellam Magorum, fortassis ob famam quæ ferebatur Augusti principatu, cometam in oriente et Judæa visum, in quo pueruli imago expressa Deum hominem factum indicaret. Pie magis scriptum, quam vere. Hard.

22. *Fiunt et hirti*. E duodecim cometarum generibus, hæc duo sunt postrema. Cave *hirci* legas, cum Milichio, cæterisque. Hard.

23. *Nube*. Sic Chiffl. codex; sic et Longolio visum monet Dalecampius. Ipse tamen *juba*; sed male: nam hoc verbo jam bis usus erat Plinius. Latius in Elzev. Dalecampium, ut solet, secutus est. Ed.

24. *Mutata in hastam*. Λογχίτην hunc cometam Græci appellarunt ab hastæ forma. Hard.

25. *Olympiade*, etc. Numeri falsi sunt; nam Olympias CVIII incidit in annum Urbis Romæ CDV. Harduinus ex cod. Colbertino, pro *cente-*

centesima octava, Urbis anno trecentesimo nonagesimo octavo. Brevissimum, quo cernerentur, spatium septem dierum[26] annotatum est: longissimum, octoginta[27].

XXIII. Moventur autem alii errantium modo, alii im- 1
mobiles[1] hærent. Omnes ferme[2] sub ipso septemtrione, aliqua ejus parte non certa, sed maxime in candida[3], quæ

sima octava reposuit *centesima nona*; sed quid profecit? Reponendum potius erat *centesima septima*. Nihil tamen affirmo. Desperandum est de Pliniana chronologia; nec satis interdum scio, utrum librarios, an scriptorem ipsum incusem, qui potuit discordes auctores sequi, nec multum curare, utrum pugnantia secum admitteret. Ed.

26. *Septem dierum*. Narrant Conimbricenses, tract. III, Meteor. cap. 3, visum a se cometam, qui quum sese paulum supra horizontem extulisset, subito dissipatus ex oculis evanuerit: alterum item Kechermannus, lib. VI system. Physici, pag. 680, qui post quinque horæ quadrantes videri desierit. Hard.

27. *Octoginta*. Ita retinemus cum omnibus MSS. licet refragante, post Pintianum, Mureto in notis ad Senecam, ubi librariorum vitio excidisse in libris centenarii notam dicit, scriptumque perperam esse LXXX tantum, pro CLXXX, qui dierum numerus sex menses efficit: quo temporis intervallo Neronianum cometen, a Plinio sane visum et observatum, uti mox patebit, durasse auctor est Seneca, lib. VII, Natur. quæst. cap. 21. Alios præter istum senis mensibus fulsisse referunt historici: alterum anno Christi 603, sub Mahometis ortum; alterum anno 1240, irrumpente tum fere in Asiam Tamberlane. Vide Ricciolum, tom. II Almag. lib. VIII, pag. 24. Qui deinde trimestri spatio visi sint, plures ibidem recensentur. Hard.

XXIII. 1. *Immobiles hærent*. Narrat Dio, l. LIV, p. 542, anno qui Agrippæ mortem antecessit, visum cometam qui per dies multos Urbi immineret. Anno ipso integro, uti paulo ante diximus ex Josepho, Hierosolymis Xiphias incubuit. Motune omni prorsus illi carerent, haud est sane satis exploratum. Eadem habet Epigenes apud Senecam, Natur. quæst. lib. VII, cap. 6. Hard. — Planetarum modo cometæ moventur, stationesque suas, ut ipsi planetæ, iisdemque de causis, habere possunt. Vid. inf. not. 33. Ed.

2. *Omnes ferme*. Causam hujusce rei affert Seneca, Natur. quæst. lib. VII, cap. 21. Aristoteles, Meteor. lib. I, cap. 6, negat sub septemtrione solum gigni cometas: ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τοῦτο ἀληθὲς, ὅτι ἐν τῷ πρὸς ἄρκτον τόπῳ γίνεται ὁ κομήτης μόνον. Septemtrionem appellat hoc loco quidquid spatii ab æstivo tropico ad polum usque protenditur; opponiturque austrino polo, de quo postea. H. — Vid. not. 8. Ed.

3. *In candida*. Aristotelis etiam istud placitum est, qui libri ante laudati cap. septimo extremo, vix

lactei circuli nomen accepit. Aristoteles tradit et simul plures[4] cerni : nemini[5] compertum alteri, quod equidem sciam. Ventos autem[6] ab iis graves æstusque significari. Fiunt et hibernis[7] mensibus, et in austrino[8] polo, sed
2 ibi citra ullum jubar. Diraque[9] comperta Æthiopum et Ægypti populis, cui nomen ævi ejus rex dedit Typhon[10],

generari cometas pro confesso ponit, nisi extra Tropicum circulum: frequenter sub ea, quam Lacteam viam appellant : sub qua magnam esse vim exhalationum credidit, ex qua cometæ gignerentur. Sunt hodie, qui ex materia, quam Sol exhalet, quum accensa fuerit, gigni cometas putent. Vide de eo argumento disputationem viri in mathematicis eruditi, tom. I, pag. 222, libri inscripti, *Mélanges d'histoire et de littérature*. HARD.

4. *Et simul plures.* Aristot. cap. 6, pag. 535 : καὶ πλείους ἑνὸς ἅμα γεγένηνται πολλάκις. Beda refert in Chronico, anno 729 binos cometas per dies quindecim mense Januario conspectos esse, alterum mane, vespere alterum. Alios prætermitto, quos refert Ricciolus, Almag. tom. II, pag. 23. HARD.

5. *Nemini.* Id nostra, ut Aristotelis, ætate compertum. Tres visi sunt cometæ mense Maio an. 1748; duo mense Februario anni 1760. BROT.

6. *Ventos autem.* Nempe, si plures sint cometæ. At Seneca, Natur. quæst. lib. VII, cap. 28 : « Aristoteles ait cometas significare tempestatem, et ventorum intemperantiam, atque imbrium.... Non statim cometes ortus ventos et pluvias minatur, ut Aristoteles ait; sed annum totum suspectum facit. » Locus Aristotelis hic est, Meteorol. lib. I, cap. 7 : Σημαίνουσι γιγνόμενοι οἱ πλείους πνεύματα καὶ αὐχμούς. Ac paulo post : ὅταν μὲν οὖν πυκνοὶ καὶ πλείους φαίνωνται, καθάπερ λέγομεν, ξηροὶ καὶ πνευματώδεις γίγνονται οἱ ἐνιαυτοὶ ἐπιδήλως. Concinit Aratus, Latine redditus ab Avieno Festo: « At si contigerit plures ardere cometas, Invalidas segetes torrebit siccior aer. » HARD.

7. *Fiunt et hibernis.* Ex cometarum synopsi, quam Ricciolus collegit, apparet æstate plures, quam hieme, cometas oriri : atque inter æstivos menses Augustum vincere; Januarium, inter hibernos. Arist. loc. cit. : ἐφάνη μὲν χειμῶνος ἐν πάγοις, *rigente gelu*. HARD.

8. *In austrino.* Arist. loc. cit. : Καὶ πρὸς νότον ἤδη πολλοὶ γεγόνασιν. HARD. — Mentionem facit Gallicus interpres in notis ad h. l. austrini cometæ, anno 1001; et alterius anno 1538, die 18 Jan. in Piscium signo visi cum cauda in ortum versa. ED.

9. *Diraque.* Sub. stella. ED.

10. *Typhon.* Cometæ genus, solis Ægypti atque Æthiopum populis cognitum, et quidem semel, Typhone rege, a quo ei nomen. De Typhone Diodorus Siculus, Bibl. lib. I, pag. 79. HARD. — Videtur is non cometes fuisse, sed meteorus quidam ignis; qui sane antiquissimo illo ævo trepidius quam

ignea specie, ac spiræ modo intorta, visu quoque torvo, nec stella verius, quam quidam igneus nodus. Sparguntur[11] aliquando et errantibus stellis, cæterisque, crines. Sed cometes nunquam in occasura[12] parte cæli est : terrificum magna ex parte sidus, ac non leviter piatum, ut civili motu Octavio Consule[13], iterumque Pompeii[14] et

diligentius observari debuit. Typhon infra, cap. 49, ventus est et vibratus ecnephias, notante Dalecampio. Ducit autem originem suam hoc nomen a τύφω, quod est flammam et fumum excitare; unde generaliter denotare videtur meteora impetu terribilia, quæcumque ventoso turbine feruntur et ignes ac tonitrua exspirant. Hinc fabulosus ille Typhoeus, gigantum bello clarus, depingitur fumum, ignem et procellas evomens. Qui omnia ex auctoribus antiquis temere colligunt, ut ad systemata sua et vanas plerumque opiniones detorqueant, typhonem hunc a Plinio memoratum et apud Ægyptios clarum somniaverunt cometen esse annis 531, 1106 et 1680 observatum; is enim periodum habere videtur annorum 575, et in ipsum diluvii annum incidisse fingitur ab illis, qui, ut Whistonus, cladem hanc universi orbis vaporibus a transeunte cometa illatis tribuere nihil dubitant. Consulendus POINSINET DE SIVRY ad h. l. ED.

11. *Sparguntur.* Id Ægyptios scriptis prodidisse, id se vidisse oculis testatur Arist. Meteor. lib. I, cap. 6, in femore Canis stellam quæ comam haberet, sed obscuram. HARD.

12. *In occasura.* Nunquam cometes, inquit, nempe primi generis, initio cap. 22, memoratus, « horrens crine sanguineo, et comarum modo in vertice hispidus » in occidua cæli parte cernitur. Hunc locum secus accepisse videtur scriptor Meteorologicon. Ἅπαντες οἱ καθ' ἡμᾶς, inquit ille loc. cit. ὡμμένοι, ἄνευ δύσεως ἠφανίσθησαν ἐν τῷ ὑπὲρ τοῦ ὁρίζοντος τόπῳ. HARD. — Plinius hic deprehenditur circa sententiam ejus quem sequitur auctoris hallucinatus, quod ei non semel accidere notabimus. ED.

13. *Octavio Consule.* Anno U. C. DCLXXVIII, quo anno civile bellum fuisse cum Sertorio, consulibus Octavio et Scribonio, historici referunt. HARD.

14. *Pompeii.* De iis cometis, qui Cæsare Rubiconem transgresso, bello civili præfulserunt, Lucanus, Pharsal. I, 526 : « Ignota obscuræ viderunt sidera noctes, Ardentemque polum flammis, cæloque volantes Obliquas per inane faces, crinemque timendi Sideris, et terris mutantem regna cometen. » De his pariter, et de eo qui Philippense prælium antecessit, Virgilius, Georgic. I, vs. 487 : « Non alias cælo ceciderunt plura sereno Fulgura, nec diri toties arsere cometæ. Ergo inter sese paribus concurrere telis Romanas acies iterum videre Philippi. » Quod plane ad verbum imitatus Manilius videtur, lib. I. HARD.

3 Cæsaris bello; in nostro vero ævo circa [15] veneficium, quo Claudius Cæsar imperium reliquit Domitio Neroni, ac deinde [16] principatu ejus, assiduum prope ac sævum. Referre [17] arbitrantur, in quas partes sese jaculetur, aut cujus stellæ vires [18] accipiat, quasque similitudines reddat, et quibus in locis emicet : tibiarum [19] specie, musicæ arti portendere; obscenis autem moribus, in verendis [20] partibus signorum; ingeniis et eruditioni, si [21] triquetram

— Insignem illum cometen, qui affulsit anno U. C. DCCV, ante Christum 49, notant annales Sinenses. Apparuit, ut in iis scriptum est, tertia luna, visusque est in via lactea pectoreque Cassiopeæ. Brot.

15. *Circa veneficium, quo Claudius*, etc. Meminit Suetonius in Claudio, cap. XLVI. Seneca vero Natur. quæst. lib. VII, cap. 17 : « Nec est quod putemus, inquit, eumdem cometem visum esse sub Claudio, quem sub Augusto vidimus : nec hunc qui sub Nerone Cæsare apparuit.... illi similem fuisse, qui post necem Divi Julii ludis Veneris Genitricis, circa undecimam horam diei emersit. » Hard. — Anno U. C. DCCCVII, J. C. 54. Brot.

16. *Ac deinde*. Deinde, inquit, alterum sidus principatu Neronis : assiduum illud quidem, quia sex ipsis mensibus spectandum se præbuit, uti ex Seneca diximus paulo ante. Contigit id anno Neronis imperii undecimo; Christi Servatoris, LXIV. Meminit præterea Tacitus, Annal. XIV, cap. XXII : « Et sidus cometes effulsit, inquit, de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regis portendat. Igitur quasi jam depulso Nerone, etc. » Hard.

17. *Referre*. Astrologorum placita de cometarum præsagiis hoc loco persequi, nec decet, nec vacat. Quæ Ptolemæus aliique super ea re prodiderunt, collegit Ricciolus, Almag. tom. II, pag. 31. H.

18. *Stellæ vires*. *Virus* mavult Pintianus. Ego nihil moveo, gnarus Epigenem dixisse, ut auctor est Seneca, Natur. quæst. lib. VII, cap. 4 : « Stellam Saturni plurimum habere virium ad omnes ejusmodi sublimium motus, etc. » Hard. — *Virus* non mavult modo Pintianus, sed et in libris suis manuscriptis legi docet, quos optimos esse jam animadvertimus. Ed.

19. *Tibiarum*. Negat Harduinus cometas tibiarum specie videri posse; verum et Virgilianam fistulam septem compactam cicutis, satis bene exprimebat multifida cauda cometæ anno 1744, mense Martio, observati, cujus effigiem et alias non minus singulares tibi dabit doct. Hassenfratz, *Physique du ciel*, pl. VI. Ed.

20. *In verendis partibus*. Circa eas partes quæ figurarum in cælo descriptarum, Orionis, Ursæ majoris, etc. pudendis membris respondent. Ed.

21. *Si triquetram figuram quadratamve*. Tot vero sunt astra in cælo,

figuram quadratamve paribus angulis ad aliquos perennium stellarum situs edat [22]; venena fundere, in capite septemtrionalis austrinæve [23] Serpentis. Cometes [24] in uno 4
totius orbis loco colitur in templo Romæ, admodum faustus Divo Augusto judicatus ab ipso : qui, incipiente eo, apparuit ludis quos faciebat Veneri Genetrici [25], non multo post obitum patris Cæsaris [26], in collegio ab eo [27] instituto. Namque his verbis id gaudium prodidit : « Iis ipsis ludo« rum meorum diebus, sidus crinitum per septem dies « in regione cæli, quæ sub septemtrionibus est, conspe« ctum. Id oriebatur circa undecimam [28] horam diei, cla« rumque et omnibus terris [29] conspicuum fuit. Eo sidere « significari vulgus credidit, Cæsaris animam inter Deo« rum immortalium numina receptam : quo nomine id « insigne simulacro capitis ejus, quod mox in foro con-

ut vix in aliqua parte conspici possit cometa, quin talem figuram eum aliquibus stellis efficiat. Ed.

22. *Edat.* Sic Dalec. et Elz. Harduinus, nescio cur, *edant.* Ed.

23. *Septemtrionalis austrinæve.* Draco, sive Serpens septemtrionalis inter duas Ursas situm est sidus, olim quindecim tantum stellas complexum, nunc vero triginta. Draco sive Serpens australis, sive Hydra, Arabice *Havia*, sex et viginti stellas habet, adnotante Poinsinet de Sivry. Cometas austrinos agnoscit hic quoque Plinius: sup. not. 8. Ed.

24. *Cometes.* Suet. in Jul. cap. LXXXVIII: « Ludis quos primo consecratos ei hæres Augustus edebat, stella crinita per septem dies continuos fulsit, exoriens circa undecimam horam; creditumque est animam esse Cæsaris in cælum recepti; et hac de causa simulacro ejus in vertice additur stella. » H.

25. *Ludis quos faciebat Veneri Genetrici.* Ita scribunt hoc nomen nummi veteres, non *Genitrici*. H.

26. *Post obitum Patris Cæsaris.* Anno U. C. DCCX, ante Christum 44. Cometes ille cujus cursus est annorum 575, rediit annis 530, 1106 et 1680, ut prodidit Cl. Halley. Brot.

27. *Ab eo instituto.* A Julio Cæsare. Is enim paulo ante obitum collegium his ludis faciendis instituerat, confecto Veneris templo. Hos deinde ludos suis sumptibus Augustus ipse edidit, in collegio, ut Plinius ait (non pro collegio, ut refert Julius Obsequens, cap. 128) M. Antonio, P. Dolabella Coss. Vide etiam Dionem, l. XLV, p. 272. H.

28. *Undecimam.* Hoc est, hora fere integra ante Solis occasum. H.

29. *Omnibus terris.* Sic Dalec. et Elz. post reliquos. Harduinus ex Chiffl. codice, *omnibus e terris.* Ed.

« secravimus, adjectum est. » Hæc ille in publicum; interiore gaudio, sibi illum natum, seque in eo nasci[30] interpretatus est : et, si verum fatemur[31], salutare id terris fuit. Sunt qui et hæc[32] sidera perpetua esse credant, suoque ambitu ire; sed non nisi relicta[33] ab Sole cerni. Alii vero[34], qui nasci humore fortuito et ignea vi, ideoque solvi[35].

30. *In eo nasci.* Felicitatem suam in eo, imperiumque portendi. H.

31. *Si verum fatemur.* Vet. apud Dalec. *ut verum fateamur.* Ed.

32. *Sunt qui et hæc.* Pythagoreorum hæc opinio fuit, teste Galeno, vel quisquis auctor est libri de hist. Philos. cap. 18, aliorumque, quorum Seneca meminit, Natur. quæst. lib. VII, cap. 19, quam in sententiam plane concedit ipse, cap. 22 et 23. Anno 1477 visum cometem Bzovius refert in Annalibus: anno 1577 observavere Tycho, et alii : anno 1677 P. *Fontaney*, aliique. Recurrere eosdem cometas post certum tempus, et eorum posse recursus prædici, Bernoullius Astronomus Basileensis adeo obfirmate censuit, ut prædixerit cometam anni 1680 visum iri anno 1719, in primo gradu 12, Arietis; ut quidem refertur in Historia Academiæ Regiæ scientiarum, anni 1705, pag. 140. Berlini observatum fuisse cometam hoc anno 1719, circa id tempus nuper audivimus, sed eum minimum, et terræ vicinum. H. — Quod olim conjectura assecuti erant antiqui, id anno 1705 demonstravit Cl. Halley, astronomicisque calculis probavit eumdem esse cometem, qui visus est annis 1456, 1531, 1607, 1682, eumdemque reversurum anno 1759. Vaticinio fidem fecit eventus; compertumque est hujus cometæ periodum esse annorum 75, aut 76. Brot.

33. *Nonnisi relicta ab Sole cerni.* Fieri sane potest ut idem cometa recurrat identidem, tametsi nemo id animadvertat: vel quia sub crepuscula revertitur; vel quia nitente cauda, quæ eum sæpius prodit, et nebulosis radiis destituitur. Sic cometa a P. *Fontaney* in collegio nostro Parisiensi deprehensus est in Eridano cauda destitutus, qui aliorum diligentiam elusit. Caudatus etiam visus a nobis tota fere nocte quæ 26 Augusti diem antecessit, anno 1682. Et Seneca loco citato, cap. 20: « quemdam cometem apparuisse, quem Sol vicinus obtexerat, Posidonius tradit. » Hard. — Lectio *ab Sole* Chiffletiani codicis est : cæteri dant *a Sole*. Ed.

34. *Alii vero.* Ut Epigenes, Peripatetici. Vide Senecam, et Galenum locis citatis. Hard. — Ergo illi cometas e siderum albo deletos inter fortuita retulerant meteora, quorum opinionem, vix uno abhinc sæculo plane destitutam, Pythagoræ observationibus tandiu superfuisse mirum est. Ed.

35. *Solvi.* Dissipari, ubi fortuitæ desinunt causæ. Ed.

XXIV. (XXVI.) Idem Hipparchus[1] nunquam satis lauda- 1
tus (ut[2] quo nemo magis approbaverit cognationem cum homine siderum, animasque nostras partem esse cæli), novam stellam et aliam[3] in ævo suo genitam deprehendit: ejusque motu, qua die fulsit, ad dubitationem est adductus, anne hoc sæpius fieret, moverenturque et eæ, quas putamus affixas; ideoque[4] ausus, rem etiam Deo im- 2
probam[5], annumerare posteris stellas, ac sidera ad nomen expungere[6]; organis[7] excogitatis, per quæ singularum

XXIV. 1. *Idem Hipparchus.* Idem de quo supra capp. 9 et 10. Ed.

2. *Ut quo.* Quippe quo. Ed.

3. *Novam stellam et aliam.* Hoc est, non cometici, sed diversi generis, cujusmodi sunt cælo affixa sidera, ut Tycho recte vidit, Progymn. t. I, pag. 322. Hard. — Insignissima fuit inter stellas, quæ recens apparuere, deinde videri desiere, stella anno 1572, mense novembri in Cassiopea visa; videri desiit mense martio, anni 1574. Brot. — Credibile est stellas istas, quæ loco non mutato interdum apparent, interdum evanescunt, Soli similes, maculas quoque suas habere quibus obscurentur; easque maculas tum evanescere, quum aut liquida stellæ ipsius materia absorbentur, aut alia nobis facies revoluti sideris obvertitur. Vide quæ de ista re disputavit clarissimus Laplace, *Exposition du système du monde*. Ed.

4. *Ideoque.* Recepimus Elzevirianam lectionem, quam dabat etiam Vet. apud Dalec. Ipse Dalecampius, et post hunc Harduinus, *idemque*. Ed.

5. *Improbam.* Audacem etiam ipsi Deo: siquidem rerum naturam audet supra Deorum ipsorum captum ponere improba Plinii sapientia. Hipparchi catalogum, 1022 stellas continentem, ad nos transmisit in Almagesto suo Ptolemæus, postquam illarum omnium situs reduxit, ut suo tempore par erat. Alium Tycho-Brahe catalogum concinnavit, quem ejus alumnus auxit Keplerus in tabulis Rudolphinis. Alium Thomas Hyde, Oxoniæ anno 1665 edidit, in quo multum profecit ex Orientalium astronomorum observationibus. Alium et multo accuratiorem Joannes Flamsteed, in historia cælesti Britanuica, Lond. 1725. etc. etc. Vide Delalande, *Astronomie, chap.* 16. Ed.

6. *Ad nomen expungere.* Hactenus editum fuit *ad normam expungere*. Verum emendationem nostram defendunt codd. MSS. omnes, Regius uterque, Colb. 2, Chifflet. Vetus Dalec. aliique. Expungere ad nomen sidera est appellatis subinde sideribus, numeratisque stellis quibus ea constant, ut ad alia fiat deinde progressio, priorum expungere nomina, quasi jam de iis cognitione peracta. Hard. — *Expungere* pro *recensere*, ex Suetonio, Seneca, maximeque ex Tertulliano profertur. Hoc sensu gallice dicitur *pointer*, id est, præsentium nomina

loca atque magnitudines signaret: ut facile discerni posset ex eo, non modo, an obirent, nascerenturve, sed an omnino aliqua transirent, moverenturve; item an crescerent, minuerenturque: cælo in hereditate cunctis relicto, si quisquam, qui cretionem[8] eam caperet, inventus esset.

1 XXV. Emicant et faces[1], non nisi quum decidunt visæ: qualis Germanico[2] Cæsare gladiatorum spectaculum edente, præter ora populi meridiano[3] transcucurrit. Duo genera earum: Lampades[4] vocant plane faces; alterum
2 Bolidas[5], quale Mutinensibus[6] malis visum est. Distant

punctu vel nota qualibet in catalogo signare. Notissimæ vero formulæ *ad nomen citare*, *ad nomen respondere*, etc. Ed.

7. *Organis excogitatis.* Cujusmodi hæc essent instrumenta non constat. Pleraque enim organa signandis astrorum locis necessaria jam ante se cognita invenerat Hipparchus; nisi quod dioptris antea usitatis pinnulas ab illo primu additas esse testatur clarissimus Bailly, *Astron. mod. II*, 6. Ed.

8. *Qui cretionem.* Ita recte Pintianus ex suo codice, nosque ex nostris omnibus, quum libri editi perperam *rationem* præferant. Est autem *cretio* vox Ciceroni familiaris, lib. XIII, Ep. 45, ad Attic. atque alias sæpe, quæ hæreditatis aditionem significat. Hard.

XXV. 1. *Emicant et faces.* Impressiones igneas omnes, quas medio in aere accendi constat, et ex habitu sulphureo nitrosoque oriri, Plin. existimavit in cælo ipso nasci, aut de cælo decidere: quemadmodum cap. 6 diximus, quum de stellis discurrentibus ageremus. Id vero etiam legenti initium cap. 38, multo constabit apertius. Hard. — Meteora ista, supra nostras cervices transcurrentia, diversaque a stellis labentibus, modo aerolithis ascribenda sunt; modo vaporibus incensis aut electrica vi prognata videntur; et quamvis frequentissime recurrant, explicatione adhuc certa indigent. Ed.

2. *Germanico.* Is Drusi filius, a Tiberio adoptatus, veneno per Pisonem sublatus est. Seneca, lib. I, Natur. quæst. cap. 1, pag. 832: « Vidimus, inquit, non semel flammam ingentis pilæ specie, quæ tamen in ipso cursu suo dissipata est. Vidimus circa divi Augusti excessum simile prodigium: nec Germanici mors sine denunciatione tali fuit. » Hard.

3. *Meridiano.* Sub. tempore. Sic alias quoque apud Plinium, lib. IX, cap. 8: *meridiano immorans.* Sic etiam inveniuntur absolute dicta *matutino*, *vespertino* et similia. Ed.

4. *Lampades.* Malo *lampadas.* Ed.

5. *Bolidas.* Βολὶς Græce missilem hastam et jaculum sonat. Hard.

6. *Mutinensibus malis.* Obsesso Mutinæ Bruto a M. Antonio, factoque ibi vehementi et cruento prælio, de quo Appianus, lib. III, Civ.

quod faces vestigia longa faciunt, priore ardente parte ; bolis vero perpetua ardens, longiorem trahit limitem.

XXVI. Emicant et trabes[1] simili modo, quas[2] Docos 1
vocant : qualis quum Lacedæmonii[3] classe victi, imperium Græciæ amisere. Fit et cæli ipsius hiatus, quod[4] vocant Chasma[5].

Ibi prætoriani Cæsaris milites ad unum omnes occubuere : consules ambo trucidati, etc. « Pharsalia, Philippi, Perusia, et Mutina, nota publicarum cladium nomina, » inquit Tacitus, Hist. lib. I, cap. 50. Dio, lib. XLV, pag. 278, λαμπάδα facem vocat, quæ circa Mutinensis belli tempus visa est ab occasu in ortum transcurrere. Hard.

XXVI. 1. *Emicant et trabes.* De his Seneca, Natur. quæst. lib. VII, cap. 4 et 5. Lucem in aere, seu quamdam albedinem, angustam quidem, sed oblongam, de noctu quandoque visam, sereno cælo, si parallelo situ sit, Trabem vocant : si perpendiculari, Columnam : si cum cuspide, Bolida, sive jaculum. Sunt hodie qui velint, ut cometas, ita etiam trabes, supra regionem elementarem attolli sublimes, atque ex eadem gigni materia : Fromondus, Meteorolog. lib. II, cap. 5, observatam ait anno 1625 ingentem trabis molem, intempesta nocte ab occasu exortam, Lunæ fulgorem infuscasse, atque eripuisse oculis : non ea igitur supra Lunam fuit; neque vero esse, sententia Aristotelis est, lib. I, Meteorol. cap. 4. Hard. — Trabs, anno 1704, die 26 decembr. Massiliæ observata est, ab ortu in occasum tendens, quæ tandem in mare præcipitavit, ibique demersa est : *Mém. de l'Acad. des Sc. an.* 1705. Aerolithum fuisse credo. Sed pleræque trabes ad phænomenon aliud, satis apud nos rarum, sed in septemtrionalibus plagis frequens, auroram borealem, videntur esse referendæ. Causa *electrismo*, vel *magnetismo*, vel *solari atmosphæræ* circa polos radianti imputatur. Confer omnes de physica scriptores, et Harduini notam ad cap. 33. Ed.

2. *Docos.* Sic Dalec. et Elzev. Contra Vet. apud Dalec. et Chiffl. latinis litteris græcam terminationem expresserunt, *docus.* Harduinus græce δοκοὺς. Ed.

3. *Lacedæmonii.* Classe victi ab Atheniensibus Conone duce, imperio maris spoliati, Olymp. xcvi, anno secundo, ut scribit Diodorus, lib. XIV, pag. 303 : « Et hoc initium » inquit Justinus, lib. VI, cap. 4 « Atheniensibus resumendæ potentiæ, et Lacedæmoniis habendæ finis fuit. Namque, velut cum imperio etiam virtutem perdidissent, contemni a finitimis cœpere. » Hard.

4. *Quod vocant.* Vet. apud Dalec. *quem vocant.* Ed.

5. *Chasma.* Seneca, quæst. lib. I, Nat. cap. 10 : « Sunt chasmata, inquit, quum aliquando cæli spatium discedit, et flammam dehiscens velut in abdito ostentat. » Arist. l. I, Meteorol. cap. 5. : Τὰ δὲ χάσματα, etc. Quem in locum multa ha-

1 XXVII. (XXVII.) Fit et sanguinea specie[1] (quo nihil terribilius mortalium timori[2] est) incendium ad terras cadens inde[3]: sicut Olympiadis[4] centesimæ septimæ anno tertio,
2 quum rex Philippus Græciam quateret. Atque hæc ego statis[5] temporibus naturæ, ut cætera, arbitror exsistere; non, ut plerique, variis de causis, quas ingeniorum acumen excogitat. Quippe ingentium malorum fuere prænuncia: sed ea accidisse[6] non, quia hæc facta sunt, arbitror; verum hæc ideo facta, quia incasura erant illa. Raritate autem occultam eorum esse rationem, ideoque non, sicut exortus[7] supra dictos, defectusque, et multa alia, nosci.
1 XXVIII. (XXVIII.) Cernuntur[1] et stellæ cum Sole totis

bet Cabeus, l. I, text. XXIV, p. 141. H. — Verus autem hujus loci interpres Cl. de Mairan, *Traité de l'aurore boréale*, *sect. III*, *chap.* 3, fragmentum istud circuli describens, fumida luce plenum, quod auroræ borealis initio circa septemtrionem, aut paulo ad occidentem vergens conspicitur. Vide et de hoc loco, multisque ad hunc librum pertinentibus, disserentem eruditum Richard, *Histoire de l'air*, t. *X*. Ed.

XXVII. 1. *Fit et sanguinea*, etc. Arist. loc. cit. αἱματώδη χρώματα vocat. Hard. — Lectionem nostram Harduinus ex Chiffletiano codd. et Vett. edd. expressit. Dalec. et Elz. *fit et sanguinea species et (quo nihil terribilius*, etc.) Ed.

2. *Mortalium timori.* Pro *mortalibus timidis*. Ed.

3. *Cadens inde.* Visum e cælo in terras cadere. Auroram borealem sæpe pro incendio habitam ostendit Richard, tomo citato, passim. Ed.

4. *Olympiadis* CVII *anno tertio.* Ita constanter libri etiam MSS. omnes habent *anno tertio*. Nihil igitur audemus hic mutare, quamvis Diodoro aliter statuente, lib. XVI, pag. 450. Hard.

5. *Statis.* Vet. ap. Dalec. *ratis*. Ed.

6. *Sed ea accidisse*, Hoc est, ea prodigia, fortuitaque phænomena, non fuere sequentium malorum causa, sed signum. Utor Senecæ verbis, lib. I, Natur. quæst. cap. 1. Hard. — Melius, si sibi constaret Plinius, hæc phænomena, nec causam, nec signum terrestrium malorum esse dixisset. Sed homo nequaquam religiosus, ut jam vidimus, astrologicis tamen superstitionibus mire imbutus erat. Ed.

7. *Sicut exortus*, etc. Sicut exortus siderum errantium supra dictos. Hard.

XXVIII. 1. *Cernuntur et stellæ.* Quid sibi vult Noster? An interdiu aspici posse planetas quosdam, ut puta Venerem? Sed hoc vulgare et quotidianum est. An Sole maculis aut eclipsi obscurato, cerni aliquando cælum tanquam noctu stellis variegatum? At istud ipsum jam dixerat cap. 11. Ed.

diebus; plerumque et circa Solis orbem, ceu spiceæ[2] coronæ, et versicolores[3] circuli: qualiter Augusto Cæsare[4] in prima juventa Urbem intrante, post obitum patris, ad nomen ingens capessendum. (XXIX.) Exsistunt[5] eædem coronæ circa

2. *Ceu spiceæ coronæ.* Prius legebatur, *seu specie coronæ.* Verum præter codices omnes MSS. Reg. 1, 2, Colb. Chiffl. etc. confirmat emendationem nostram Julius Obsequens, cap. 128: « M. Antonio, P. Dolabella Coss. Soles tres fulserunt, circaque Solem imum, corona spicæ similis in Urbem emicuit, et postea in unum circulum Sole redacto, multis mensibus languida lux fuit. » Dio rem signat expressius, lib. XLV, pag. 278, iisdem Consulibus, post Cæsaris necem: Τό, τε φῶς τοῦ ἡλίου ἐλαττοῦσθαί τε καὶ σβέννυσθαι· ποτὲ δὲ ἐν τρισὶ κύκλοις φαντάζεσθαι ἐδόκει. Καὶ ἕνα γε αὐτῶν στέφανος σταχύων πυρώδης περιέσχεν. « Solis lumen aliquando minui, et exstingui; aliquando intra tres circulos effulgere ipse visus est, quorum unum corona spicea, eaque ignita, circumdaret. » Hard.

3. *Et versicolores.* Diversum hoc a superiore ostentum. Meminit Dio, lib. XLV, pag. 272. Hard. — Hi videntur ab humido nati aere lucis radios diversis refringente modis, et ad eamdem causam referendi quæ Iridis arcus procreat. Ed.

4. *Augusto Cæsare.* Sueton. in Augusto, cap. XCV. Sed multo explicatius Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap. 2: « Memoriæ proditum est, quo die Divus Augustus Urbem ex Apollonia reversus intravit, circa Solem visum coloris varii circulum, qualis esse in arcu solet: hunc Græci ἅλω vocant, nos dicere coronam aptissime possumus. Quemadmodum fieri dicatur, exponam. Quum in piscinam lapis missus est, videmus in multos orbes aquam discedere, etc. » Ac paulo post: « Tales splendores Græci areas vocavere, etc. » Apollonia, unde Romam Octavius est reversus, urbs Epiri est ad Ionium mare, studiorum celebritate eo ævo nobilis, ut testatur Dio, lib. XLV, pag. 271. *In prima juventa*, ut ait Plinius, tum fuit Augustus, hoc est, annorum octodecim, anno Urbis conditæ DCCVII. Tunc Romam venit, post mortem patris sui Octavii, ad nomen ingens Cæsaris avunculi sui, a quo tunc adoptabatur, capessendum. Nisi forte, quod alicui magis arridere potest, *pater* ipse Dictator a Plinio appellatur, cujus Divi F. id est, *filius* in nummis Augustus scribitur. Ed. — Patrem Octavii Cæsarem hic nuncupari, nihil dubium. De prodigio Velleius lib. II, cap. 59, 6: « Quum intraret Urbem, Solis orbis super caput ejus curvatus æqualiter, rotundatusque in colorem arcus, velut coronam tanti mox viri capiti imponens, conspectus est. Ed.

5. *Exsistunt eædem.* Hæc totidem verbis Arist. Meteor. lib. III, cap. 2: « Τῆς μὲν οὖν ἅλω φαίνεται πολλάκις κύκλος ὅλος, καὶ γίγνεται περὶ ἥλιον, καὶ σελήνην, καὶ περὶ τὰ λαμπρὰ τῶν ἄστρων, etc. Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap. 2: « Hæ coronæ noctibus fere circa Lunam, et alias stellas notantur: interdiu raro, adeo ut quidam ex Græcis negaverint eas omnino fieri, quum illos historiæ coarguant. » Et cap.

Lunam, et circa nobilia astra, cælo quoque [6] inhærentia.

1 XXIX. Circa Solem arcus [1] apparuit, L. [2] Opimio, Q. Fabio Consulibus; orbis, L. Porcio [3], M. Acilio; (XXX.) circulus rubri coloris, L. Julio [4], P. Rutilio Coss.

1 XXX. Fiunt prodigiosi, et longiores Solis [1] defectus: qualis occiso Dictatore Cæsare, et Antoniano bello, totius pæne anni pallore continuo.

10: « Arcus solares lunaresque omnes sunt: coronæ, omnium siderum. » Corona circa Lunam visa Parisiis, die decima Aprilis, anno 1683, hora nona vespertina. H.

6. *Cælo quoque inhærentia.* Id est, etiam circa stellas affixas. Vet. ap. Dalec. *cæloque inhærentia.* Ed.

XXIX. 1. *Arcus. Arcus* est circulus dimidiatus, ut *orbis* circulus integer, quem versicolorem aliquando videri jam supra dictum est. Interdum ruber apparet; interdum lucidus sine colore. Omnia ista ex oculorum falso judicio nasci, quos interjectus aliquis vapor decipiat, radios lucis refringendo, nunc omnibus constat, et jam diserte ostenderat Plutarchus, de philosophorum placitis, lib. III, cap. 18. Ed.

2. *L. Opimio.* L. Opimius Nepos, et Q. Fabius Maximus Allobrogicus, gessere Consulatum anno U. C. DCXXXIII, ut dicetur, lib. XIV, cap. 16. Hard. — Vet. ap. Dalec. et Chiffletii codex *Opimio III et Q. Fabio II Coss.*; sed Fasti refragantur. Ed.

3. *L. Porcio.* L. Porcius Cato, Censorii Catonis nepos, et M' (hoc est, Manius, non Marcus,) Acilius Balbus Consules fuere anno U. C. DCXL. Porcio prænomen Caii donant Julius Obsequens et Cassiodorus. At MSS. omnes Plinii, librique editi, *L. Porcio* constanter exhibent. Hard. — Errare potuit Plinius; legendum tamen videtur *C. Porcio.* Ed.

4. *L. Julio.* Anno U. C. DCLXIV ex Fastis et ex Julio Obsequente, fuere Consules L. Julius Cæsar, P. Rutilius Lupus. Hard.

XXX. 1. *Solis defectus.* Citra eclipsim hic defectus fuit, ut monet Petavius, de Doctr. Temp. lib. X, cap. 63, pag. 269. Nebularum globus, toto anno sub Sole visus, Solis corpus pallidum ac sine fulgore propemodum ullo reddebat, inquit Plutarchus in Cæsare, pag. 742: Ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν, etc. Vide etiam Dionem, lib. XXV, pag. 278. Describitur hic Solis defectus, vel quocumque alio nomine appellari lubet, a Virgilio, Georg. lib. I, v. 466: « Ille etiam exstincto miseratus Cæsare Romam: Quum caput obscura nitidum ferrugine texit, Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem. » Hard. — Longiores illi Solis defectus, non ex eclipsi, sed ex maculis solaribus, quæ Solem obumbrant, orti sunt. Maculas illas felici astronomiæ fato primus detexit mense Martio anni 1611 P. Christophorus Schneider, e societate Jesu. His maculis sæpe ob-

XXXI. (XXXI.) Et rursus plures Soles[1] simul cernuntur: 1
nec supra ipsum, nec infra, sed ex obliquo; nunquam juxta, nec contra terram; nec noctu, sed aut oriente, aut occidente. Semel et meridie conspecti in Bosphoro produntur, qui a matutino tempore duraverunt in occasum. Trinos 2
Soles[2] antiqui[3] sæpius videre: sicut Sp. Postumio[4], Q. Mucio; et Q. Marcio[5], M. Porcio; et M. Antonio[6], P. Dolabella; et M. Lepido[7], L. Planco Coss. Et nostra ætas vidit Divo

scuratus est Sol, vel pars magna Solis, præcipue anno 535, quo Sol per quatuordecim menses magnam lucis diminutionem passus est. Anno 626 discus Solis media sui parte latuit a mense Octobri ad mensem Junium. Hoc etiam sæculo, annis 1718, 1719 et 1727, plures fuere maculæ solares, pæne continuæ, majores etiam terra: et tamen, quod est observatione dignum, anni illi inter calidissimos annumerantur. Vide *Mémoires de l'Académie royale des sciences, an* 1727, *pag.* 401. BROT.

XXXI. 1. *Plures Soles*. Quæ de parheliorum situ ac tempore placita nunc Plinius refert, ea plane ad verbum Aristoteles habet, Meteorol. lib. III. cap. 2. Singulorum hujus doctrinæ capitum causas investigat idem Philosophus, cap. 6. De iis Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap. 11: « Quid eas vocem? Imagines Solis? Historici Soles vocant, et binos ternosque apparuisse memoriæ tradunt: Græci παρήλια appellant, quia in propinquo fere a Sole visuntur, aut quia accedunt ad aliquam similitudinem Solis. » Anno 1671, die 26 Maii, hora 5 matutina, Carnuti in Gallia corona circa Solem visa est, in qua duo parhelia, cælo sereno, sine ulla nube. HARD.

2. *Trinos Soles*. Familiare est, ut quum duos vel tres Soles apparuisse dicimus, Solem quoque verum, et non παρηλίους, spuriosve duntaxat, eo numero comprehendamus. Exempla, præter Pliniana, suppeditant Julius Obsequens, cap. 92, aliique. HARD.

3. *Antiqui*. Vet. apud Dalec. *et antiqui*, non male; nam paulo infra, *et nostra ætas*. ED.

4. *Sp. Postumio*. Sp. Postumio Albino Paulo, Q. Mucio Scævola Coss. anno U. C. DLXXX, quo anno tres simul Soles effulsisse Livius pariter est auctor, lib. XLI. HARD.

5. *Et Q. Marcio*. Q. Marcius Rex, et M. Porcius Cato, Consules fuere anno U. C. DCXXXVI. H.

6. *Et M. Antonio*. Quo anno interfectus est Cæsar. Hoc quoque refert Julius Obsequens, laudatus a nobis ad cap. 28, not. 2. HARD. — Annus est U. C. DCCX. P. Cornelius Dolabella in locum C. Cæsaris occisi suffectus est, et pæne integrum annum gessit. ED.

7. *Et M. Lepido*. Julius Obsequens, cap. 130: « M. Lepido, Munatio Planco Coss. Soles tres circiter hora tertia diei visi, mox in

Claudio principe, consulatu ejus[8], Cornelio Orfito collega. Plures[9] simul, quam tres, visi ad hoc ævi nunquam produntur.

1 XXXII. (XXXII.) Lunæ[1] quoque trinæ, ut Cn. Domitio, C. Fannio Consulibus, apparuere : quos plerique appellaverunt Soles nocturnos.

1 XXXIII. (XXXIII.) Lumen[1] de cælo noctu visum est, C. Cæcilio[2], Cn. Papirio Consulibus, et sæpe alias[3], ut diei species noctu[4] luceret.

1 XXXIV. (XXXIV.) Clypeus[1] ardens ab occasu ad ortum

unum orbem contracti. » Id contigit altero post Cæsaris necem anno. HARD. — Anno U. C. DCCXII. ED.

8. *Consulatu ejus.* Qunm quintnm Consul esset, Ser. Corn. Scipione Orfito collega, anno imperii Claudii undecimo, Christi quinquagesimo primo. HARD.

9. *Plures simul.* Gassendus in lib. X Laertii, cap. de Parheliis, pag. 1131, visos sex esse in Polonia scribit, anno 1625. Scheinerum vero observasse Romæ quinque, die 20 Martii 1629. Septem etism, anno sequente 1630, die 24 Jsnnarii. Addit antem, psg. 1134, nihil obesse qnin apparere simul parhelii saltem undecim possint. HARD.

XXXII. 1. *Lunæ quoque.* Παρασελήνας seu spurias Lnnas appellant, de quibns eadem quæ de parbeliis, servata proportione, dicenda videntnr. Julins Obsequens, cap. 92 : « Cn. Domitio, C. Fannio Coss. in Gallia tres Soles, et tres Lunæ visæ. » Fuit is annus U. C. DCXXXII. Aliud exemplnm refert Plutarchus in Marcello, psg. 299. HARD.

XXXIII. 1. *Lumen.* Milichius hoc nihil aliud esse putat quam chasma snperius explicatum, cap. 26. Gassendus in Epicuri Philosophiam, pag. 1137, fulgorem esse opinatur, qni aliquando nocte intempesta, et silente etiam Luna, totum septemtrionslem tractum ita occupat, ut claram auroram mentiatnr : unde et *Aurora Borea* ab aliquibus dicitur. HARD.

2. *C. Cælio.* Anno U. C. DCXLI. Consulatum iniere C. Cæcilius Metellus, et Cn. Papirius Carbo. Refert hoc ipsum Julius Obseqnens, cap. 98. HARD.

3. *Et sæpe alias.* Vid. Jul. Obseq. capp. 73 et 131. Livium quoqne lib. XXVIII, cap. 11, et lib. XXIX, csp. 14. HARD.

4. *Noctu.* Vet. apud Dalec. et Chiffletii codex *nocte;* melius fortasse, surium jndicio, propter insequentem trimacrum. ED.

XXXIV. 1. *Clypeus.* Julius Obseq. cap. 105 : « C. Mario, L. Valerio Coss. sub occssu Solis, orbis clypei similis, ab occidente ad orientem visns præferri. » Fuit bic sextns Msrii consnlstus, anno U. C. DCLIV. Clypeorum in aere apparentinm

scintillans transcurrit, Solis occasu, L. Valerio[2], C. Mario Consulibus.

XXXV. (xxxv.) Scintillam[1] e stella cadere et augeri 1
terræ appropinquantem, ac postquam Lunæ magnitudine facta sit, illuxisse, ceu[2] nubilo die; dein, quum in cælum se reciperet, lampadem factam[3], semel unquam proditur, Cn. Octavio[4], C. Scribonio Coss. Vidit[5] hoc Silanus, Proconsul[6], cum comitatu[7] suo.

meminit Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap. 1, et lib. VII, cap. 20. Hard.

2. *L. Valerio, C. Mario Coss.* Anno U. C. dcliv. Cæterum hoc clypei ardentis prodigium cum globis ardentibus referendum est, quorum exempla admodum crebra, ratio adhuc incerta est. Plerique vapores siccos (gallice *des gaz*) in aere coaluisse et ignem duxisse credunt. Alii parvulos quosdam planetas, ignotos terræ satellites, a suo cursu devios, vel fragmenta hujusmodi planetarum fortuito collisorum agnoscunt. Plerumque ista meteora cum ingenti crepitu in lapideum imbrem explodantur; vid. infra ad cap. 38, not. 22. Ed.

XXXV. 1. *Scintillam e stella cadere*, etc. Phænomenon aliquod priori simile hic indicatur; falso ad cometas lampadios respexit Harduinus. Jam enim supra de illis actum erat; et de meteoro, non de sidere accipi posse quæ Plinius hoc loco tradit, manifestum est. Ed.

2. *Illuxisse, ceu nubilo die.* Tantum illuxisse noctu, quantum, quum nubilus est dies, solet lucere. Hard. — Dalec. et Elzev. *ceu nubilo diei.* Vet. apud Dalecamp. et Chiffl. cum Harduino conveniunt in hanc, quam dedimus, lectionem. Ed.

3. *Lampadem factam.* Id est, faci aut tædæ ardenti similem, quæ cometarum figura est quos Lampadias vocari supra dictum est. Ed.

4. *Cn. Octavio.* Anno U. C. dclxxviii, Cn. Octavio, C. Scribonio Curione Coss. Hard.

5. *Vidit hoc.* In libris hactenus editis legebatur: *Vidit hoc Licinius Syllanus proconsul*, quum MSS. codd. ut Dalec. de Chiffletii et alio vetere testatur, nullam Licinii mentionem faciant. Regius 2 codex totidem plane literis et apicibus scripsit, uti nos edi curavimus. Hard. — Legendum forte *D. Julius Silanus* ut vulgatæ scripturæ vestigia exstent, quæ sane non omnis e librariorum ingenio prodiit. Onuphrius in onomastico diversum hunc esse ratus ab eo qui postea Consul fuit, legendum censebat *L. Junius Syllanus*, proxime ad antiquam lectionem accedens, nisi quod *Silanus*, non *Syllanus*, manifesto scribendum erat. Ed.

6. *Silanus Proconsul.* Fuit hic Decimus Junius Silanus, qui Consulatum gessit aliquanto post cum Licinio Muræna, anno U. C. dcxcii. H.

7. *Cum comitatu suo.* Comitatus dicitur clientela sequens dominum.

1 XXXVI. (xxxvi.) Fieri videntur, et discursus[1] stellarum, nunquam temere, ut non ex ea parte truces venti[2] cooriantur.

1 XXXVII. Exsistunt[1] stellæ et in mari terrisque. (xxxvii.) Vidi nocturnis militum vigiliis, inhærere pilis[2] pro vallo fulgorem[3] effigie ea. Et antennis navigantium, aliisque navium partibus, ceu vocali[4] quodam sono insistunt, ut

Hard. — Comitatus proconsulis necessarius erant legati, scribæ, lictores, præter libertos et servos quos abducere secum voluerat. Ed.

XXXVI. 1. *Discursus.* Non quasi stellæ discurrant ipsæ: sed quum exhalationes, sulphureique spiritus in aere positi accenduntur, concipiuntque flammam, tum sensibus nostris illuditur, ac stellas discurrere facile credunt oculi. Sic tormentarium pulverem si sumas, eoque solum consperseris, longo quidem sed gracili ductu, admoto ad caput seu ductus hujusce initium igne, subsilire quodammodo flammam putes, quum pulvis subinde arripit, unaque alteram continentem accendit, et suscitat. Vide quæ diximus in notis ad cap. 6, et quæ Cabeus habet in lib. I, Meteorol. text. 20, pag. 123. Hard.

2. *Truces venti.* Virg. Georg. I, 365 : « Sæpe etiam stellas vento impendente videbis Præcipites cælo labi, noctisque per umbram Flammarum longos a tergo albescere tractus. » Etiam vulgus apud nos credit venti præsagas esse discurrentes stellas. Quanquam sudo tempore et serenitate diu superfuturs, sæpe hoc phænomenon observatum est : unde vis ejus prognostica merito venit in dubium. Ed.

XXXVII. 1. *Exsistunt stellæ et in mari terrisque.* Bene MS. Regius 2. Male MS. reg. 5, editio princeps et cl. Rezzonicus : *ex his tunc procellæ et in mari terrisque.* In terræ locis sulphureis, maris oleagineis, sæpe videntur illæ stellæ aut potius lumina. Brot.—Innuit Broterius eos quos vulgus *fatuos ignes*, nautæ (ut infra dicetur) diversis nominibus nuncupant, satis communes terra marique, et ex vaporibus incensis natos. Sed aliud fortasse intelligendum est, quum statim electrica subjiciantur phænomena. Ed.

2. *Inhærere pilis.* Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap 1 : « Gylippo inquit, Syracusas petenti, visa est stella super ipsam lanceam constitisse. In Romanorum castris visa sunt ardere pila, ignibus scilicet in illa delapsis. » H.—Quis hic non agnoscat vim electricam, *l'électricité*, toto orbe diffusam et efficacissimam : quam felicibus tentamentis anno 1729 promovit cl. Grey ; nunc singulos in annos novis curiosissimisque experimentis inclarescit. Brot.

3. *Fulgorem effigie ea.* Vet. apud Dalec. *fulgurum effigies.* Harduinus *effigie ea* recte interpretatur *stellarum effigie.* Ed.

4. *Ceu vocali quodam sono.* Invaluit etiam apud nos vulgaris hæc traditio, *fatuos* quos vocant *ignes*

volucres[5] sedem ex sede mutantes : graves[6], quum solita-
riæ venere, mergentesque navigia, et si in carinæ ima
deciderint, exurentes; geminæ autem salutares, et pro-
speri cursus prænunciæ : quarum adventu fugari diram
illam ac minacem, appellatamque Helenam[7], ferunt ; et 2
ob id Polluci et Castori[8] id numen assignant, eosque in
mari Deos invocant. Hominum[9] quoque capita vespertinis
horis, magno præsagio circumfulgent. Omnia incerta ra-
tione, et in naturæ majestate abdita.

XXXVIII. (XXXVIII.) Hactenus[1] de mundo ipso, sideri- 1
busque. Nunc reliqua cæli memorabilia. Namque et hoc
cælum[2] appellavere majores, quod alio nomine aera, omne
quod, inani[3] simile, vitalem hunc spiritum fundit. Infra
Lunam hæc sedes, multoque inferior (ut animadverto pro-
pemodum constare), infinitum[4] ex superiore natura aeris,

strepitum edere, tanquam deceptis viatoribus cachinnantes. Numquid veritatis huic superstitioni subest? Raro quidem flamma gignitur, quocumque modo expressa, quin sono et crepitu quodam aera diverberet. Ed.

5. *Ut volucres*, etc. Discurrentes in antennis et rudentibus, ut volucres in ramis arborum. Ed.

6. *Graves, quum solitariæ*, etc. Ex his superstitionibus id unum verum est, nimia electrismi copia procellas sæpe denunciari. Ed.

7. *Appellatamque Helenam.* Quum nempe solitaria. Ed.

8. *Polluci et Castori.* Hæc Seneca paulo uberius loc. cit. Galli et Hispani circa mediterraneum mare, S. Hermi, aut S. Telmi ignes appellant : Itali, SS. Petri et Nicolai. De his ignibus mira Funerius narrat, in Hydrogr. XV, 20. Hard.

9. *Hominum quoque capita.* Physicos nostros nihil nunc augit hoc phænomenon, electrismo imputandum, ut omnes sciunt. Tale in Servio Tullio miratum fuisse Tarquinium refert Livius Histor. I, 39. Tale Virgilius de Ascanio fingit, Æn. II, 682 : « Ecce levis summo de vertice visus Iuli Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli Lambere flamma comas et circum tempora pasci. » Ed.

XXXVIII. 1. *De mundo ipso.* Dalec. et Elz. *de ipso mundo.* Ed.

2. *Et hoc cælum.* Ita Pacuvius a nobis laudatus in Notis ad cap. 4. Hard. — Vide cap. 4, not. 12. Cælum nunc pro mundo, id est, pro stellarum domicilio, nunc pro aere terræ circumfuso memineris a Plinio usurpari. Ed.

3. *Inani simile.* Id quidem esse hujusmodi plebi videtur, ob raritatem ac tenuitatem. Hard.

4. *Infinitum.* Multum. Dicit ae-

infinitum et terreni halitus miscens, utraque sorte con-
2 funditur. Hinc nubila, tonitrua, et alia[5] fulmina. Hinc grandines, pruinæ, imbres, procellæ, turbines. Hinc plurima mortalium mala, et rerum naturæ pugna[6] secum. Terrena in cælum tendentia deprimit siderum vis; eademque, quæ sponte non subeunt, ad se[7] trahit. Decidunt imbres, nebulæ subeunt, siccantur amnes, ruunt grandines, torrent radii, et terram in medium undique impellunt[8]; iidem infracti resiliunt, et, quæ[9] potuere, auferunt secum. Vapor[10] ex alto cadit, rursumque in altum redit. Venti ingruunt inanes, iidemque cum rapina
3 remeant. Tot animalium haustus spiritum e sublimi trahit; at ille contra nititur, tellusque, ut inani[11] cælo spi-

rem, inter æthera et terram medium, ex utrinsque natura multum retinere. In vetustis libris vocem *infinitum* non geminari, sed secundo loco abesse monet Dalecampius; et sane abesse poterat nullo sensus detrimento. Ed.

5. *Et alia fulmina.* Fulgura nempe, quæ sine tonitru emicant. In Elzev. *et illa fulmina.* Ed.

6. *Pugna secum.* Ex congressu contrariarum qualitatum, frigiditatis et caloris. Hic locus videtur expressus ab Arist. lib. de mundo, cap. 2. Hard.

7. *Ad se trahit.* Dalec. et Elzev. *ad se trahunt.* Chiffletii codex, *ad se trahit*, quod cum Harduino dedimus. Cæterum physicas Plinii rationes hic assequi difficile est, in quibus unum hoc verum vidit, omnes naturæ partes agendo et retro agendo se invicem compensare: quam sententiam fœcundo complexus ingenio vir non satis clarus, doctissimus Azaïs, totius rerum systematis luculentam explicationem paucis abhinc annis protulit. Ed.

8. *Impellunt.* De radiis agitur; nam sequentia ad radios tantum pertinere possunt. Ergo, radios sive siderum lucem caloremque, materiæ legibus obnoxios esse Plinius agnoscit: non multum a nostra philosophia remotus, nisi quod vim quamdam aut pondus illis tribuit, quo terram undique repulsam in medio librent. De hoc mutuo rerum libramento, vide quæ dixit initio libri, cap. 4. Ed.

9. *Quæ potuere.* Bene, *quæ potuere*; nam nihil possunt neque impellere neque trahere. Amo Plinium suæ ipsum philosophiæ sic diffidentem. Proponebat Dalecampius, *quæ potavere.* Ed.

10. *Vapor ex alto cadit.* In pluviam nempe. Videtur hic vapor duplici sensu accipi pro calore et pro aqua calore rarefacta. Ed.

11. *Ut inani cælo.* Quasi exhausto cælo, tot animalibus inde spi-

ritum infundit. Sic ultro citroque [12] commeante natura, ut tormento [13] aliquo, mundi celeritate [14] discordia accenditur. Nec stare [15] pugnæ licet; sed assidue rapta [16] convolvitur, et circa terram immenso [17] rerum causas [18] globo ostendit, subinde per nubes cælum aliud [19] obtexens. Ventorum hoc [20] regnum. Itaque præcipua eorum natura ibi, et ferme reliquas complexa causas [21], quoniam et tonitruum et fulminum jactus, horum violentiæ plerique assignant. Quin et ideo lapidibus [22] pluere interim, quod vento [23] sint ra-

ritum trahentibus, rependit tellus ae regerit de suo vapores, qui cæli jacturam cum fœnore sareiant. H.

12. *Ultro citroque.* Dalecamp. et Elzev. *ultro citro.* Ed.

13. *Ut tormento aliquo.* Ut circumagendo balistæ vel fundæ impetus augetur. Ed.

14. *Mundi celeritate.* Cæli assidue rotata vertigine. Hard. — Hoc siderum motu et circumagentis se cæli turbine, assidue concitari ait elementorum discordiam; quæ si tandem desineret, universam rerum naturæ quietem morti similem fore. Ed.

15. *Nec stare pugnæ licet.* Nec quies aut mora in ea pugna est. H.

16. *Rapta.* Non pugna: sed natura, quam ultro citroque commeare dixit. Ed.

17. *Immenso globo.* Immensis cæli fornicibus appicta sidera, dum circumvolvitur, terris ostendit. Ed.

18. *Rerum causas.* Sidera tum vaga, tum quæ affixa cælo sunt, quorum efficientia res inferiores omnes gigni creduntur et contineri. Hard. — Pro *causas*, quod e Chiffletiano aliisque codd. recepit Harduinus, Dalec. edidit *quasi*, et paulo post *tendit* pro *ostendit*: sic nempe: *immenso rerum quasi globo tendit.* Parvo sane et exili sensu. Ed.

19. *Cælum aliud.* Vet. apud Dalec. *aliud atque aliud.* Sed elegantissima est nostra et vulgata lectio, *cælum aliud*: obductæ scilicet nubes falsum quasi cælum vero prætexunt. Ed.

20. *Ventorum hoc regnum.* Aer scilicet. Ed.

21. *Causas.* Rerum naturalium, ut tonitruum, fulgurum, etc. Ed.

22. *Lapidibus pluere.* Et sæpe postea nostris temporibus auditum est lapidibus, carnibus, frumento, lana aliisque pluisse; quum nempe recidant, quæ vento fuerant rapta. Vid. et infra cap. 57. Brot. — Possunt lapides turbine venti (gallice *une trombe*) in altum sublati, deinde recidisse instar pluviæ. Aliquando etiam, priscis ac remotis sæculis, grando immanis pro lapideo imbre accipi potuit. Sed plerique lapidum imbres (gallice *des aerolithes*) meteoris assignandi sunt, jam supra indicatis, cap. 34. Ed.

23. *Quod vento.* Turbine seu typhone arrepta saxa grandinante alio. Vide quæ dicturi sumus cap. 49. Legimus esse vallem in India,

pti, et multa similiter. Quam ob rem plura simul dicenda sunt.

1 XXXIX. (XXXIX.) Tempestatum rerumque quasdam statas[1] esse causas, quasdam vero fortuitas, aut adhuc rationis incompertæ, manifestum est. Quis enim æstates, et hiemes, quæque in temporibus annua vice intelliguntur, siderum motu fieri dubitet? Ut Solis[2] ergo natura temperando intelligitur anno, sic reliquorum quoque siderum propria est quibusque vis, et ad suam cuique naturam fertilis. Alia[3] sunt in liquorem soluti humoris fœcunda; alia concreti in pruinas, aut coacti in nives, aut glaciati in grandines; alia flatus, alia teporis, alia vaporis[4], alia roris, alia rigoris. Nec vero hæc tanta[5] debent existimari, quanta cernuntur, quum esse eorum nullum minus Luna tam
2 immensæ altitudinis ratio declaret. Igitur in suo quæque motu naturam suam exercent: quod manifestum Saturni[6]

e qua lapides sic excitati, deinceps deciderint. Lapidum pluviam ad singulos pæne annos, atque ad fastidium commemorat præ cæteris Livius. Videntur ii porro lapides multo verisimilius grandinei fuisse, sed insignis magnitudinis, et a quibus strages edi posset ingens. Facit ad hoc sacrorum etiam codicum auctoritas: ubi postquam Deus dicitur *misisse lapides de cælo magnos*, subjicitur: « Et interfecti sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos filii Israel interfecerunt gladio. » HARD.

XXXIX. 1. *Statas.* Vet. apud Dalec. *statutas.* ED.

2. *Ut Solis ergo.* Dalec. et Elz. *ergo ut Solis.* ED.

3. *Alia sunt*, etc. Alia sunt sidera ad imbres gignendos soluto humore fœcunda. HARD.

4. *Vaporis.* Caloris. HARD.

5. *Tanta.* Tantula, tam parva. ED.

6. *Saturni maxime.* Si cum Saturno jungatur aliud sidus, aiunt astrologi fieri quas dicunt Apertiones Portarum, seu Valvarum, Cataractarumque: hoc est, insignes tempestatum mutationes per vehementes ventos, imbres, tonitrua, grandines, etc. Si applicetur, v. g. Mercurius ad Saturnum, erit obscurus, pluvius, ac vehemens ventus, etc. Denique prout Saturnus aliusve planeta stellam perstringit unam ex iis, quæ sunt affixæ cælo, hujus tum vires credunt augeri: ipsumque etiam Martem prope Pleiadas meantem creare imbrium copiam vehementiorem volunt; multoque magis Saturnum. HARD. — Ridicula omnia. Quid enim ad nos pertinent tam remotorum siderum discursus? Vix ipsa Luna quid ad temperiem nostri cæli faciat, satis

maxime transitus imbribus faciunt. Nec meantium modo siderum hæc vis est, sed multorum etiam adhærentium cælo, quoties errantium accessu impulsa, aut conjectu radiorum exstimulata sunt : qualiter[7] in Suculis sentimus accidere, quas Græci[8] ob id pluvio nomine Hyadas appellant. Quin et sua sponte[9] quædam, statisque[10] temporibus, ut Hœdorum[11] exortus. Arcturi vero sidus non ferme sine procellosa grandine emergit.

XL. (XL.) Nam Caniculæ[1] exortu accendi Solis[2] vapores quis[3] ignorat? cujus sideris effectus amplissimi in terra

scimus; quæ tamen terræ proxima eodem nobiscum motu fertur, et ad sublevandos Oceani fluctus efficacem naturam consensu omnium sortita est. Ed.

7. *Qualiter in Suculis.* Conjunctione Martis aut Saturni, ut plane modo diximus, aliorumve errantium. Hard.

8. *Quas Græci ob id.* « Ab eo quod est ὕειν, » inquit Tullius Tiro, apud Gellium, lib. XIII, c. 9. Vide quæ dicturi sumus, lib. XVIII, cap. 66. Hard.

9. *Sua sponte.* Quamvis non aliorum siderum accessu impellantur, exstimulenturve radiis : hoc est, quamvis neque conjuncta sint, neque opposita ulli errantium stellarum. Hard.

10. *Statisque.* Vet. apud Dalec. *statutisque.* Fl.

11. *Hœdorum.* Dicetur de his sideribus multo opportunius, libro XVIII, cap. 74. Respicere mihi hoc loco Plinius videtur ad illud Virgilii, Georg. libro I, v. 204 : « Præterea tam sunt Arcturi sidera nobis, Hœdorumque dies servandi, et lucidus Anguis, Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis, etc. Hard. — Sic Harduinus, qui omissa, nescio cur, (nam ipse auctoritates suas reticuit,) parvula conjunctione *ut*, obscuram phrasim edidit : *Quin et sua sponte quædam, statisque temporibus, hœdorum exortus.* Nos Dalecampium et vetustiores secuti sumus. Ed.

XL. 1. *Caniculæ.* Sirii. Hard.

2. *Solis vapores.* Ita constanter libri omnes. Vapor hoc loco, et lib. IX, cap. 12, aliasque sæpius, calorem significat. Sic Horatius, Epodon Carm. III, v. 15 : « Nec tantus unquam siderum insedit vapor Siticulosæ Apuliæ. » Loquitur pariter de æstu Caniculæ Columella, lib. VII, cap. 3, de agnis : « Namque id pecus frigoris impatientissimum est, nec minus æstivi vaporis. » Hard.

3. *Quis ignorat?* Id vero possit fortassis in dubium revocari, quando certum est Caniculam, cæteraque fixa sidera, ob motum quem versus ortum habent, oriri jam et occidere uno circiter mense tardius, quam illis temporibus : et nihilominus tempestates non uno mense retardari, sed remanere, ut prius, alligatas Soli. Nam qui

sentiuntur. Fervent maria[4] exoriente eo, fluctuant in cel-
2 lis vina, moventur stagna. Orygem[5] appellat Ægyptus feram, quam in exortu ejus contra stare[6], et contueri tradit, ac velut[7] adorare, quum sternuerit. Canes[8] quidem toto eo spatio maxime in rabiem agi[9] non est dubium.

1 XLI. (XLI.) Quin[1] partibus quoque signorum quorum-

magni æstus olim erant circiter Julii medium, quo tempore tunc exoriebatur Canicula, iidem nunc quoque Julio fiunt, neque transferuntur in medium Augustum, quo nunc Canicula exoritur: neque verendum est translatum iri in Januarium post decem annorum millia, quo tempore tunc exorietur Canis, si etiam tum orietur. Vide plura in eam rem apud Gassendum, in lib. X, Laertii, pag. 917. Harn. — Non dubia modo, sed absurda est Plinii sententia, quæ Caniculæ aut Sirio exorienti vapores æstivos tribuit. Iisdem enim mensibus, ut recte observat Cl. Bouguerus, australes populi sævissimum frigus experiuntur. Quanto planius erat annuum hunc effectum diuturnæ Solis æstivi præsentiæ tribuere, qua terra sensim tepefacta magis magisque calefieri etiam post ipsum solstitium pergit, donec longiores demum noctes hunc ardorem temperent? Ed.

4. *Fervent maria*. Vide lib. XVIII, cap. 68. Harn.

5. *Orygem*. Damascius apud Photium in Bibl. cod. 242, pag. 1048: ὁ ὄρυξ τὸ ζῶον πταρνύμενος ἀνατέλλειν διασημαίνει τὸν Σῶθιν, *Oryx fera Caniculam oriri significat, quum sternuit*. Idem habet Ælianus, hist. anim. lib. VII, cap. 8: Αἰγυπτίων ἀκούω λεγόντων τὸν ὄρυγα συνιέναι τὴν τοῦ Σειρίου ἐπιτολὴν πρῶτον, καὶ μαρτυρεῖσθαι τῷ πταρμῷ αὐτόν. H.

6. *Contra stare*. Hunc ritum iisdem verbis describit Horus Apollo, pag. 47. Harn.

7. *Ac velut adorare*. Nempe demisso, ut fit, vi sternumenti capite. Harn.

8. *Canes quidem*. Vide lib. VIII, cap. 61. Harn.

9. *Non est dubium*. Vet. apud Dalec. *nulli dubium est*. Hard.

XLI. 1. *Quin partibus*. Nec tota solum constellatio præcipuas vires habet, sed et singulares quædam siderum partes, quibus in partibus tempestatum fieri conversio solet: quippe eo tempore ex tempestatibus, imbribus, ventis, sidus esse peractum, hoc est, pervenisse ad metam, et e quatuor anni tempestatibus unam signare intelligimus: sic Fidiculæ sidus, autumno conficitur; bruma, Vergiliarum, uti dicemus, lib. XVIII, cap. 69 et 74. Hunc locum Milichius, cæterique interpretes, non intellexere. Sidus confectum, pro solstitio peracto dixit pariter Plinius, lib. XVI, cap. 36, aliasque sæpius. Hard. — Sidus, inquit, vel Zodiaci signum, his temporibus confectum esse nobis indicat mutata simul anni tempestas: quod in Italia forsitan verius dici potest quam apud nos, de bruma præsertim hiemali; nam

dam sua vis inest : at autumnali æquinoctio, brumaque[2], quum tempestatibus confici sidus intelligimus; nec imbribus tantum tempestatibusque, sed multis et corporum et ruris experimentis: afflantur[3] alii sidere, alii commoventur, statis temporibus, alvo, nervis, capite, mente. Olea[4], et populus alba, et salices, solstitio[5] folia circumagunt.
Floret[6] ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba 2
pulegii : rumpuntur intentæ spiritu[7] membranæ. Miretur

solstitium hiemale frigora nostra longe præcedunt. Ed.

2. *Brumaque*. Vet. apud Dalec. *Brumæque*. Nihil mutandum. Bruma solstitium hiemale est, infra *brumalis dies*. Ed.

3. *Afflantur*. Siderantur. Sideratio morbi genus est, partem aliquam corporis, ipsumque sæpe totum corpus percutientis subito : quod quum repentino eveniat impetu, e cælo vi quadam sideris evenire putatur. Plautus : « Sideratus est, movere se nequit. » H. — Non astri alicujus vi maligna, sed diversa aeris ambientis temperie, quam tempestatum vices afferant, hæc et alia multa corporum incommoda nasci, omnibus nunc liquido constat. Ed.

4. *Olea*, etc. Vid. lib. XVIII, cap. 68. Hard.

5. *Solstitio folia*. Dalecamp. et Elzevir. *folia solstitio*. Jam ante monuimus solstitium dici Plinio æstivum duntaxat. Quod vero hic de olea, populo salicibusque narrat Plinius, omnes fere plantæ, foliis præsertim angustioribus comatæ, patiuntur, quum vel solis vel frigoris intemperie facies una foliorum induratur et adstringitur magis quam altera. Similem ob causam, charta foco admota convolvitur. Ed.

6. *Floret ipso*. Tullius, de Divin. lib. II, pag. 224 : « Ut enim, inquit, jam sit aliqua in natura rerum cognatio, quam esse concedo. Multa enim Stoici colligunt : nam et musculorum jecuscula bruma dicuntur augeri; et puleginm aridum florescere ipso brumali die; et inflatas rumpi vesiculas; et semina malorum, quæ in his mediis inclusa sint, in contrarias partes se vertere : jam nervos in fidibus aliis pulsis resonare alios; ostreisque, et conchyliis omnibus contingere, ut cum Luna crescant pariter, pariterque decrescant, » etc. Vide præterea Gellium, lib. II, cap. 8, et Arist. cap. 20. Probl. 21. Hard.

7. *Spiritu*. Aere incluso intenti rumpuntur utres. Hard. — Vesiculas dixit Tullius, quod sane probabilius, quam utres. Nec tamen Tullio ipsi fides habenda, quem non imitari debuerat Plinius temere rescribentem quod male apud alium legerat. Pulegium suspensum περὶ τροπὰς florere ait Aristoteles, quod de solstitio, non de bruma, intelligendum est. Etenim hoc sæpe accidit plantis omnibus, quæ crassæ aut crassifoliæ vocantur, ut etiam a terra revulsæ floreant; idque ma-

hoc, qui non observet quotidiano experimento, herbam unam, quæ vocatur heliotropium[8], abeuntem Solem intueri semper, omnibusque horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante. Jam quidem lunari potestate[9] ostrearum, conchyliorumque, et concharum omnium corpora augeri,
3 ac rursus minui. Quin et soricum[10] fibras respondere numero Lunæ, exquisivere diligentiores : minimumque animal formicam[11], sentire vires sideris, interlunio semper cessantem. Quo turpior homini inscitia est, fatenti præcipue jumentorum quorumdam in oculis[12] morbos cum

xime observant agricolæ in Sedo Telephio, vulgo *l'herbe de St. Jean*, id est, *herba solstitiali*. Nec tamen ideo velim Pulegia veterum nostris Sedis annumerare; sed Pulegii nomen πλατυμερῶς hic usurpari puto, pro planta aliqua crassifolia, quæ male observata aut male descripta more antiquornm fuerit. Similiter fervido anni tempore vesicas subito rumpi, calore scilicet inclusum aerem distendente, legerat alicubi Tullius, quod de bruma perperam intellexit. Nonne subolere errorem debuerat longe in his rebus exercitatior Plinins? Ed.

8. *Heliotropium*. Res ipsa græco nomine declaratur : dictum est enim ἀπὸ τοῦ πρὸς Ἥλιον τρέπεσθαι. Scilicet calore solis obversas sibi fibras teneri caulis astringente, floridi apices in hanc partem vergunt et inclinantur, etsi hoc ipsnm non ubique, nec semper observatur. Planta, cujus mentio rursus fiet lib. XXII, cap. 19, Linnæo dicitur *heliotropium arvense*, et in vineis nostratibus frequens est, non confundenda cum Heliantho, vnlgo *le soleil*, flore in hortis culto, cujus origo est Americana. Ed.

9. *Lunari potestate*. Explosam nunc a plerisqne opinionem de imminutis auctisve lunari potestate conchyliis, velim a physicis nostris, diligentius explorari; neque enim omnino sine causa prævalere potuit. Ed.

10. *Quin et soricum*. De his rursnm Plinius, lib. XI, cap. 76, et lib. XXIX, cap. 15. Plutarchus, lib. IV, Sympos. quæst. 5, non de quovis mure boc affirmat, sed de mygale tantum, boc est, de araneo mure. Hard. — Fibras jecoris intellige, id est, lobos infimos, quos in soricibus totidem esse credebant, quot effluxerant Lunæ dies. Nihil absurdius. Ed.

11. *Formicam*. Lib. XI, cap. 36, eadem pene iisdem verbis produntur de formicis interlunio cessantibus : vana prorsus opinio; quam tamen credidit Menagius ex aliqua veritate ortam, crebrioribus scilicet interlunio ventis, ideoque formicis intra sua tecta delitescentibus. Ed.

12. *In oculis morbos cum Luna*. Vide lib. XI, cap. 55. Hard. — Et hic ignosce antiqnorum credulitati. Ed.

Luna increscere, ac minui. Patrocinatur [13] vastitas cæli, immensa discreta altitudine [14] in duo [15] atque septuaginta
signa. Hæ sunt rerum aut animantium effigies, in quas 4
digessere cælum periti. In his quidem mille sexcentas adnotavere stellas, insignes [16] videlicet effectu visuve: exempli gratia, in cauda Tauri septem [17], quas appellavere Vergilias; in fronte, Suculas [18]; Booten [19], qui sequitur Septemtriones.

XLII. (XLII.) Extra has causas non negaverim exsistere 1

13. *Patrocinatur*, etc. Excusat tamen hominis inscitiam vastitas cæli, et siderum a nobis distantia. Quidam, *vastitas rei.* Vet. apud Dalec. *vastitas cæli*, *immensa altitudine*, *discreta*, etc. Ed.

14. *Altitudine.* Rectius fortasse *latitudine*: hæc enim est, quæ in tot signa discernitur. Hard.

15. *Duo atque septuaginta.* Consentiunt in eum numerum omnia exemplaria. Nihilominus qui plurimas numerant constellationes, e veteribus quidem Ptolemæus, 48 agnoscit: Keplerus in tabula Rudolph. stellarum, pag. 105, additis novis astris, quæ nauclcri observarunt ultra æquatorem transgressi, omnino habet duo et sexaginta. Forte Plinius particulas astrorum pro integris censet, puta Hœdos ab Auriga distinctos, Gorgonis caput a Perseo, a Tauro Pleiadas Hyadasque, Asellos a Cancro, Urnam ab Aquario, etc. quo numerus major excrescat. Si quid invitis MSS. mutari oporteat, legam *duodequinquaginta*: Tot enim sunt μορφώσεις ab Hipparcho, Eudoxo, et aliis designatæ. Hard. — Non plura quidem quam 48 signa numerantur, in Ptolemæi catalogo; at quum Firmicus alia multa signa nominet, videntur fuisse quidam stellarum catalogi in plura divisi. Idque tanto credibilius quod antiqui numerarent tantum 1022 stellas; contra vero Plinius adnotet stellas 1600, *insignes effectu visuque.* Ipseque Plinius infra, cap. 71, memorat *Cæsaris thronon.* Brot.

16. *Insignes videlicet.* Quid si igitur addantur ad hunc numerum eæ quæ priscos illos observatores latuerunt, ultra Zonam torridam positæ? Quid si præacutis oculis illa ipsa, quæ novere, cernantur? In Orionis clypeo amplius quadraginta, quatuordecim in Pleiadibus vident, qui sunt visus paulo perspicacioris: telescopii beneficio, quadraginta. Sinenses longe plures habent in numerato, quam nos. H.

17. *Septem, quas.* Septem sunt apud Aratum et Hipparchum; apud Geminum, sex, quia una ex iis nebulosior est: unde illud Ovid. Fast. IV, 169: « Pleiades incipiunt humeros relevare paternos, Quæ septem dici, sex tamen esse solent. » Hard.

18. *Suculas.* Vide cap. 39. Ed.

19. *Booten.* Qui etiam Arctophylax vocatur, id est, Ursarum custos, et Bubulcus. Hard.

imbres ventosque : quoniam[1] humidam a terra, alias vero
propter vapores[2] fumidam[3] exhalari caliginem certum est;
nubesque[4], liquore egresso in sublime, aut ex aere coacto
2 in liquorem, gigni. Densitas earum corpusque, haud
dubio conjectatur argumento, quum Solem obumbrent,
perspicuum alias etiam urinantibus in quamlibet[5] profundam aquarum altitudinem.

1 XLIII. (XLIII.) Igitur non eam inficias, posse in has et ignes superne[1] stellarum[2] decidere, quales[3] sereno sæpe cernimus : quorum ictu concuti aera verum est, quando et tela vibrata strident. Quum vero in nubem pervenerint, vaporem dissonum[4] gigni, ut candente ferro[5] in aquam

XLII. 1. *Quoniam humidam.* Vet. apud Dal. *quoniam alias humid.* Ed.

2. *Propter vapores.* Propter Solis ardores. Hard.

3. *Fumidam.* « Terrenum vaporem et siccum, fumo similem, qui ventos, et tonitrua, et fulmina facit, » inquit Seneca, Natur. quæst. lib. II, cap. 12. Hard.

4. *Nubesque.* Nubesque fiunt, inquit, partim e vapidis exhalationibus, quæ e terra et aqua subeunt in sublime; partim ex aere ipso qui concrescit frigore, atque crassescit. Hæc etiam habet Arist. Meteorol. lib. I, cap. 9. Hard.

5. *In quamlibet.* Nimium istud sane, ac præter verum. Nam piscatores unionum maris Pacifici juxta Panamam, in Orbe novo, referunt non infra quindecim cubita aspici a se Solem. Idem affirmant urinatores Indiæ Orientalis ad Ormuzium, ut narrat Fromondus didicisse se a religioso teste, Meteorol. lib. I, cap. 3, art. 2. Hard.

XLIII. 1. *Superne.* Vet. apud Dalec. *supernarum.* Sed alias quoque *superne* pro *desuper* usurpatur a Plinio, ut XIV, 23, *superne deciduo.* Ed.

2. *Stellarum decidere.* Hos ignes ex æthere destillatos, quos nubes inclusos custodiant, causas esse tonitruum, putavit quoque Anaxagoras, teste Seneca, Natur. quæst. lib. II, cap. 12. Hard.

3. *Quales sereno sæpe cernimus.* Vide supra, cap. 36. Ed.

4. *Vaporem dissonum.* Calorem in nube gigni, cum sono incognito. Hard.

5. *Ut candente ferro.* Sic Anaximenes, apud Senecam loc. cit. cap. 17, ubi hanc tonitruum causam is affert. « Quidam, inquit, existimant ipsum spiritum per frigida atque humida euntem, sonum reddere : nam ne ferrum quidem ardens silentio tingitur. Sed quemadmodum, si in aquam fervens massa descendit, cum multo murmure exstinguitur : ita, ut Anaximenes ait, spiritus incidens nubibus tonitrua edit, et dum luctatur, per obstantia et intercisa vadens, ipsa ignem fuga accendit. » Hard.

demerso, et fumidum verticem volvi : hinc nasci procel-
las. Et si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi :
si erumpat[6] ardens, fulmina : si longiore[7] tractu nitatur,
fulgetra. His[8] findi nubem, illis perrumpi. Et esse to- 2
nitrua impactorum ignium plagas[9] : ideoque protinus co-
ruscare igneas nubium rimas. Posse[10] et repulsu siderum
depressum, qui a terra meaverit spiritum, nube cohibitum
tonare, natura strangulante[11] sonitum dum rixetur, edito
fragore quum erumpat, ut in membrana spiritu intenta.
Posse et attritu[12], dum in præceps feratur, illum, quis-
quis est, spiritum accendi. Posse et conflictu nubium
elidi, ut duorum lapidum, scintillantibus fulgetris. Sed hæc 3

6. *Si erumpat ardens.* Iterum Seneca, loc. cit. cap 19 : « Anaximandrus ait omnia tonitrua sic fieri, ut ex æthere aliqua vis in inferiora descendit. Ita ignis impactus nubibus frigidis sonat. At quum illas interscindit, fulget : et minor vis ignium fulgurationes facit, major fulmina. » Adde his et quæ dicenda sunt ex Tullio, infra, cap. 49. Hard.

7. *Si longiore.* Planius Seneca, loc. cit. cap. 16 : « Quid ergo inter fulgurationem, et fulmen interest? dicam. Fulguratio est late ignis explicitus : fulmen est coactus ignis et impetu jactus. » Quæ ibi sequuntur, similitudinem continent lectu dignissimam. Hard.

8. *His.* Fulgetris nempe; ut *illis*, fulminibus. Ed.

9. *Ignium plagas.* Quas ignes impacti nubibus efficiunt. Hoc uberius explanat Seneca loc. cit. cap. 12 : « Siccus ille, inquit, terrarum vapor, unde ventis origo est, quia coacervatus est, eum coitu nubium vehementer impactarum a latere eliditur : deinde ubi latius ferit nubes proximas, plaga et cum sono incutitur, qualis in nostris ignibus redditur, quum flamma vitio lignorum virentium crepat.... Spiritus ille, quem paulo ante exprimi collisis nubibus dixi, impactus aliis, nec rumpi, nec exsilire silentio potest. Dissimilis autem crepitus potest, ob dissimilem impactionem nubium. » Hard.

10. *Posse et repulsu.* Hæc Diogenis Apolloniatæ sententia, quam Seneca explanat uberius loc. cit. capp. 20, 27 ac 28. Hard.

11. *Natura strangulante sonitum.* Natura cohibente sonum, quandiu rixatur aer inclusus in nube; edente fragorem, quum erumpit : qualem uter edit plenus aere et intentus, dum rumpitur. Hard.

12. *Posse et attritu.* Hunc modum exprimit Seneca loc. cit. cap. 22, ut et alterum, de conflictu nubium. Et cap. 3, quædam potuisse tonitrua confitetur pumicum concursu et arenarum attritu fieri, in quas ventus impegerit. Hard.

omnia esse fortuita : hinc bruta fulmina et vana, ut quæ nulla[13] veniant ratione naturæ; his percuti montes, his maria, omnesque alios irritos jactus. Illa vero[14] fatidica ex alto, statisque de causis, et ex suis[15] venire sideribus.

1 XLIV. Simili modo[1] ventos, vel potius flatus, posse et ex arido[2] siccoque anhelitu[3] terræ gigni non negaverim : posse et aquis aera[4] exspirantibus, qui neque in nebulam[5] densetur, nec crassescat in nubes : posse et Solis[6] impulsu agi, quoniam ventus non aliud intelligatur,
2 quam fluxus[7] aeris : pluribusque etiam modis. Namque et

13. *Ut quæ nulla veniant ratione naturæ*. Contrarium plane dici debuisset, hæc nempe naturalia esse, quæ naturalibus e causis prodire; illa commentitia et ficta, quæ venire dicebant a sideribus. Cæterum electrica vis, sub ultimi sæculi finem vel detecta vel melius intellecta, veterum physicorum fabulas omnino subvertit; quarum una fortasse minus a vero discedebat, quæ fulmina nubium collisione excuti canebat : sic enim electrica scintilla attritu corporum elicitur. Ed.

14. *Illa vero*. De quibus dictum est initio hujus cap. Hard.

15. *Et ex suis venire*. Præsertim ex tribus superioribus planetis, uti dictum est, cap. 18. Hard.

XLIV. 1. *Simili modo*. Hæc totidem verbis Arist. Meteor. II, 4. H.

2. *Et ex arido*. Vet. apud Dalec. *et arido*. Ed.

3. *Anhelitu terræ*. Ea voce, quam ex MSS. Reg. 1, 2. Chiffl. aliisque expressimus, expuncta ea quam editi libri habebant, *halitu*; ea, inquam, usus est Cicero, quum dixit de Divinat. lib. II : « placere Stoicis eos anhelitus terræ qui frigidi sint, quum fluere cœperunt, ventos esse. Hard.

4. *Aera*. Nos *vaporem* hoc sensu dicimus. Physici etiam nostri, nunc aeris ipsius, nunc vaporum cum aere mixtorum dilatatione, ventorum causas explicare conantur. Ed.

5. *Neque in nebulam*. Nam, ut recte Seneca, Natur. quæst. lib. V, cap. 3, nullum tempus magis quam nebulosum, caret vento : et minime tum ventus est, quum aer nubilo gravis est. Hard.

6. *Solis impulsu*. Forsan huc pertineat illud Senecæ loc. cit. cap. 6. « Aliquando per se ipse Sol causa venti est, fundens rigentem aera, et ex denso coactoque explicans. » Vide Plut. de placitis Philos. l. III, cap. 3. Hard. — Verissima hæc videtur causa ventorum, præsertim eorum qui inter tropicos certis temporibus assidue perflant. Ed.

7. *Fluxus aeris*. Id maluimus, quam quod libri habent, *fluctus aeris*. Nam Vitruvius, I, cap. 6 : « Ventus, inquit, est aeris fluens unda. » Sen., Natur. quæst. l. V, c. 1 : « Ventus, inquit, est aer fluens in unam partem. Fluctus est maris

e fluminibus, ac sinubus[8], et e mari videmus, et quidem tranquillo[9]; et alios quos vocant Altanos[10], e terra consurgere. Qui quidem quum e mari redeunt, Tropæi[11] vocantur : si pergunt, Apogei.

in unam partem agitatio. » Et Arist. Meteorol. lib. I, cap. 13 : Εἰσὶ δέ τινες οἵ φασι τὸν καλούμενον ἀέρα, κινούμενον μὲν καὶ ῥέοντα, ἄνεμον εἶναι. Et Hippocr. libro de flatibus, ventum definit, ἠέρος ῥεῦμα καὶ χεῦμα, *aeris fluxum et fusionem*. Et ante eum Anaximander, apud Plutarchum, de placitis Philos. lib. III, cap. 7. Sed et alia parte hunc locum suspicor esse vitiatum, ac pro *Solis impulsu*, *solo impulsu* legi oportere. Videtur enim tres celebriores complecti opiniones voluisse, quæ circumferuntur : quippe originem ventorum sunt qui ad terram, uti Aristoteles; sunt qui ad aquam, ut Metrodorus apud Plutarchum; sunt denique qui ad aerem agitatum referant, uti Anaximander, aliique auctores proxime appellati. Nam quod ad Solem attinet, is tam comprimit, quam auget flatus, ut dictum est cap. 48. Quanquam agitati aeris causam scio ab Anaximandro, et Seneca a nobis in notis prioribus laudato, in Solis calorem conjici. Hard.

8. *Ac sinubus*. Prius legebatur *ac nivibus*, quod sane insulsum et experientiæ contrarium. Nobis auctor sic emendandi fuit Seneca loc. cit. cap. 7. « Fortasse apparebit quemadmodum fiant (venti), si apparuerit quando et unde procedant. Primum ergo antelucanos flatus inspiciamus, qui aut ex fluminibus, aut ex convallibus, aut ex aliquo sinu feruntur. » Ἐκ κόλπων prodire, *ex sinubus*, dixit Aristotel. lib. de mundo, c. 4, atque inde ἐγκολπίαι dicti, quasi sinuales. Totum hunc locum confer cum Arist. lib. de mundo, cap. 4. Hard.

9. *Et quidem tranquillo*. Ventos a mari etiam tranquillo spirare tantum non assiduos, littorum incolæ sciunt. Ed.

10. *Altanos*. Servius in illud Æneid. VII, vs. 27 : *Quum venti posuere* : « Flatus omnis, inquit, « qui est ripæ aut pelagi, altanus vocatur. » Iidem Ἀπόγειοι a Græcis appellati, quoniam a terra consurgunt. Hard. — Isidorus, l. XIII, cap. 11 : « Altanus, inquit, qui in pelago est, per derivationem ab alto, id est, mari, vocatus. » Intelligo ventum, qui in alto sentitur, undecumque profectus : interdum quidem e terra, quum est Apogeus; sed non semper. Vitruvius quidem lib. I, cap. 6, *Altanum* ab Austri parte sinistra flare docet; fuerit ergo ventus qui hodienum vocatur *sud-ouest*, spirans inter Austrum et Zephyrum. At enim Romanis talis ventus a mari Tyrrheno, non a terra, veniebat. Ed.

11. *Tropæi*. Venti sunt qui flatu converso atque contrario e mari in terram revertuntur. Apogei, qui e terra oriuntur. De utrisque Arist. cap. 26. Probl. quæst. 6 : ἐναντίον ἐστὶ τῇ ἀπογείᾳ ἡ τροπαία. De Apogeis speciatim, de mundo, l. c. 4 : οἱ μὲν ἐκ νενοτισμένης γῆς πνέοντες, ἀπόγειοι λέγονται. Hard.

3 (XLIV.) Montium vero flexus crebrique vertices, et conflexa cubito[12], aut confracta in humeros juga, concavi vallium[13] sinus, scindentes inæqualitate ideo resultantem aera (quæ causa etiam voces[14] multis in locis reciprocas facit), sine fine ventos generant.

4 (XLV.) Jam quidem et specus[15]: qualis in Dalmatiæ

12. *Et conflexa cubita, aut confracta in humeros juga.* Sinuata in cubitum, aut attollentia se in plures vertices, seu tumulos, quasi quosdam humeros juga. Hard. — Vet. apud Dalec. *aut complexi subito anfractu innumerasa juga.* Alii: *et conflexa subito aut fracta nivium erosa* (lege potius *erasu*) *juga.* Nihil tamen mutandum. *Humeri* de collibus dicti etiam e Statio proferuntur, Theb. l. VI, v. 714: « viridesque humeros et opaca theatri Culmina. » Alias Plinius *arborum humeros* dicet. Ed.

13. *Concavi vallium sinus, scindentes inæqualiter ideo resultantem aera .... ventos generant. Jam quidem et specus*, etc. Hunc locum editores Plinii omues insigniter corruperunt, distinctis, ubi minime omnium oportebat, capitibus, tota idcirco orationis structura divulsa. Nos ope codicum R. 1, 2 et Colb. sanavimus ea vulnera. Sic enim editum est in hunc diem: *scindunt inæqualiter inde:* ubi MSS. habent, *scindentes inæqualitate ideo resultantem aera*, quæ oratio veluti pendens et imperfecta, desiderare aliquid ultra videtur: id nempe, *ventos generant:* quam illi clausulam in caput alterum trajecerunt: quod non exemplaribus solum vetustis, sed, quod amplius est, Plinianæ maxime sententiæ adversatur. Is enim in eo totus habitat, ut ventorum originem variam explanet. E fluminibus, mari, ripa, superiore capite; e montibus, convallibusque, isto in quo versamur; e specubus denique, rupibus, domibusque nasci ventos prodit capite sequenti, quod ab iis verbis ducere initium debuit, *jam quidem et specus*: adduut enim hanc vocnlam, *et*, MSS. Hæc a se invicem distrahere ac divellere, insignis cujusdam inconsiderantiæ fuit. Hard. — Dalecampii veterumque hæc erat lectio: *quæ causa etiam voces multis in locis reciprocas facit. Sine fine ventos generant jam quidam etiam specus.* Vel *Jam sine fine ventos generant quidam etiam specus.* Locum bene restituit Harduinus, nisi quod parenthesim post *sine fine* clausit, quæ manifesto post *facit* claudenda erat, teste quum verborum textura, tum ipso sensu. Ed.

14. *Etiam voces.* Hoc est, ut ait ipse, lib. XXXVI, cap. 23, montes, juga, convalles, « acceptas voces numerosiore repercussu multiplicant: nomenque huic miraculo Echo a Græcis datum. » Hard.

15. *Jam quidem et specus.* De eo argumento Seneca, Natur. quæst. lib. V, cap. 14. Montem esse refert Gassendus in lib. X. Laertii, pag. 1008, in Provincia, ad Lansonem, qui et ad Austrum et ad Boream

ora[16], vasto in præceps hiatu, in quem, dejecto levi pondere, quamvis tranquillo die, turbini similis emicat procella. Nomen loco est Senta. Quin et in Cyrenaica[17] provincia rupes quædam Austro traditur sacra, quam profanum sit attrectari hominis manu, confestim Austro volvente arenas. In domibus[18] etiam multis, madefacta inclusa opacitate conceptacula[19] auras suas habent : adeo causa non deest.

XLV. Sed plurimum interest, flatus sit, an ventus. 1
Illos statos[1] atque perspirantes : quos non tractus aliquis, verum terræ sentiunt; qui non aura, non procella, sed

perforatus patet, ventosque ex se eodem tempore contrarios emittit, quos intra se creat : neque putandum est ventum egredientem ostio boreali, ingressum austriuo, aut versa vice, quum ab uno ad alterum pervius nullus sit ingressus. Hard.

16. *Qualis in Dalmatiæ ara*, etc. Chiffl. apud Dalec. *Qualis in Dalmatia, ore vasto, præceps hiatu.* Quod de illo specu narratur, sane exaggeratum est. Fortasse montis alicujus ignivomi crater exstinctus, turbato fundo, vapores emittebat, qui contactu aeris detonarent. Nihil tamen licet affirmare de re, quantum noverim, incomperta. Ed.

17. *In Cyrenaica.* Mela Pomponius, in descriptione Africæ, lib. I, cap. 8: « Est rupes quædam, inquit, Austro sacra. Hæc quum hominum manu attingitur, ille immodicus exsurgit, arenasque quasi maria agens, siccis sævit fluctibus. » Hard. — Arenosus hic profecto fuit cumulus, quales in Africa multos inveniri necesse est. Immota superficie constabat integer. Si attrectaretur, collabentes statim arenas ventus vel minimus attollebat. Inde amplificata est fabula. Ed.

18. *In domibus*, etc. Chiffl. apud Dalec. *In domibus etiam multa madefacta inclusa opacitate conceptacula.* Harduinus : *in domibus etiam multis manufacta.* Lectionem edidi, quæ verissima visa est. In domibus ipsis, ait Plinius, sæpe ex angustis latebris armarium aut cellulam obscuram efficientibus, in quas aer externus penetrare minime posse videatur, si repente illas aperueris, ventum aut flatum aliquem spirare sentias. Quod Plinius egregie sensit non posse causa carere : causam tamen non vidit esse dilatationem aeris; qui primum humida frigidaque obscuri loci temperie constrictus, repente admisso extrinsecus calore rarescit ac dissipatur. Itaque *madefacta* retinui, tanquam pretiosam optimi codicis lectionem. Ed.

19. *Conceptacula.* Dalec. et Elz. *ceptacula.* Chiffletii tamen codex *conceptacula* proposuerat. Ed.

XLV. 1. *Illos statos atque perspirantes. Ventos* nempe, quum *flatus*

mares [2] appellatione quoque ipsa venti sunt: sive assiduo mundi [3] incitatu, et contrario siderum occursu nascuntur; sive hic est [4] ille generabilis [5] rerum naturæ spiritus, huc illuc [6] tanquam [7] in utero aliquo vagus; sive disparili [8] errantium siderum ictu, radiorumque multiformi jactu flagellatus aer; sive a suis [9] sideribus exeunt his propioribus [10], sive ab illis cælo affixis cadunt: palam est illos [11] quoque legem

instabiles potius sint et modico plerumque spatio contenti. Ed.

2. *Sed mares.* Quasi fortiores, validiores, constantiores. Vide quæ dicturi sumus, cap. 48. Hard. — Masculino, inquit, genere appellantur *Venti*, ut eorum vis mascula designetur. Hunc quidem sensum et hanc lectionem ex Chiffletii codice desumpsit Harduinus recte, ut opinor. Cæterum Dalec. et Elz. habent: *qui non aura, non procella maris, sed appellatione quoque ipsa venti sunt.* Ed.

3. *Mundi incitatu.* Cæli rotatu ventos cieri Peripateticorum opinio fuit: Copernicanorum hodie, diurna telluris vertigine. Hard. — Hoc est quod jam ante Plinius innuerat. Vide cap. 38, not. 14. Falso tamen; nam supra tetigit veriores causas, cap. 44, nott. 4 et 6, 12 et 13; de quibus etiam infra agetur, not. 11. Vocem hanc *incitatu* dedit Harduino Chiffletii codex, pro qua Dalec. et Elz. *incitu.* Ed.

4. *Sive hic est ille.* Id eleganter exprimit Seneca, lib. V: « Cæterum illa est, inquit, longe verior causa, valentiorque: habere aera naturalem vim movendi se, nec aliunde concipere; sed inesse illi, ut aliarum rerum, ita hujus potentiam, etc. » Hunc illi deinde motum esse ingenitum, ut aquæ, probat ex eo idem, quod sine tali motu procreare ex se nihil aut aer aut aqua posset. Hard.

5. *Generabilis.* Alii *genitabilis* malunt, uti apud Lucretium dicitur, lib. III, *genitabilis aura Favoni.* Generabilis hoc loco dicitur, cui vis gignendi est: ut apud poetas *penetrabilis*, cui vis penetrandi. H.

6. *Huc illuc.* Toletanus codex, teste Pintiano, *huc illucque.* Ed.

7. *Tanquam in utero.* Ut fœtus nondum formatus in utero matris fluctuat. Ed.

8. *Disparili.* In omnes partes jaculanti. Ed.

9. *Suis.* Abundat hoc verbum, et delendum videtur. Quippe nasci potuit, quum a vicinarum similitudine syllabarum, tum etiam a librarii ingenio, qui, cap. 43 in fine, idem epitheton miratus erat. Ed.

10. *His propioribus.* Septem nimirum errantibus. Hard.

11. *Illos quoque legem naturæ habere.* Non uni, sed multis naturæ legibus subjacent, sic inter se mixtis atque intextis, ut aliquid certi de illorum reditu statuere nemo possit. Præcipuæ quidem ventorum causæ sunt attractio siderum et Solis calor, aeris molem variis in locis sublevantes aut rarefacientes, unde fluenta quædam in aere, ut in mari, fiunt. Secundariæ sunt

naturæ habere non ignotam, etiamsi nondum percognitam. (XLVI.) Viginti amplius auctores Græci veteres prodidere 2
de his observationes. Quo magis miror, orbe discordi[12] et in regna, hoc est, in membra, diviso, tot viris curæ fuisse tam ardua inventu[13]: inter bella præsertim, et infida hospitia, piratis etiam omnium mortalium hostibus transitus ferme tenentibus; ut hodie quædam in suo quisque tractu, ex eorum commentariis, qui nunquam eo accessere, verius noscat[14], quam indigenarum scientia: nunc vero pace tam festa[15], tam gaudente proventu rerum artiumque principe[16], omnino nihil addisci nova inquisitione, immo ne veterum quidem inventa perdisci. Non 3
erant[17] majora præmia, in multos dispersa fortunæ magnitudine: et ista plures sine præmio alio, quam posteros juvandi, eruerunt. Namque[18] mores hominum senuere[19],

causæ, montes, flumina, maria, et quæcumque possunt aeris temperiem inflectere, vel fluenta in aere mota sistere, repellere, circumagere, etc. Quod ad lectionem hujus loci attinet, MSS. omnes consentiunt. Male ergo in editis *illud* pro *illos* legitur. Ed.

12. *Orbe discordi*. Vet. ap. Dalec. *orbe tam discordi*: ut paulo supra, *viginti et amplius*; nec multo post, *in membra terræ*: torquentibus scilicet librariis auctorem aliquando subobscurum, et præcisæ magis elegantiæ studiosum, quam ut semper illius sensum scribentes assequerentur: inde emendandi cupido. Ed.

13. *Inventu*. Post *inventu* addit verbum *perquirere* Vet. apud Dalec. sed sine causa. Ed.

14. *Noscat*. Sic in editis plerisque et in Harduino legitur: Vet. apud Dalec. *noscant*. Ed.

15. *Pace tam festa*. Tam læta. Hac voce rursum abutitur, l. XIV, cap. 1. Hard.

16. *Principe*. Vespasiano, artium doctrinarumque progressibus favente. Ed.

17. *Non erant*, etc. Non erant tum majora præmia quam nunc sunt, quum potentia, divitiæ, ideoque doctrinæ remunerandæ facultas, in multos principes divisa esset; tunc tamen plures quam hodie arcanis rerum eruendis insudabant. Ed.

18. *Namque mores hominum*. Sic Dalec. et Elz. cum veteribus plerisque. Vet. apud Dalec. *jamque mores hominum*. Harduinus copulam *namque* omisit, ex MSS. ut ipse ait. Sed exsulare potuit ex aliquo libro vox *namque*, nec tamen esse delenda, Plinio præsertim sententias connectere etiam ultra licitum gaudente. Ed.

19. *Senuere*. Degeneravere. Ed.

non fructus [20] : et immensa multitudo aperto, quod-
cumque est, mari, hospitalique littorum omnium appulsu,
4 navigat, sed lucri, non scientiæ gratia; nec reputat cæca
mens, et tantum avaritiæ intenta, id ipsum [21] scientia
posse tutius fieri. Quapropter scrupulosius, quam instituto fortassis conveniat operi, tractabo ventos, tot millia navigantium cernens.

1 XLVI. (XLVII.) Veteres quatuor omnino servavere, per totidem mundi partes (ideo nec Homerus [1] plures nominat), hebeti [2], ut mox judicatum est, ratione : secuta [3] ætas octo [4] addidit, nimis subtili [5] et concisa : proximis [6] inter utramque media placuit, ad brevem [7] ex numerosa additis quatuor. Sunt ergo bini in quatuor cæli partibus. Ab oriente æquinoctiali Subsolanus [8]; ab oriente brumali Vulturnus [9] : illum Apelioten [10], hunc Eurum Græci appellant.

20. *Non fructus*. Non præmis imminuta sunt. Ed.

21. *Id ipsum*. Lucrum. Ed.

XLVI. 1. *Nec Homerus*. Odyss. ι, v. 295 : Σὺν δ' Εὖρός τε, Νότος τ' ἔπεσε, Ζέφυρός τε δυσαὴς, Καὶ Βορέης αἰθρηγενέτης. Hard.

2. *Hebeti*. Hoc est, crassiore Minerva, neque valde ingeniose. H.

3. *Secuta ætas*. Vet. apud Dalec. *proxima ætas*. Ed.

4. *Octo addidit*. Ut essent omnino duodecim. Ita Varro apud Senecam, lib. V. Natur. quæst. c. 16. Hard.

5. *Nimis subtili et concisa*. Ratione scilicet. *Concisam* vocat, quæ cælum in nimio plures partes divideret et quasi concideret. Ed.

6. *Proximis*. « Qui diligentius perquisiverunt, inquit Vitruvius, lib. I, cap. 9, tradiderunt ventos esse octo, maxime quidem Andronicus Cyrrhestes : qui etiam exemplum collocavit Athenis, turrim marmoream octogonon, et in singulis lateribus octogoni singulorum ventorum imagines exsculptas, contra suos cujusque flatus designavit : supraque eam turrim metam marmoream perfecit : et insuper Tritonem æreum collocavit, dextra manu virgam porrigentem, et ita est machinatus, uti vento circumageretur, et semper contra flatum consisteret, supraque imaginem flantis venti indicem virgam teneret. » Hard.

7. *Ad brevem*. Ad Homericam divisionem quadripartitam additis quatuor ex altera divisione numerosiore. Hard.

8. *Subsolanus*. Ita Seneca loc. cit. Nautis hodie vocatur, *l'Est*, et *Vent d'amont*. Hard.

9. *Vulturnus*. Vulturnus Romanis appellatus Eurus, vel a Vulture Apuliæ monte, ut quidam volunt : vel quia ex Vulturno oppido veniens

A meridie Auster[11], et ab occasu brumali Africus[12] : Noton[13], et Liba nominant. Ab occasu æquinoctiali Favonius[14], ab occasu solstitiali Corus : Zephyrum[15], et Argesten vocant. A septemtrionibus[16], Septemtrio, interque eum[17] et exortum solstitialem, Aquilo : Aparctias, et 2

eos afflabat : id euim Capuæ nomen alterum fuisse, ut Romæ Valentiam, auctor est Livius, lib. IV. Alteri etiam oppido iu ora, Plinius, lib. III, cap. 9. Utrumqne ab biberno oriente Romæ, unde Eurus spirat. « Sed et Eurus jam civitate douatus est, inquit Seneca loc. cit. et nostro sermoui non tanquam alienus intervenit. » Nautis in Gallia *le Sud-Est*, et *Vent forain*. Hard.

10. *Apelioten*. Sive Apeliotem scripseris, nt editi libri habent, sive Apbelioteu, nt MSS. uihil interest. Seneca, Natur. quæst. lib. V, cap. 16, Ἀφηλιώτην vocat : Aristot. Meteor. lib. II, cap. 2, et Agathem. Geogr. lib. I, cap. 2, ἀπ᾽ ἰσημερινῆς Ἀπηλιώτης, καὶ ἀπὸ χειμερινῆς Εὖρος. Hard.

11. *Auster. Le Sud* et *le Vent forain*. Hard.

12. *Ab occasu brumali Africus*. Nautis *sud-ouest* et *vent d'aval*. Dalecampius in margine editionis suæ legendum admouet, *ab occasu solstitiali*. Repugnaut vero libri ad unum omues. Repugnat Arist. loco cit. cujus hæc verba : Λὶψ ἀπὸ δυσμῆς χειμερινῆς πνεῖ. Item Agathemerus loc. cit. totidem verbis. Repugnat et Seneca, loc. cit. cap. 14. « Ab occidente hiberno, inquit, Africus furibundus et ruens, apud Græcos Λὶψ dicitur. » Africæ denique ipsius, unde is flat, et nomen habet, situs repugnat, quæ brumali occasui, ut vel ipsæ oculos tabulæ monent, uon solstitiali obtenditur. Hard.

13. *Noton et Liba*. Noton Austrum, Africum Liba vocant. H.

14. *Ab occasu æquinoctiali Favonius*. Rursum hic omnia mutant Dalecampius et Longolins, dum ille pro *æquinoctiali*, *brumali* substituit : iste *ab ortu solstitiali* Corum, sive Argesten, nou ab occasu spirare jubet. Vulgatam lectiouem defendit Agathemerus loc. cit. Ἀπὸ δύσεως ἰσημερινῆς Ζέφυρος· ἀπὸ δὲ δύσεως θερινῆς Ἀργέστης, ἤτοι Ὀλυμπίας. Defendit et Aristoteles, loc. cit. totidem verbis. Ac denique Seneca, libro citato, cap. 16 : « A solstitiali occidente, inquit, Corus venit, qui apud quosdam Argestes dicitur. Æquinoctialis occidens Favonium mittit, quem Zephyrum esse dicent tibi, etiam qui Græce nesciunt. » Favouium nautæ vocant *l'Ouest* et *le vent d'aval* : Corum, *le vent Nord-ouest*, *le vent Marouest*, *le Maestral*. Hard.

15. *Zephyrum et Argesten*. Zephyrum illum, hunc Argesten Græci appellant. Hard.

16. *A Septemtrionibus*. Agathemerus, l. I, c. 2 : Ἀπὸ δὲ Ἄρκτου, Ἀπαρκτίας. Ita etiam Arist. Meteor. lib. II, cap. 6. Nautis, *le Nord*, et aliquando etiam *le vent Marouest*, et *la Bise*. Hard.

17. *Interque eum*. Inter Septem-

Boreas[18], dicti. Numerosior ratio[19] quatuor his interjecerat; Thrascian, media regione inter septemtrionem et occasum solstitialem[20]; itemque Cæcian[21], media inter Aqui-

trionem sive Aparctiam, et exortum solstitialem, unde flare Cæcian mox dicemus, Aquilo interjacet, quem Borean nominant. Ita Agathemerus loc. cit. μέσον Ἀπαρκτίου καὶ Καικίου Βορέαν. Hunc vulgus nautarum *Nord nord-est* appellitat. Hard.

18. *Aparctias et Boreas dicti.* Aparctias nempe Septemtrio, Boreas Aquilo. Dalecamp. et Elzev. *Aparctias dicti et Boreas.* Hic desinit Pliniana ventorum distributio; alias deinde ab aliis propositas recensebit potius quam comprobabit. Quod nisi putes inæqualem prorsus cæli divisionem ab eo electam esse, fatearis necesse est, verba ista *brumalis* et *solstitialis*, de occasu vel ortu, non ad astronomicam veritatem, sed latiori quodam sensu, apud nostrum usurpari; ut sit hæc Pliniana divisio cum nostra satis conveniens: Septemtrio, *Nord*; Aquilo, *nord-est*; Subsolanus, *Est*; Vulturnus *Sud-est*; Auster, *Sud*; Africus, *Sud-ouest*; Favonius, *Ouest*; Corus, *Nord-ouest*. Ed.

19. *Numerosior ratio.* Qui plurimos, hoc est, duodecim numeravere ventos, ut Varro et Timosthenes antea laudati, singulos ita situ discrevere, ut ternos singulis mundi quatuor partibus assignarent: facto a septemtrione initio, cursuque inde per Solis exortum, austrumque, in septemtrionem iterum flexo: Aparctias, sive Septemtrio, *Nord.* Boreas, sive Aquilo, *Nord* $\frac{2}{3}$ *nord-est.* Cæcias, *Est* $\frac{2}{3}$ *nord-est.* — Apeliotes, sive Subsolanus, *Est.* Eurus, sive Vulturnus, *Est* $\frac{2}{3}$ *sud-est.* Euronotus, qui et Phœnix, *Sud* $\frac{2}{3}$ *sud-est.* — Notus, sive Auster, *Sud.* Libonotus, *Sud* $\frac{2}{3}$ *sud-ouest.* Libs, sive Africus, *Ouest* $\frac{2}{3}$ *sud-ouest.* — Zephyrus, sive Favonius, *Ouest.* Argestes, sive Corus, *Ouest* $\frac{2}{3}$ *nord-ouest.* Thrascias, *Nord* $\frac{2}{3}$ *nord-ouest.* Hunc ventorum situm plane approbat Dionysius in Geopon. lib. I, cap. 11. Hard. — Harduini notæ, quam transcripsimus, nomina tantum hodierno more exscripta adjecimus, ex figurata *ventorum rosa* (verbis neotericis utimur) quam ipse commentationi suæ subjecit, fere cum antiquo gnomone sive potius horologio dodecagono convenientem, quod Romæ in museo Vaticano asservatum inspeximus: nomina ibi Græca Latinis apposita leguntur hoc modo et ordine: Ἀπαρκτίας, Septemtrio. Βορέας, Aquilo. Καικίας, Vulturnus. — Ἀφηλιώτης, Solanus. Εὖρος, Eurus. Εὐρόνοτος, Euronotus. — Νότος, Auster. Λιβόνοτος, Austroafricus. Λίψ, Africus. — Ζέφυρος, Favonius. Ἰάπυξ, Corus. Θρασκίας, Circius. Ed.

20. *Et occasum solstitialem.* Iterum hic cælum ventosque miscet Dalecampius, et *brumalem occasum* pro *solstitiali* corrigit. Frustra: nam Timosthenes, quem Plinius sequitur, ut ante admonui, apud Agathemerum loc. cit. μέσον δὲ Ἀπαρκτίου καὶ Ἀργέστου Θρασκίαν, ἤτοι Κίρκιον ὑπὸ τῶν περιοίκων: «inter

lonem et exortum æquinoctialem, ab ortu[22] solstitiali; Phœnicem[23], media regione inter ortum brumalem et meridiem; item inter Liba et Noton, compositum ex 3
utroque medium, inter meridiem et hibernum occidentem[24], Libonoton. Nec finis. Alii quippe[25] Mesen nomine

Aparctian, hoc est, Septemtrionem, et Argesten sive Corum, qui ab occasu solstitiali spirat, ut diximus, Thrascias sedem habet, quem accolæ istius oræ Circium interdum appellant. » Et Arist. lib. II, Meteor. cap. 6 : ὃν καλοῦσι Θρασκίαν, μέσος Ἀπαρκτίου καὶ Ἀργέστου. Adde Galenum in comm. ad lib. Hippocr. de humoribus, tom. VIII, pag. 569. Thrasciam Galli vocamus *Nord-nord-ouest*. H.

21. *Itemque Cæcian*. Gallis *Nord-est*. In mediterraneo mari *vento greco*. Hard. — *Cæcian* pro *Cæciam*, quod in Harduino et plerisque legitur, reponendum esse credidimus. Sic quoque paulo infra apud Harduinum ipsum legitur. Ed.

22. *Ab ortu solstitiali*. Expungenda hæc verba censuit olim Pintianus, reclamantibus omnibus MSS. censuit et Salmasius in Exercit. ad Solinum, pag. 1251, ubi se mire devexat in explicando hoc universo ventorum situ. Latius in editione sua reapse induxit ac prætermisit. Nos retinenda censemus, emendato solum præposteræ interpunctionis vitio, uti edi curavimus, quum antea sic perperam legeretur : *inter Aquilonem, et æquinoctialem. Ab ortu solstitialem Phœnician*. Neque enim Phœnix, sed Cæcias ab exortu solstitiali est. Testis Agathemerus jam toties appellatus, qui ex Artemidori γεωγραφουμένοις epitomen fecit. Is enim loc cit. ἀπὸ δὲ τροπῆς θερινῆς Καικίας, inquit. Et Arist. loc cit. Καικίας, ἀναβολὴ θερινή. Hard.

23. *Phœnicem*. Prius legebatur *Phœnician* : at vero Agathemerus loc. cit. μέσον Εὔρου καὶ Νότου Φοίνικα, τὸν καὶ Εὐρόνοτον · μέσον δὲ Νότου καὶ Λιβὸς τὸν Λευκόνοτον, ἤτοι Λιβόνοτον. Phœnicem Gallice dicimus *Sud-sud-est*. Hard.

24. *Hibernum occidentem*. Adhuc eo loco Dalecampius *æstivum* pro *hiberno* ponit. Verum ab hiberno occasu Liba spirare; a meridie Notum, quos inter medius est Libonotus, jam antea ex Agathemero Plinioque docuimus. « Libonotus » inquit Seneca Natur. quæst. lib. V, cap. 19 « apud nos sine nomine est. » Gallis *Sud-sud-ouest*. Hard.

25. *Alii quippe*. Sensus est, quosdam esse qui inter Aparctian, (quem illi etiam Borean vocant,) et Cæcian, Mesen addiderunt, quem nos Borean diximus appellari. Ita Galenus iisdem plane verbis, tomo VIII, Comment. in lib. Hippocr. de humoribus, pag. 569. Sic proxime Cæcian collocat Mesen Tzetzes Chiliad. VIII, hist. 224, v. 787. Aristoteli certe is quem Plinius Borean vocat, Meses est : ὃν καλοῦσι Μέσην, inquit, Meteorol. libro II, cap. 6 : οὗτος γὰρ μέσος Καικίου καὶ Ἀπαρκτίου. Et Thrasciam ibi a Mese secernit. Hic om-

etiamnum addidere inter Borean et Cæcian : et inter Eurum[26] et Noton, Euronotum. Sunt etiam quidam peculiares quibusque gentibus venti, non ultra certum procedentes tractum : ut Atheniensibus Sciron[27], paulum[28] ab Argeste deflexus[29], reliquæ Græciæ ignotus : aliubi elatior[30] idem
4 Olympias[31] vocatur : consuetudo omnibus his nominibus Argesten intelligit[32]. Et Cæcian aliqui vocant Hellespontian[33]; et eosdem[34] alibi aliter. Item in Narbonensi provincia clarissimus ventorum est Circius[35], nec ullo[36] vio-

nia turbare Plinium immerito Salmasius queritur, p. 1452. Hard. — Hic est proprie ventus quem nos vocamus *Nord-est*, quem in priore sua divisione Plinius Boream, sive Aquilonem vocavit. Ed.

26. *Et inter Eurum*. Iidem, inquit, inter Eurum et Notum, Euronotum locant : sed is a Phœnice nomine tantum et appellatione differt. Hard. — Gallis *Le Sud-sud-est*, aut certe proximus illi ventus. Ed.

27. *Sciron*. Zephyri, quoniam in Attica spirare a Scironiis saxis videbantur, Σκείρωνες vocabantur : maxime vero ea appellatione Corus sive Ἀργέστης signabatur, inquit Strabo, lib. I, pag. 28. Scironia saxa quæ vocentur, dicemus libro IV, cap. 11. Seneca Natur. quæst. lib. V, sect. 17 : « Atabulus Apuliam infestat, Calabriam Iapyx, Athenas Sciron, » etc. Hard.

28. *Paulum*. Vet. apud Dalec. *paulo*. Ed.

29. *Deflexus*. Versus septemtrionem. Hard. — Hic ergo proprie nobis dicetur *Nord-ouest*. Ed.

30. *Aliubi elatior*. Dalecampius et Elzev. *aliubi clarior*. *Elatior* est paulo magis in meridiem vergens, si *deflexus* dicitur qui in septemtrionem vergit. Pro *aliubi*, quod Plinio non inusitatum adverbium est, vetus apud Dalecampium *alibi ubi*. Ed.

31. *Olympias*. Arist. loc. cit. Ὃν καλοῦσιν οἱ μὲν Ἀργέστην, οἱ δὲ Ὀλυμπίαν, οἱ δὲ Σκείρωνα, ἀπὸ δυσμῆς θερινῆς πνεῖ. Hard.

32. *Intelligit*. Vet. apud Dalec. *intelligi*. Ed.

33. *Hellespontian*. Non ut prius, *Hellespontium*. Arist. loc. cit. Καικίας, ὃν Ἑλλησποντίαν ἔνιοι καλοῦσιν. Hard. — *Hellespontian* rescripsimus pro *hellespontiam*, quod dedit Harduinus. Ed.

34. *Et eosdem*. Cæcian, credo, et Argesten. Deinde pro *alibi*, Chiffletianus, teste Dalec. *alii*. Ed.

35. *Circius*. Gallis dicitur, *Nord-ouest-nord*. De eo multa Strabo, lib. IV, pag. 182; Phavorinus apud Gellium, lib. II, cap. 22 : sed ante alios Seneca, Natur. quæst. lib. V, cap. 18. Plinius rursum lib. XVII, cap. 2. Hard. — Vide et eruditum Menagium, alia e Gallicis scriptoribus testimonia proferentem, Dict. Etymol. verbo, *Cers*. Ed.

36. *Nec ullo*. Dalec. et Elzev. *nec ulli*. Utriusque constructionis exempla occurrunt. Ed.

lentia inferior, Ostiam plerumque recta Ligustico mari perferens: idem non modo in reliquis partibus cæli ignotus[37] est, sed ne Viennam[38] quidem, ejusdem provinciæ urbem, attingens, paucis ante limitibus[39], jugi modici occursu tantus[40] ille ventorum coercetur. Et[41] Austros in Ægyptum penetrare negat Fabianus[42]. Quo fit manifesta lex naturæ[43], ventis etiam et tempore et fine dicto.

XLVII. Ver ergo[1] aperit navigantibus maria: cujus in principio, Favonii hibernum molliunt cælum, Sole Aquarii xxv obtinente partem. Is dies[2] sextus est ante Februarias Idus. Competit ferme[3] et hoc omnibus, quos deinde ponam, per singulas intercalationes[4] uno die an- 1

37. *Ignotus est.* Dalec. et Elzev. *ignotus*, omisso τῷ *est.* Vett. et Chiffl. apud Dalec. *ignoratas est*, male. Ed.

38. *Ne Viennam.* Hoc ipsum a se animadversum indigenæ retulerunt. Vide Nic. *Chorier*, lib. I, hist. Delphinatus, pag. 45. Plinium Salmasius ridet, in Solin. pag. 1257, qui Circium peculiarem Galliæ ventum appellet. Actum agam, si in eo refellendo immorer. Id egit abunde Vossius in Melam, pag. 172. Hard.

39. *Paucis ante limitibus.* Paucis agrorum limitibus interjectis, parvo intervallo. Vet. apud Dalec. *paucis millibus.* Ed.

40. *Tantus ille ventorum coercetur.* Dalec. et Elz. *tantus ille ventorum coercitus.* Melius Chiffletii codex et Vet. apud Dalec. *tantus ille ventus coercetur.* Sed fortasse *tantus ille ventorum* positum est pro *tantus inter ventos*, ἐμφατικώτερον. Ed.

41. *Et Austros.* Habet hoc ipsum Theophr. lib. de ventis, pag. 57, et ante eum Arist. sect. 26, Problem. 47. Hard.

42. *Fabianus.* Qui de animalibus et de causis naturalibus scripsit. Vide Auctorum Indicem. Ed.

43. *Lex naturæ.* Naturæ potentia. Ed.

XLVII. 1. *Ver ... aperit.* Clausum scilicet tempestatibus mare. Horat. Carm. lib. I, Ode 4: « Solvitur acris hiems grata vice veris et Favoni, Trahuntque siccas machinæ carinas. » Hard. — Sic fieri debuit, timida adhuc et imperfecta navigatione. Jam tamen ævo suo etiam adversus hiemes pervicacem esse avaritiam fatebitur ipse Plinius in hujus capitis fine. Ed.

2. *Is dies sextus.* Columella lib. XI, cap. 2: « Septimo Idus Febr. Favonii spirare incipiunt. » Hard.

3. *Competit ferme.* Ut circa sextum Idus sui quique mensis venti oriantur. Hard.

4. *Per singulas intercal.* Quarto quoque anno, quando intercalatur, venti qui ad VI Idus aliudve tempus stati sunt, die uno anticipant, ut ad VII Idus flare intelligantur. Hard.

ticipantibus, rursumque lustro sequenti.[5] ordinem servantibus. Favonium quidam a. d. VIII Calendas[6] Martii, Chelidonian[7] vocant, ab hirundinis visu; nonnulli vero Ornithian[8], uno et LXX die[9] post brumam, ab adventu avium, flantem per dies novem. Favonio contrarius est,
2 quem Subsolanum appellavimus. Datus est autem[10] huic exortus Vergiliarum, in totidem partibus[11] Tauri, sex diebus ante Maias Idus: quod tempus[12] Austrinum est; huic vento Septemtrione contrario. Ardentissimo autem æstatis tempore exoritur Caniculæ[13] sidus, Sole primam par-

5. *Lustro sequenti.* Tribus annis sequentibus. Lustrum improprie vocatur quatuor annorum periodus, qua bissexti separantur. Ventos, ait, quotannis ad certum diem reduces, bissextilibus tantum annis uno die antecedere. Ed.

6. *A. d. VIII Cal. Martii.* Hoc est, ante diem octavum Calendas. Ita codices omnes MSS. Regii 1, 2, Colb. 1, 2, Chiffl. etc. At Columella, lib. XI, cap. 2, *a. d. VII calendas Martii* hirundinem conspici ait : unius diei discrimen interest, vix annotandum. Ed.

7. *Chelidonian.* Ab hirundine, quæ Græcis χελιδών. Ea enim pulcherrimi temporis ostendit adventum, inquit Ælian. de hist. animal. lib. I, cap. 52 : τῆς ὥρας τῆς ἀρίστης ὑποσημαίνει τὴν ἐπιδημίαν, et Zephyri prima nuncia, sive Favonii, ut canit Oppianus, lib. III, Halieut. v. 244.... εἰαρινὴ Ζεφύρου πρωτάγγελος ὄρνις. Hinc Horatius, lib. I, Ep. 7, ad Mæcenatem, v. 13 : « Cum Zephyris, si concedes, et hirundine prima. » H.

8. *Ornithian.* Quasi Avicularem dixeris : nam Græcis avis ὄρνις est. Alii porro sunt Columellæ loc. cit. Ornithiæ venti. De iis rursum dicemus capite sequente. Hard.

9. *Uno et LXX die.* Harduinus, reclamantibus ut ipse fatetur omnibus MSS. *uno et LX die;* sed male, ut opinor. Ait enim Plinius Favonium, qui vere primo flare incipit, a. d. VI Idus Febr. eumdem Chelidonian a quibusdam vocari, a. d. VIII Cal. Mart. reduce tunc primum hirundine; ab aliis vero Ornithian, sed paucis post diebus, V aut IV ante Calendas Martii, LXX nempe post brumam, quæ, si Columellæ creditur, cadit in XVI Cal. Januarii. Ed.

10. *Datus est autem huic.* Subsolano. Hard. — Vet. apud Dalec. *est autem exortus Vergiliarum*, omisso verbo *datus*. Ed.

11. *In totidem partibus.* Tauri parte quinta et vicesima : non, uti vir alias sane perquam eruditus censuit, in sexta. Hard.

12. *Quod tempus.* Quo tempore Auster flat, et dies sunt humidi. Ita Columella libro et cap. cit. H. — Idibus Maiis Austrum ait spirare, Subsolano tum desinente. Ed.

13. *Caniculæ sidus.* Hoc nomine Plinius ubique Sirium designat,

tem Leonis ingrediente : qui dies xv ante Augustas Calendas est. Hujus exortum diebus octo ferme Aquilones antecedunt, quos Prodromos [14] appellant. Post biduum autem [15] exortus, iidem Aquilones constantius perflant his diebus [16], quos Etesias [17] appellant. Mollire eos [18] creditur Solis [19] vapor geminatus ardore sideris : nec ulli ventorum magis stati sunt. Post eos rursus Austri fre- 3
quentes, usque ad sidus Arcturi, quod exoritur undecim

hoc est, Canis majoris particulam fulgentissimam. Vide lib. XVIII, sect. 68. HARD.

14. *Quos Prodromos*. Quasi Præcursores : quos quum octo ferme diebus Caniculæ ortum antecedere Plinius ait, seu diem xv Calend. Aug. atque adeo circa quintum Idus Julii oriri, haud abludit a Columella, qui lib. XI, cap. 2 : Sexto Idus Julii, inquit, Prodromi flare incipiunt.» De his Prodromis Aquilonibus egit Arist. Meteorol. lib. II, cap. 5. HARD. — Cic. Att. lib. XVI, 6 : « Ego adhuc (perveni enim Vibonem ad Sicam) magis commode, quam strenue navigavi: remis enim magnam partem; prodromi nulli. » ED.

15. *Post biduum autem exortus*. A. d. XIII Calend. Augusti, ut dicetur lib. XVIII, cap. 68. HARD.

16. *Perflant his diebus*. Canicularibus. In libris hactenus editis erat, *perflant diebus XL*. Sed sine ullo dierum numero ita habent, ut edi jussimus Reg. I, Colb. 1, 2, Vet. Dalec. Sanvictorinus, aliique. Quadragenarius certe numerus constare hoc loco non potest, sed ut summum tricenarius tantum, si Columellam audiamus. Ille enim lib. X, cap. 2, Etesias ait spirare calendis Augusti incipere, desinere vero tertio calendas Septembris. Biduo ante Assyriæ desinere scribit ipse Plinius XVIII, 74; et Arist. Meteorol. lib. II, cap. 5, nulla dierum, quibus spirant Etesiæ, facta mentione, hoc ait unum : συνεχεῖς γίνονται μετὰ τὰς θερινὰς τροπὰς καὶ κυνὸς ἐπιτολήν, *constanter spirant post solstitium et canis ortum*. Apollonius tamen Rhodius lib. I, ait spirare dies XL, ut codex Reg. 2. Timosthenes apud Schol. Apollonii, etiam decem adjicit. HARD.

17. *Etesias appellant*. Hoc est anniversarios. Ἐτησίαι, ab ἔτος, *annus*. HARD. — Pro *appellant*, quod Chiffl. dabat, Dalec. et Elzev. *vocant*. Male autem hic innuit Plinius Etesias omnes ab Aquilone spirare; vide cap. proximo, not. 15. ED.

18. *Molliri eos*. Cur a vetere lectione, tum codicum MSS. regiorum, 1. 2. Chiffl. etc. tum priorum editionum Parm. Venet. 1. 2. Brix. etc. discessum sit, ut scriberetur *molliri iis*, nescio. Abest enim id longissime a Plinii mente : qui Aquilones Etesias, e ventorum frigidissimis molliri ait Solis geminato calore ab ardore Caniculæ, ut mitiores ipsi fiant. HARD.

19. *Solis vapor*. Calor, ut diximus

diebus[20] ante æquinoctium[21] Autumni. Cum hoc[22] Corus incipit. Corus autumnat[23] : huic est contrarius Vulturnus.
4 Post id æquinoctium diebus fere quatuor et quadraginta, Vergiliarum[24] occasus hiemem inchoat : quod tempus in III[25] Idus Novembris incidere consuevit : hoc est Aquilonis[26] hiberni, multumque æstivo[27] illi dissimilis, cujus ex adverso est Africus. Ante brumam septem diebus totidemque postea, sternitur mare halcyonum fœturæ, unde nomen[28] hi dies traxere : reliquum tempus[29] hiemat.

cap. 49. Sideris vero nomine Caniculam, sive Sirium intelligit. HARD.

20. *Undecim diebus.* Circiter diem qui est pridie Idus Septembris: quo die Arcturus medius oritur vehementissimo significatu terra, marique, ut ait ipse lib. XVIII, 74. H.

21. *Ante æquinoctium.* Quod incidit in VIII Calend. Octobr. Vide lib. XVIII, cap. 74. HARD.

22. *Cum hoc Corus.* Columella haud multum discedit a Plinio, lib. XI, c. 2. HARD.—Cum hoc, nempe cum æquinoctio. ED.

23. *Autumnat.* Toto fere autumno spirat a regione *ouest-nord-ouest*, oppositus itaque Vulturno, qui *est-sud-est*. ED.

24. *Vergiliarum occasus.* Vide quæ Petavius erudite disserit in eum locum, adversus Salmasium, lib. VI, Var. Dissert. in Uranol. c. 8. HARD.

25. *In III Idus Novembris.* Tamen Columella, lib. XI, cap. 2. «Sexto Idus Novemb. Vergiliæ mane occidunt: hiemat.» Et sane ab VIII Cal. Octobr. quo die sit æquinoctium, ad VI Idus Novembris dies intercedunt fere quatuor et quadraginta. Quod si tertio Idus Vergiliæ occidunt, ut libri omnes præ se ferunt, non dies quatuor, sed octo et quadraginta scribi oportuit. Notum est autem ab nota numeri IV, ad III, proclivem esse librariis lapsum. Nihilominus receptam scripturam esse retinendam, Plinius ipse admonet lib. XVIII, cap. 60 et 74. Et Columella, lib. XI, cap. 2, Æquinoctii sidus triduo definit, VIII, VII, et VI Calend. Octob. HARD.

26. *Hoc est Aquilonis.* Sic libri omnes, recte. Hoc tempus est, inquit, Aquilonis hiberni, qui est dissimilis æstivo. HARD. — Vet. apud Dalec. *hic est Aquilo hibernus.* ED.

27. *Æstivo illi.* Cæciæ, qui ab exortu solstitiali spirat : cujus ex adverso est Africus, ab occasu brumali. HARD.

28. *Nomen hi dies.* Halcyonides. Hæc multo uberius narrantur, l. X, cap. 47. HARD.

29. *Reliquum tempus hiemat.* Ventis scilicet peracto anno jam sine lege bacchantibus. Porro si collegeris observationes hoc capite contentas, invenies totum anni cursum sic inter ventos divisum. Vere primo, die 7 februarii, *Favonius.* — A. d. VIII Cal. martii, die 22 februarii, *Favonius Chelidonias* dictus. — Die LXXI post brumam, die 25 febr., *Favonius Ornithias* dictus. — Post

Nec tamen[30] sævitia tempestatum cludit[31] mare. Piratæ[32] primum coegere mortis periculo in mortem ruere, et hiberna experiri maria : nunc idem hoc avaritia cogit.

XLVIII. Ventorum frigidissimi[1] sunt, quos a Septemtrione diximus spirare; et vicinus his Corus. Hi et reliquos[2] compescunt, et nubes abigunt. Humidi Africus et præcipue Auster Italiæ. Narrant et in Ponto Cæcian in se[3] trahere nubes. Sicci Corus et Vulturnus, præterquam desinentes[4]. Nivales[5] Aquilo et Septemtrio. Gran- 1

novem dies, die 6 martii, *venti nulli aut varii.* — Ante d. vi Idus maias, die 10 maii, *Subsolunus.* — Idibus maiis, die 15 maii, *Auster.* — Octo ferme diebus ante Caniculam, die 10 julii, *Aquilones Prodromi.* — Biduo post Caniculæ exortum, die 20 julii, *Aquilones Etesiæ.* — Post xl dies, die 29 augusti, *Austri frequentes.* — Arcturi exortu, die 11 septemb. *venti nulli aut varii.* — *Æquinoctio*, die 22 septembris, *Corus.* — A. d. iii Id. nov. die 11 novembris, *Aquilo hibernus.* — Ante brumam vii diebus, die 10 decembris, *venti nulli.* — Post brumam vii diebus, die 24 decembris, *hiems.* Confer maxime Columell. lib. XI, cap. 2, ubi tota res amplissime tractatur. Ed.

30. *Nec tamen.* Habet in hanc sententiam plane aurea Senec. Nat. quæst. lib. V, toto cap. 18. Hard.

31. *Cludit.* Dalec. *concludit.* Ed.

32. *Piratæ.* Piratarum metus. H.

XLVIII. 1. *Ventorum frigidissimi.* Hæc Aristot. Meteorolog. lib. II, cap. 6. Hard.

2. *Hi et reliquos.* Dalec. et Elz. *ii et reliquos.* Ed.

3. *Cæcian in se.* Arist. cap. 26, Problem. 32 : Διὰ τί ὁ Καικίας μόνος τῶν ἀνέμων ἐφ' ἑαυτὸν ἄγει τὰ νέφη, ὥσπερ καὶ ἡ παροιμία λέγει, Ἕλκων ἐφ' αὑτὸν, ὡς ὁ Καικίας νέφος. Οἱ γὰρ ἄλλοι, ὅθεν ἂν πνέωσιν, ἐνταῦθα ἀνατέλλουσι. « Cur unus ventorum Cæcias nubes ad se vocat? quod etiam proverbio declaratur : *ut Cæcias nubes, opes ad se trahit.* Cæteri namque, unde spirant, inde expellunt. » Idem repetit, Meteorolog. lib. II, cap. 6, et post eum Theophr. lib. de ventis, pag. 65. In causa vero esse videtur, quod a terra spirat, atque adeo nubes non expellit, sed in cælum elatas circumagit, atque orbiculari linea rursum ad eum locum unde aspirat, adducit. Hard. — In causa etiam hoc esse potest, quod plerumque ventum æstimamus in aeris regionibus altis eumdem spirare quem in nostris; leviter profecto et temere judicantes : nam et ipsas nubes, pro altitudine sua, diversis impelli ventis, contrariasque in partes agi, sæpe videmus. Ed.

4. *Præterquam desinentes.* Etsi exemplaria omnia legant *desinentes*, fortassis tamen rectius scripseris *desinens*; ut id de Vulturno solum intelligas. Nam Aristoteles, Meteor. lib. II, c. 6 : Ξηροὶ δ' Ἀργέστης καὶ Εὖρος· ἀπαρχῆς δὲ οὗτος ξηρός· τελευ-

dines[6] Septemtrio importat et Corus. Æstuosus Auster: 2 tepidi[7] Vulturnus et Favonius. Iidem Subsolano sicciores: et in totum omnes a septemtrione et occidente sicciores quam a meridie et oriente. Saluberrimus[8] autem omnium Aquilo: noxius Auster[9] et magis siccus[10]; fortassis quia

τῶν δὲ, ὑδατώδης. « Sicci, Corus et Vulturnus: sed hic inter initia siccus est; desinens vero, humidus. » H.

5. *Nivales.* Sic Aristot. Meteorol. lib. II, cap. 6: Νιφετώδης δὲ Μέσης καὶ Ἀπαρκτίας μάλιστα· οὗτοι γὰρ ψυχρότατοι. Mesen appellat, ut ante monuimus, quem Plinius Borean, sive Aquilonem. HARD.

6. *Grandines.* Aristot. loco cit. Χαλαζώδης δ' ὁ Ἀπαρκτίας, καὶ Θρασκίας, καὶ Ἀργέστης. HARD.

7. *Tepidi.* Vulturnum, et Favonium eadem cum Austro conditione facit Aristoteles loco citato, hoc est, æstuosum. Καυματώδης δὲ Νότος, Ζέφυρος, καὶ Εὖρος. HARD. — Soli igitur septemtrionales venti frigus afferre credebantur ab antiquis, quando, qui dicuntur tepidi, Vulturnus inter orientem et meridiem, Favonius ab occidente spirat, Notus vel Auster a meridie. Iidem Subsolano, qui ab ipso spirat oriente, sicciores dicuntur a Plinio: quod recte observandum. Nam si venti sicciores eo sunt, quo magis a continenti spirant; humidiores autem, quo plus æquoris permensi sunt: venti Romæ humidissimi ab occidente et meridie spirare debuerunt. Variis autem de causis hæc ratio mille modis perturbari potest; et videtur Plinius Græcos magis quam Romanos auctores sequi. ED.

8. *Saluberrimus.* Ita Hippocrates lib. de morbo sacro, cap. 7. Confer ista autem cum iis quæ Celsus habet, lib. II, cap. 1. HARD.

9. *Noxius Auster.* Hippocrat. lib. de humoribus: Νότοι βαρήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοὶ, etc. « Austri auditum gravant, oculis caliginem, capiti gravitatem, torporem membris inducunt, dissolvunt, etc. » Eadem repetit lib. III, Aphorism. 5. Et liber primus Epidem. totus in eo ferme argumento habitat: ubi et Galenus in Commentar. ad eum librum, et ad librum II, pag. 72. HARD.

10. *Et magis siccus.* Magis etiam nocet Auster, quando est siccus. Est in editione Dalecampii et Gronovii, conjectura Chiffletii admonentis, num rectius legatur: *Saluberrimus omnium Aquilo, quia siccus et frigidior: noxius Auster fortassis, quia magis humidus.* Ausi sunt et alii ante eum hæc Plinii verba sic præpostere permutare, quod fieri contempta archetyporum fide, jamdudum Gelenius conquestus est. Nos receptam lectionem egregie tuemur Aristotelis auctoritate, cap. 1, Probl. 22, pag. 681: Διὰ τί οἱ Νότοι οἱ ξηροὶ καὶ μὴ ὑδατώδεις, πυρετώδεις εἰσίν; « Cur Austri sicci, et nullo modo humidi, febres creare solent? » ac paulo post: ὅταν μὲν οὖν ἄνευ ὕδατος πνέωσι, ταύτην ἐν ἡμῖν ποιοῦσιν τὴν διάθεσιν· ὅταν δὲ ἅμα ὕδατι, τὸ ὕδωρ καταψύχει ἡμᾶς. « Quum igitur sicci sunt Austri, corpora nostra sic affici ne-

humidus frigidior est. Minus esurire[11] eo spirante creduntur animantes. Etesiæ noctu desinunt fere[12], et a tertia[13] diei hora oriuntur. In Hispania et Asia[14] ab oriente flatus est eorum; in Ponto ab Aquilone; reliquis in partibus a meridie. Spirant autem et a bruma, quum[15] vocantur 3

cesse est : at quum ventus imbre conjungitur, nos aqua refrigerat. » Et ante philosophum medicus Hippocrates, lib. de humoribus, ἀνυδρίαι νοτίαι, « siccitates, inquit, austrinæ sunt. » In quem locum Galenus, tom. VIII, pag. 571, hujusmodi tempestates ait multum a naturalibus differre, creare morbos, etc. Hard.

11. *Minus esurire.* Arist. cap. 26, Problem. 46 : Διὰ τί ἐν τοῖς βορείοις βρωτικώτεροι ἢ ἐν τοῖς νοτίοις; ἢ διότι ψυχρότερα τὰ βόρεια; « Cur spirante Aquilone cibi avidiores sumus, quam Austro? An quod Aquilo frigidior est? » Hard.

12. *Desinunt fere.* Aliqui codices, *desinunt flare*, haud improbabiliter. Arist. Meteorol. lib. II, cap. 5, pag. 561, de Etesiis : τὰς μὲν ἡμέρας πνέουσι, τὰς δὲ νύκτας παύονται· et cap. 26, Problem. 54, sine dubitanti adverbio : ληγούσης τῆς ἡμέρας λήγουσι, καὶ τῆς νυκτὸς οὐ πνέουσιν, « desinente die desinunt, noctu quiescunt. » Itaque *flare* haud sane displicet : sed magis arridet hanc voculam *fere* ad sequentia referre : noctu enim semper quidem desinunt; sed non semper iidem hora tertia incipiunt : immo apud nos vix unquam ea hora. Sic igitur libenter legam : *fere et a tertia diei hora oriuntur.* Alioqui et *desinere* absolute, voce ea non adjecta *flare*, de ventis dicimus non invenuste. Plinius ipse paulo antea, hoc ipso capite : « Sicci, Corus et Vulturnus, præterquam desinentes. » Et mox : « Septemtriones impari fere desinunt numero. » Sic e diverso *incipere* pariter absolute dicuntur. Paulo post ipse : « Omnes venti vicibus suis spirant majore ex parte, aut ut contrarius desinenti incipiat. » H.

13. *Et a tertia.* Hoc est, medio tempore inter Solis ortum, et medium diem. In eam rem lepide Seneca, Nat. quæst. V, 11 : « Etesiæ, inquit, ob hoc somniculosi a nautis, et delicati vocantur; quod, ut ait Gallio, mane nesciunt surgere : eo tempore incipiunt prodire, quo ne pertinax quidem aura est, etc. » H.

14. *Hispania et Asia.* Etesiæ et Prodromi appellantur, ut recte Gellius admonet, lib. II, cap. 22, qui stato tempore anni, quum Canis oritur, ex alia atque alia cæli parte spirant. In Hispania ab oriente flare, et eosdem esse cum Euro scribit pariter Posidonius apud Strabon. lib. III, pag. 144. In Ponto, ab Aquilone, Polybius, lib. IV. In his regionibus nulli pæne sunt constantes, aut anniversarii venti. Hard. — Ergo capite superiore Plinius de mari suo, nempe Tyrrheno aut infero, tantum agebat; quod monere debuisset, ne quis Etesias semper ab eadem cæli parte spirare, et semper Aquilonibus annumerandos esse crederet. Ed.

15. *Quum vocantur Ornithiæ.* Vet.

Ornithiæ; sed leniores, et paucis diebus [16]. Permutant et duo naturam cum situ: Auster Africæ [17] serenus, Aquilo nubilus. Omnes venti vicibus suis spirant majore ex parte, aut ut [18] contrarius desinenti incipiat. Quum proximi [19] cadentibus surgunt, a lævo latere [20] in dextrum, ut Sol, ambiunt. De ratione eorum menstrua, quarta [21] maxime Luna decernit. Iisdem autem ventis in contrarium navigatur prolatis [22] pedibus, ut noctu plerumque

apud Dalec. *qui vocantur*. Nota Zephyris adscriptos fuisse Ornithias capite sup. An secum male constat Plinius? An pro *a brama* legendum hic est *ab occasu?* Ed.

16. *Et paucis diebus*. Novem, ut dictum est superiore capite. Ita Democritus apud Geminum, in Elem. Astron. cap. 16 : Δημοκρίτῳ ἄνεμοι πνέουσι ψυχροὶ, οἱ Ὀρνιθίαι καλούμενοι, ἡμέρας μάλιστα θ'. Hard.

17. *Auster Africæ*. Arist. Meteorol. II, cap. 3 : Ὁ δὲ Βορέας.... τῷ ἀπωθεῖν, αἴθριος ἐνταῦθα· ἐν δὲ τοῖς ἐναντίοις, ὑδατώδης· ὁμοίως δὲ καὶ ὁ Νότος αἴθριος τοῖς περὶ τὴν Λιβύην, etc. « Aquilo....quod nubes propellat, serenus est : in locis oppositis pluvius. Pari modo et Auster Afris sudus est, etc. » Habet aliquid simile Macrobius, in Somn. Scip. lib. II, cap. 5. Hard. — Nec mirum, Africæ serenum esse Austrum, qui ab aridis surgit desertis; nubilum vero Aquilonem, qui a mari Mediterraneo. Ed.

18. *Aut ut*. Delendam censet Dalecampius particulam *aut*, sed manuscripti codd. omnes retinent. Videtur Harduinus *aut* pro *seu* accepisse, tanquam idem bis dicente Plinio. Equidem crediderim interdum vicibus suis spirare ventos, quum proximus proximo succedit, ut Zephyro Corum; interdum vero contrarium contrario, ut Coro Vulturnum; et sic de reliquis. Non idem igitur dixit, sed duas plane diversas ventorum mutationes indigitavit Plinius. Quod sequentia quoque confirmant. Ed.

19. *Quum proximi cadentibus surgunt*. Longol. et MS. teste Dalecampio : *aut quam proxima cadentibus surgat*, sublata scilicet post *incipiat* majore interpunctione, et sensu post *surgat* clauso. Ed.

20. *A lævo latere*. Ab ortu in occasum, ac deinde in meridiem, hinc in septemtrionem, et rursus in ortum. Ed.

21. *Quarta maxime*. Qui quarto novilunii die spirant, ii ut plurimum toto mense dominantur. Virg. Georg. lib. I, v. 432 et seqq. :

Sin ortu quarto, namque is certissimus auctor,
Pura, neque obtusis per cœlum cornibus ibit :
Totus et ille dies, et qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt. Hard.

22. *Prolatis pedibus*. Servius in illum Virgilii Æneid. lib. V, vers. 830, « Una omnes fecere pedem, etc. » *pedem* vel *podiam* appellari ait

adversa[23] vela concurrant. Austro majores fluctus eduntur, 4
quam Aquilone : quoniam ille infernus[24] ex imo maris spirat, hic summo. Ideoque post Austros[25] noxii præcipue terræ motus. Noctu Auster, interdiu Aquilo vehementior. Et ab ortu flantes diuturniores sunt ab occasu flantibus. Septemtriones impari fere[26] desinunt numero : quæ observatio et in aliis multis rerum naturæ partibus valet ; mares itaque existimantur impares numeri[27]. Sol et auget[28], et comprimit flatus. Auget exoriens occidensque, comprimit meridianus æstivis temporibus. Itaque medio diei aut noctis plerumque sopiuntur : qui[29] aut nimio frigore, aut æstu

funem illum, quo pro voluntate velum adducitur ac remittitur. Ex utroque veli angulo pendulus hic funis fuit : usus, in captando vento : nam prout alter aut laxabatur, aut stringebatur, obliquabatur antenna, et ipsum velum ; atque adeo majori vel minori sinu vela ventos excipiebant. *Prolatis* igitur *pedibus*, idem est ac, leniter et quantum opus est, remisso laxatoque fune, qui ex infimo veli angulo pendet, obliquare velum : *aller à la bouline*. H.

23. *Adversa vela.* Naves in contrarium navigantes. Ed.

24. *Ille infernus.* Hæc quidem Plinius ex ea opinione, quæ veterum animis plerumque insedit, borealem plagam excelsiorem esse et elatiorem : humiliorem multo, depressioremque australem. Hoc etiamnum vulgus sequitur in ventorum nomenclatione, quos *Vent d'aval* et *Vent d'amont* vocant, quasi ex humiliore illum, istum e superiore mundi plaga exortum. Hard. — Chiffl. codex, *ille inferius ex imo mari ;* sensu eodem. Ed.

25. *Ideoque post Austros.* Vide Senecam, Natur. quæst. libro, VI, cap. 7. Hard.

26. *Impari fere.* Postquam impari dierum numero spiravere. Hard.

27. *Impares numeri.* Quoniam, ut Macrobius ait, in Somn. Scip. lib. I, cap. 6 : « Impar numerus mas, et par femina vocatur : item Arithmetici imparem patris, et parem matris appellatione venerantur. » Hard.—Sic Harduinus, qui tamen cum Dalecampio edidit *impare numero*, absque sensu. Vet. apud Dalec. nostram lectionem dabat, quæ cum Macrobii loco supra citato melius convenit, manifestoque a librariis imprudentibus corrupta est, quum paulo ante scripsissent *impari numero*, idem nunc quoque rescribendum esse arbitrantibus. Ed.

28. *Sol et auget.* Quæ mox sequuntur usque ad ea verba, *Et imbribus*, etc. habent totidem verbis Arist. Meteorol. lib. II, cap. 5, et cap. 25, Problem. 4 ; Theophr. lib. de Ventis, pag. 59 et 60 ; et Seneca, Natur. quæst. lib. V, cap. 8. Hard.

29. *Qui.* Venti, sive flatus, undecumque orti. Ed.

5 solvuntur, et imbribus[30]; exspectantur autem maxime, unde nubes discussæ adaperuere cælum. Omnium quidem (si libeat observare minimos ambitus) redire[31] easdem vices quadriennio exacto, Eudoxus putat: non ventorum modo, verum et reliquarum tempestatum magna ex parte. Et est principium[32] lustri ejus, semper intercalari[33] anno, Caniculæ ortu. De generalibus ventis hæc.

30. *Et imbribus.* Arist. cap. 26, Probl. 6, pag. 797: Διὰ τί οἱ ἐκνεφίαι ὕδατος γενομένου θᾶττον παύονται; «Cur procellæ vehementiores imbre superveniente ocyus cessant?» H.— Apud Harduinum et in editis plerisque: *et imbribus venti sopiuntur.* Sed ultima duo verba, quæ glossam omnino redolent, in manuscripto Chiffletiano desiderari notavit, ac delenda ipse censuit, Dalecampius; cujus opinionem in re, ut nobis visum est, manifesta, audaciores quam pro more nostro, secuti sumus. Ed.

31. *Redire easdem vices quadriennio exacto.* Utinam hoc esset observatione confirmatum! sed nihil certi de tempestatum ac ventorum vicibus compertum adhuc, nec fortasse comperietur unquam. Desperata res et conclamata videtur. Ed.

32. *Et est principium.* Eudoxi quadriennium, vel, si lubet ita appellare, lustrum, in quo annus unus intercalaris est, principium ducit ab exortu Caniculæ. Hard.

33. *Intercalari anno, Caniculæ ortu.* Vel *intercalario anno*, ut in scriptis quibusdam exstat, atque ex vetere cod. adnotavit cl. Pelicerius, Ep. Montispessul. Salmasius, pag. 558, reponere mavult ex conjectura sua, *in canario anno.* Sed hanc emendationem nemini vel leviter erudito probatum iri arbitror, qui quam erudite ac solide confutata sit a Petavio nostro, variar. dissert. in Uranol. lib. V, cap. 5, pag. 202, expendere secum voluerit. Interim operæ pretium fuerit admonere, poetarum more locutum esse hoc loco Plinium, qui lustrum appellare visus sit quadriennii spatium: quum tamen certum sit intervallo quinque solidorum annorum constare lustrum. Id enim a censione populi romani originem habuit: ea vero post quinque vertentes annos ex legis præscripto apud censores fieri debebat. Qua de re Asconius Pedianus, in 3 Orat. contra Verrem, ad ea verba, *neque census esset.* Atque hujus moris vestigium in fastorum capitolinorum reliquiis apparet, in quibus lustra nonnulla continuis quinquenniis interjectis condita visuntur: quod et romanarum antiquitatum periti docent, Sigonius aliique. Poetæ nihilominus, ut dixi, aliique interdum, ob duarum periodorum istarum affinitatem, lustri romani, et olympicæ πενταετηρίδος, nomina licenter permutarunt, quadriennio lustri, lustro olympiadis appellatione imputata. Posterioris exemplum habet Ovidius, Ex Ponto, IV, Epist. 6, 6.

Jam tempus lustri transit in alterius.

Prioris, Ausonius, in Epitaphiis Heroum, carm. XXXI 2.

XLIX. (XLVIII.) Nunc de repentinis flatibus, qui exhalante terra, ut dictum est[1], coorti, rursusque dejecti, interim obducta[2] nubium cute, multiformes exsistunt. Vagi[3] quippe et ruentes torrentium modo, ut aliquibus[4] placere ostendimus[5], tonitrua et fulgura edunt. Majore vero illati pondere incursuque, si late siccam rupere[6] nubem, Procellam gignunt, quæ vocatur a Græcis Ecnephias[7]. Sin[8]

Omnia quæ longo vitæ cupiuntur in ævo,
Ante quater plenum consumsit Anicia lustrum.

Hoc est ante annos sedecim solidos et perfectos. Fidem facit ipsa, si tamen genuina, epitaphii inscriptio: ANICIÆ. SEDECENNI. MATRONÆ. H.

XLIX. 1. *Ut dictum est.* Cap. 42. H.

2. *Interim obducta.* Interim dum nubium veluti corio obvolvuntur, ne exeant. HARD.

3. *Vagi quippe.* Interpretationem hujus loci dabit ipse Cicero: « Quum illi anhelitus » inquit, de Divination. lib. II, « se in nubem induerint, ejusque tenuissimam quamque partem cœperint dividere, atque dirumpere, idque crebrius facere et vehementius, tum fulgura et tonitrua exsistere: si autem nubium conflictu ardor expressus se emiserit, id esse fulmen. » HARD. — Vocem *quippe* in Vett. deesse monet Dalecampius. ED.

4. *Aliquibus.* Chiffl. *aliqueis.* ED.

5. *Ostendimus.* Cap. 43, iis verbis: « Et si in nube luctetur flatus aut vapor, tonitrua edi: si erumpat ardens, fulmina, etc. » HARD.

6. *Rupere.* Ita Chiffl. et Harduinus. Dalec. et Elz. *ruperint.* ED.

7. *Ecnephias.* Accommodato scilicet nomine: ἐκ νέφους, ex nube, erumpente spiritu. Sic Arist. Meteorol. lib. III, cap. 1. Frequentes Ecnephiæ dicuntur esse prope Æquatorem, iis præsertim mensibus, quibus constantes venti sunt rariores. In quibusdam certis Africæ locis sunt anniversarii. Has procellas nautæ *Tornados*, et *Travados* vocant: intra unius horæ spatium in omnes pæne plagas diriguntur, tonitruis fere comitantibus, et magna imbrium copia. HARD. — Mihi id esse videtur quod Gallice vocamus *Ouragan* in nostris quoque maribus interdum desæviens, non, ut *Travados*, Africæ peculiare malum. ED.

8. *Sin vero.* Res sic est concipienda: ut sit nubes aliqua vento extrinsecus compressa, quæ in sui medio contineat plurima venti semina: qui dum quærit exitum, intra nubis sinum contorquetur, donec quamdam ejus portionem secum abripiat, et convehat; eaque de causa cernitur quædam nubis quasi columna, deorsum vergens ac procidens, quæ in mare impacta, ipsum vi summa commovet, et quasi fervere compellit: quo nomine fere *Procella* intelligitur. Dicitur etiam δῖνος, *Vortex*, quum manifestiores creat in aqua vortices: ac speciatim *Typhon*, quum rapidos creat ac vehementes, navigiumque in quod inciderit, Virg. Æn. I, 117:

Torquet agens circum, et rapidus vorat æquore vortex.

Ita fere Cabeus in lib. III, Meteorol.

vero, depresso[9] sinu, arctius rotati effregerint, sine igne, hoc est, sine fulmine, Vorticem faciunt, qui Typhon vo-
3 catur, id est, vibratus Ecnephias. Defert hic secum aliquid abruptum[10] e nube gelida, convolvens, versansque, et ruinam suam illo pondere aggravans, et locum ex loco mutans rapida vertigine : præcipua navigantium pestis, non antennas modo, verum ipsa navigia contorta frangens; tenui remedio[11] aceti in advenientem effusi, cui frigidissima est natura. Idem illisu[12] ipso[13] repercussus, correpta secum in cælum refert, sorbetque in excelsum.

1 L. Quod si majore depressæ nubis eruperit specu, sed minus lato quam Procella, nec sine fragore, Turbinem vocant[1], proxima quæque prosternentem. Idem ardentior,

pag. 8, et Gassendus in librum X Laërtii, pag. 1039, post Arist. loc. cit. Typhon is est quem vulgo *Ouragan* vocant, Americanas insulas sæpe infestans : de quo vide Ricciolum, tomo I, pag. 728. Hard. — Typhonem medium esse arbitror inter Ecnephian, *un Ouragan*, et Turbinem, *un Tourbillon*, et minus late patere quam priorem, altero sæviorem esse. Electricum hic monstrum agnoscere mihi videor, quod nostri vocant physici *une Trombe descendante*, quum Fistula aut Columna sit potius *une Trombe ascendante*. Vide infra, cap. 50, not. 12. Ed.

9. *Depresso sinu.* Nubis parte curvata ac depressa. Vet. apud Dalec. *depressum sinum*. Ed.

10. *Abruptum.* Vellet Dalecampius *abreptum;* sed manuscripti adversantur. Ed.

11. *Tenui remedio.* Et Plutarchus quidem, Sympos. quæst. lib. III, 5, naturam aceti esse ait frigidissimam, nihilque esse quod ignibus restinguendis sit aptius : Οὐδὲν δὲ τῶν σβεστηρίων ὄξους πυρὶ μαχιμώτερον, ἀλλὰ μάλιστα πάντων ἐπικρατεῖ καὶ συμπιέζει τὴν φλόγα δι' ὑπερβολὴν ψυχρότητος. Negat autem id fieri ob aceti frigiditatem, sed ob tenuitatem partium, quibus constat, Fr. Resta in Meteorol. pag. 297. Hard. — Melius factum negassent Plinius et Plutarchus, quam causam inanem rei absurdissimæ excogitarent. Nostri vero nautæ advenientem Typhonem bellicorum tormentorum crepitu discutiunt, diverberato aere, dispersisque, quas agglomeraverat, nubibus. Ed.

12. *Idem illisu.* Dum ventus terræ impingitur, cogitur sursum resultare, secumque effert ea in quæ incidit. Quare forma quædam Typhonis ea est, quæ quandoque lapides ita attollit, ut compluere postea iis arbitrere : quæ arbores convellit, et eradicat, etc. Hard.

13. *Ipso.* Sic Elzev. ex Vet. Dalecampius et Harduinus *ipse*. Ed.

L. 1. *Turbinem vocant.* Gallice, *un Tourbillon de vent*. Ed.

accensusque dum furit, Prester[2] vocatur, amburens[3] contacta pariter, et proterens. (XLIX.) Non fit[4] autem aquilonius Typhon, nec nivalis aut nive[5] jacente Ecnephias. Quod si simul rupit nubem, exarsitque et ignem habuit, non postea[6] concepit, Fulmen est. Distat[7] a Prestere, quo flamma ab igni: hic[8] late funditur flatu, illud conglobatur impetu. Vortex autem remeando[9] distat a Turbine, quomodo[10] stridor a fragore. Procella latitudine ab

2. *Prester.* Definitur a Seneca, Natur. quæst. lib. V, cap. 13: « Ventus circumactus, inquit, et eumdem ambiens locum, et se in ipsa vertigine concitans, turbo est. Qui si pugnacior est, ac diutius volutatur, inflammatur, et efficit quem πρηστῆρα Græci vocant. Hic est igneus turbo. » Vide Lucretium, lib. VI, v. 299:

Fit quoque, ut interdum venti vis, missa sine igni,
Ignescat tamen in spatio, etc.

Eadem habet Aristoteles loco cit. Presteres Japonicam plagam infestant in primis. HARD. — Procellæ sæpe, Typhones et Fistulæ, fulguribus tonitruisque coruscant; electrica quippe materia prægnantes rapiunt nubes. Cæterum Typhona potius quam Turbinem Presteri affinem esse credo, et Plinius statim innuet. ED.

3. *Amburens.* Prester dicitur ἀπὸ τοῦ πιμπλάναι, ab amburendo. ED.

4. *Non fit autem.* Arist. Meteorol. lib. III, cap. 1: Βορείοις δ' οὐ γίγνεται τυφὼν, οὐδὲ νιφετῶν ὄντων ἐκνεφίας. Causas deinde subjicit, quas planius dilatat Cabeus in eum locum, lib. III, pag. 7. HARD.

5. *Aut nive jacente.* In MSS. R. 1, 2, *aut nivem jaciens*: quæ verba glossema sapiunt vocis *nivalis*. Eam forte ob causam expungenda illa, *aut nive jacente*, censuit Pintianus. H.

6. *Non postea concepit.* Ut Prester, qui postquam erupit e nube, nec prius, extra nubem, dum furit, accenditur, uti dictum est paulo ante. HARD.

7. *Distat.* Fulmen scilicet. Deinde pro *igni*, Dalec. et Elz. *igne*. ED.

8. *Hic.* Prester nimirum. Hoc illud est quod Stoici probabant apud Plutarch. de placitis Philos. lib. II, cap. 3: Fulmen esse fulgorem quemdam vehementiorem; Presterem vero, languidiorem. HARD.

9. *Remeando.* Vet. apud Dalec. *meando*, quod et Elzev. sequitur. Si bene assequor, Vortex dicitur esse turbo repercussus; ut de Ecnephia modo dictum est, cum aliquando repercussum illisu suo, correpta secum in excessum sorbere. *Verticem a vorando*, id est, sorbendo, dici crediderunt quidam; sed a *vertendo* melius derivatur. ED.

10. *Quomodo stridor a fragore.* Non intelligo; nisi *stridorem* vocat Plinius fragorem repercussum. Sin exiliorem sonitum denotat, Vortex erit Turbinis diminutivum; ac vide num pro *remeando* legendum sit *minuendo*. Cæterum Dalec. et Elzev. paulo aliter legerunt, *et quo stridor a fragore*. ED.

utroque, disjecta nube verius, quam rupta. Fit et[11] Caligo belluæ similis, nube dira navigantibus. Vocatur et Columna[12], quum spissatus humor rigensque ipse se sustinet. Ex eodem genere et in longam[13] veluti Fistulam[14] nubes aquam trahit.

1 LI. (L.) Hieme et æstate rara[1] fulmina, contrariis de causis : quoniam hieme densatus aer nubium crassiore corio spissatur ; omnisque terrarum exhalatio rigens, ac gelida, quidquid accipit ignei vaporis, exstinguit ; quæ ratio immunem Scythiam et circa rigentia a fulminum casu præstat : et e diverso nimius ardor Ægyptum ; siquidem calidi siccique halitus terræ, raro admodum, tenuesque[2]

11. *Caligo*. Spissa est nebula, quæ, ut *nubes*, varias induere formas potest, noctemque periculosam navigantibus afferre. Ed.

12. *Et Columna*. Lucret. VI, 425:

Nam fit, ut interdum, tanquam demissa columna
In mare de cælo descendat, quam freta circum
Fervescunt, graviter spirantibus incita flabris ;
Et quæcumque in eo tum sunt deprensa tumultu
Navigia, in summum veniunt vexata periclum.

Hard.

— Meteorum in Indico mari, ac præsertim circa Persicum sinum et Arabiæ littora nimis frequens : in Mediterraneo mari non rarum ; immo et in stagnis fluminibusque. Proprie dicitur *une Trombe*, idemque est ac Fistula. Consulendus Franklin, e celeberrimi Dampier peregrinationibus quædam Fistularum exempla colligens, et ad electrica miracula referens. Ed.

13. *Et in longam*. Harduinus male, *et in longum veluti fistula nubes aquam trahit*. Ed.

14. *Fistulam*. Σιφῶνα Græci vocant, διὰ τὸ δίκην σιφῶνος ἀνασπᾶν τὸ ὕδωρ θαλάσσης, inquit Olympiodorus in Meteorologica Aristotelis. Venti sunt nimirum, in nube inclusi, qui aquam fistulæ instar resorbentes a mari, eam exonerant in naves, easque demergunt. In Mediterraneo mari, quam in Oceano, hæ Tubæ seu Fistulæ crebriores. H.

LI. 1. *Hieme et æstate rara fulmina*. Hoc ab aliquo Græco scriptore desumptum, qui in Græcia tantum aut aliqua Græciæ parte observaverit, fatetur paulo infra Plinius de Latio et Campania non esse verum. Scimus omnes quam nostris regionibus falsum sit, ubi plurimum æstate tonat. Hieme vero rariora fulmina, quod tum diffusis plerumque per aera vaporibus, nubes cum terra pæne continuentur, nec electrica vi facile possint onerari. Causæ a Plinio allatæ nihili sunt faciendæ. Ed.

2. *Tenuesque*. Dalec. et Elz. addunt *et infirmas ;* sed multis in codd. hæc verba desunt. Cæterum quam rari, quam tenues sint in Ægypto imbres, omnium geographorum testimonio constat. Ed.

densantur in nubes. Vere autem[3] et autumno crebriora fulmina, corruptis in utroque tempore æstatis hiemisque causis. Qua ratione crebra[4] in Italia : quia mobilior aër mitiore hieme, et æstate nimbosa, semper quodammodo vernat, vel autumnat. Italiæ quoque partibus iis, quæ a septemtrione discedunt ad teporem, qualis est Urbis et Campaniæ tractus, juxta hieme et æstate fulgurat, quod non in[5] alio situ.

LII. (LI.) Fulminum ipsorum plura genera traduntur. Quæ sicca veniunt, non adurunt, sed dissipant. Quæ humida, non urunt[1], sed infuscant. Tertium est, quod clarum vocant, mirificæ maxime naturæ, quo dolia[2] exhauriuntur intactis operimentis, nulloque alio vestigio relicto.

3. *Vere autem.* Ita et Lucretius, lib. VI, v. 356. Apud nos autem æstate frequentius, quam temporibus aliis fulminat. HARD.

4. *Crebra.* Chiffl. *crebra sunt.* ED.

5. *In alio situ.* Dalec. et Elz. τὸ *in* omittunt. ED.

LII. 1. *Non urunt, sed infuscant.* Ex Aristotele desumpta hæc sunt, qui tamen fulminum duo tantum genera indicat : hoc *humidum* sive *fumidum*, quod a poetis ψολόεντα κεραυνὸν appellari ait; alterum vero *clarum*, ἀργῆτα. Prius, inquit, tardius est, nec urit, sed infuscat, ἔχρωσε μὲν, ἔκαυσε δ' οὔ. Posterius tenuitate sua citum ac vehemens, ideoque magis penetrat quam adurit aut infuscat : φθάνει διιὸν, πρὶν ἐκπυρῶσαι καὶ ἐπιδιατρίψας μελᾶναι. Meteorol. lib. III, cap. 1. Eadem varietas in electricis omnibus phænomenis observatur, nunc vim et motum sine calore, nunc calorem et lucem, ignem denique et quidem acerrimum edentibus. ED.

2. *Quo dolia.* Lucretius, VI, 227:

Transit enim valide fulmen per septa domorum,
Clamor uti, ac voces; transit per saxa, per æra;
Et liquidum puncto facit æs in tempore, et aurum.
Curat item, ut vasis integris vina repente
Diffugiant : quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vasi, etc.

Addere lubet et Senecam, Natur. quæst. lib. II, cap. 31 : « Loculis integris ac illæsis conflatur argentum. Manente vagina gladius liquescit : et inviolato ligno circa pila ferrum omne distillat. Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat, etc. » HARD. — Electrica vis substantiis quibusdam parcit, quæ vocantur hodie a physicis *improba vehicula.* Hinc multæ miraculorum species. Quod de vino integris doliis exsiccato narratur, intelligi aliquatenus potest, si pice fuerint circumlita dolia, atque ita ab electricæ impressionis contactu separata, liquore interim, in vapores abeunte. Oportet tamen aperta fuisse vasa; nam clausa procul dubio dissiluissent. ED.

2 Aurum, et æs, et argentum[3] liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo ceræ. Marcia princeps Romanarum[4] icta gravida, partu exanimato, ipsa citra ullum aliud incommodum vixit. In Catilinanis[5] prodigiis Pompeiano ex municipio M. Herennius Decurio[6] sereno die[7] fulmine ictus est.

1 LIII. (LII.) Tuscorum[1] litteræ novem Deos emittere

3. *Aurum et æs et argentum.* Metalla facillime electricum ignem arripiunt: inter optima quippe vehicula recensentur? Ed.

4. *Princeps Romanarum.* Sic conjugem appellatam credimus Principis Senatus ac civitatis, qualis Scaurus exstitit. Hard. — Bene monet Gallicus interpres, Harduini hanc expositionem a moribus Romanorum abhorrere, apud quos politici virorum tituli ad uxores nunquam transierunt. Videtur potius *princeps Romanarum* dicta esse matrona, vulgo consulis aut prætoris uxor, quæ sacris Bonæ Deæ præerat. An illa Cæsaris avia fuit, de qua Sueton. in ejus vita, cap. VI? An Catonis conjux? An alis? Ed.

5. *In Catilinanis prodigiis.* Emendare ex hoc loco Julium Obseq. juvat, qui eamdem historiam recitat, cap. 122: «M. Cæsone, (lege *M. Cicerone*,) C. Antonio Coss. fulmine pleraque decussa. Sereno Varguntetus Pompeius (lege, *Pompeiis*, nam Plinius *ex Pompeiano municipio* fuisse ait: est autem Pompeii, Italiæ oppidum, de quo lib. III, cap. 9.) de cælo exanimatus... Ab his prodigiis Catilinæ nefaria conspiratio cœpta.» At ex Obsequente vicissim puto Plinium corrigendum. Quis enim non suspicetur ex hac voce *Varguntetus*, factum esse a librariis primum *Marcuennius*: postea *Marcus Herennius* ab emendatore aliquo? Tacito viri nomine hoc ipsum Cicero refert inter prodigia, quæ tempore sui consulatus, atque adeo inter Catilinana prodigia acciderunt, de Divin. lib. I. pag. 164:

Aut cum terribili perculsus fulmine civis
Luce serenanti vitalia lumina liquit.

Et ad id forte respexit Seneca, Natur. quæst. lib. I, cap. 1, dum ait: «Nam sereno quoque cælo aliquando tonat ex eadem causa qua nubilo, aëre inter se colliso.» Hard.

6. *Decurio.* Fortasse non cognomen, sed dignitatis nomen est. Nam decuriones municipales in Digestis memorantur, lib. L, tit. 16, leg. 239. Hi vulgo scinntur in municipiis consilii publici gratia conscripti fuisse. Quod tamen eorum jus, quæ potestas fuerit, aut quam late patuerit, incertum. Ed.

7. *Sereno die.* Id eatenus solum credi vult Gassendus in lib. X. Laërtii, pag. 1014, si reliquo cælo sereno, credatur simul fuisse nubes ad quamdam finitoris seu horizontis partem, e qua fulminaverit, aut tonuerit; vel toto cælo alioqui puro, factam e terra eruptionem esse cum igne, nec sine fragore. Hard.

LIII. 1. *Tuscorum.* His summam fuisse persequendorum fulminum scientiam, ait Seneca, Natur. quæst.

fulmina existimant, eaque esse undecim generum: Jovem enim[2] trina jaculari. Romani duo tantum ex iis servavere[3], diurna[4] attribuentes Jovi, nocturna Summano, rariora sane eadem de causa[5] frigidioris cæli. Etruria erumpere terra[6] quoque arbitratur, quæ infera appellat[7], brumali tempore facta, sæva maxime et exsecrabilia: quum sint omnia, quæ terrena existimant[8], non illa generalia, nec a sideribus venientia, sed ex proxima atque turbidiore natura. Argumentum evidens[9], quod omnia a superiore cælo decidentia obliquos habent[10] ictus: hæc autem quæ vocant[11] terrena, rectos. Sed quia ex propiore[12] materia cadunt, ideo creduntur e terra exire, quoniam ex repulsu[13] nulla vestigia edunt[14]: quum sit illa ratio non inferi[15] ictus, sed adversi. A Saturni ea sidere proficisci, subtilius ista

lib. II, cap. 32. Totam eorum doctrinam de fulminum scientia, et de divinatione per fulmina, prolixe describit idem, cap. 33, et sequentibus. Attigit etiam Cicero, de Divin. lib. I, Etruscorum libros Rituales, præter Tullium, laudat et Censorinus, lib. de Die natali, cap. 11. Hard.

2. *Jovem enim trina.* Earum nos ineptiarum piget: quas si quis fusius tractatas requirit, is Senecam adeat loc. cit. cap. 41. Hard.

3. *Servavere.* Dalec. *servare.* Ed.

4. *Diurna.* Hæc totidem verbis de Jove et Summano, Festus in fragm. pag. 37, et S. August. de Civit. Dei, lib. IV, cap. 23. Summanus est Deus summus Manium, idem Orcus et Pluto dictus. Hard.

5. *Eadem de causa.* Vide supra, cap. 51. Ed.

6. *Erumpere terra.* Fulmina quoque terra erumpere recentibus experimentis compertum est, idque sæpe observavit cl. Chappe. Brot. — Quum nubes e terra electricam materiam ad se rapiunt, quod fieri interdum experientia demonstrat, fulmen terra emissum dici potest. E.

7. *Appellat.* Vet. *appellantur.* Ed.

8. *Existimant.* Vet. *existimantur.* E.

9. *Evidens.* Dalec. et Elz. *evidens est.* Sed, teste ipso Dalecampio, deest vocula *est* in MSS. Ed.

10. *Habent.* Ita Chifflet. codex et alii. Dalec. et Elz. *habeant.* Ed.

11. *Vocant.* Ita Chiffl. Contra Dalec. et Elz. *vocantur.* Ed.

12. *Propiore.* Dalec. Elz. *priore.* Correxit Harduinus ex MSS. Ed.

13. *Repulsu.* Chiffl. *percussu.* Ed.

14. *Edunt.* Ita Chiffl. non *edant*, quod in Dalec. et Elz. legitur. Ed.

15. *Non inferi ictus.* Ita MSS. omnes. Alias *inferni.* Negat Plinius e terra prodire hæc fulmina; sed in aere formata, adversos, id est, ut barbare loqui solemus, horizontales ictus inferre ait. Ed.

consectati putant : sicut cremantia, a Martis. Qualiter, quum Volsinii[16] oppidum Tuscorum opulentissimum[17] to-
3 tum concrematum est fulmine. Vocant et familiaria[18] in totam vitam fatidica, quæ prima fiunt familiam suam cuique indepto. Cæterum existimant non ultra decem[19] annos portendere privata, præterquam aut matrimonio[20] primo facta, aut natali die : publica non ultra tricesimum annum, præterquam in deductione[21] oppidorum.

1 LIV. (LIII.) Exstat Annalium memoria, sacris quibusdam et precationibus vel cogi fulmina, vel impetrari. Vetus fama Etruriæ est, impetratum[1], Volsinios urbem agris depopulatis subeunte monstro, quod vocavere Voltam[2]. Evocatum et a Porsenna[3] suo rege. Et ante eum a Nu-

16. *Quum Volsinii* Tertull. ad nationes, lib. I, cap. 9 : « Quum Vulsinios de cælo perfudit ignis. » Hodie *Bolsena*, unde et lacui cognomen *lago di Bolsena*, in ducatu Castrensi in Etruria. HARD. — Hinc verisimile est Volsinios, sive Vulsinios urbem, pariterque maximas Etruriæ civitates, ligneas et ita structas ædes habuisse, ut incendium facile propagaretur : quo incommodo Romam quoque laborasse testantur historiæ monumenta. Taciti præsertim Annales, lib. XV, cap. 38. ED.

17. *Opulentissimum.* Vet. apud Dalec. *opulentum.* ED.

18. *Vocant et familiaria.* Perpetua appellantur a Seneca, Nat. quæst. lib. II, cap. 47. « Hæc sunt fulmina, inquit, quæ prima accepto patrimonio, in novo hominis aut urbis statu fiunt. » HARD.

19. *Non ultra decem.* Hæc quoque Seneca, loc. cit. cap. 48. HARD.

20. *Matrimonio.* Vet. apud Dalec. *patrimonio.* Frustra favet Seneca. ED.

21. *In deductione oppidorum.* Quum in oppida coloniæ deducuntur. Novum urbis statum Seneca appellavit, loco cit. cap. 47. HARD.

LIV. 1. *Impetratum.* Sic MSS. omnes : non, *impetritum* : etsi *impetritum* in formulis scio Augurum usurpari, pro *impetratum.* De hac voce dicemus, lib. XXVIII, cap. 3. HARD. — Ex hoc, multisque aliis auctorum locis, plerique conjiciunt Etruscis auguribus haud ignotam fuisse vim electricam, licet eorum arcana nunquam divulgata sint. ED.

2. *Voltam.* Etruscum nomen est, cujus ignota significatio. An morbus aliquis fuit, qui primum in agros debacchatus, jam urbi minabatur, forsitan ab aeris siccitate natus, quem advenientes cum procella imbres discusserunt? ED.

3. *Porsenna.* Scribitur et *Porsena.* Adjutor est ille Tarquiniorum bene notus; nec de alio locus hic intelligi potest, licet Porsenna videatur Etruscis regibus commune nomen fuisse, ut Pharaon Ægyptiis, Cæsar Romanis principibus, etc. ED.

ma[4] sæpius hoc factitatum, in primo Annalium suorum tradit L. Piso[5] gravis auctor : quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum[6] fulmine. Lucosque et aras[7] et sacra habemus : interque Statores[8], ac Tonantes, et Feretrios, Elicium[9] quoque accepimus Jovem. Varia in hoc 2
vitæ[10] sententia, et pro cujusque animo. Imperari naturæ, audacis est credere : nec minus hebetis, beneficiis[11]

4. *A Numa.* Recitat Arnobius statim initio libri V, pag. 154, ex libro secundo Valerii Antiatis, quo pacto artem Jovis, hoc est, fulminis eliciendi, edoctus Numa fuerit. Videndus ea de re Plutarchus in Numa. Jovi Elicio aram in Aventino dicatam narrat Livius, lib. I, c. 20: (ubi v. not. N. Ed. t. I, p. 66. Ed.) ad elicienda fulmina. Hard.

5. *L. Piso.* Cf. Indicem Auct. Ed.

6. *Ictum fulmine.* De hoc rursum lib. XXVIII, cap. 4. Vide quæ ibi dicturi sumus. Hard. — De Tulli morte consulendus omnino Livius, hist. I. cap. 31, qui rem ita narrat, ut non magis arsisse fulmine Tullum, quam sublatum a Diis fuisse Romulum crediderim. Senatorum occultam quamdam ultionem in hoc palatii et regis incendio facile deprehendas. Ed.

7. *Lucosque et aras et sacra.* Elicio nempe Jovi consecrata. Ed.

8. *Interque Statores.* Inter Jovis, hoc est, Naturæ fulmina edentis, nomina, cujusmodi sunt: Jovis Statoris, hoc est, Naturæ fulmen parturientis, supra caput adstans, et imminens, ac veluti minans, propter eaque faciens homines attonitos; alterumque deinde Jovis Tonantis; tertiumque Feretrii, quo significatur Natura fulmen emittens, quod interimit, deducitque ad feretrum, vel sepulcrum : Elicium quoque, inquit, a majoribus accepimus Jovem appellatum, hoc est, Naturam fulmen emittentem, sacris et precationibus elicitum. Hic manifestum est, a Plinio Jovis, hoc est, Naturæ fulminantis, tria nomina eo ordine appellari, quo illius effectus percipi solent. Hard.

9. *Elicium quoque.* Ab eliciendo, seu quod precationibus cælo evocaretur, id nomen traxit. Ovid. Fastor. lib. III, v. 327:

Eliciunt cælo te, Juppiter : unde minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciumque vocant.

—At longe alias ob causas et Stator, et Feretrius dictus est Jupiter; teste Livio, hist. lib. I, capp. 10 et 12, qui videtur receptas Romæ religiones libris suis consignasse; eoque libentius illi crediderim quam Plutarcho, in Romuli vita, *Feretrii* cognomen a verbo *ferire* contra omnem analogiam derivanti. Cæterum pro *ac tonantes*, Dalec. et Elz. *et tonantes*. Mutavit Harduinus e MSS. Quod ideo tantum monui, ne quis typographo immerenti litem moveret. Ed.

10. *Vitæ.* Humani generis : quo sensu jam alias vidimus hoc *vitæ* nomen a Plinio adhiberi. Ed.

11. *Beneficiis abrogare vires.* De

abrogare vires; quando in fulgurum quoque interpretatione eo profecit scientia, ut ventura alia[12] finito die præcinat, et an peremptura sint fatum, aut apertura[13] potius alia fata quæ lateant, innumerabilibus in utroque publicis privatisque experimentis. Quamobrem sint ista, ut rerum naturæ libuit, aliis[14] certa, aliis dubia, aliis probata, aliis damnanda : nos cætera, quæ sunt in his memorabilia, non omittemus.

1 LV. (LIV.) Fulgetrum prius cerni, quam tonitrum
audiri, quum simul fiant, certum est. Nec mirum, quo-
niam lux sonitu velocior. Ictum[1] autem et sonitum con-
gruere, ita modulante natura : sed sonitum profecti esse
fulminis, non illati. Etiamnum spiritum[2] ocyorem fulmine:
ideo quati prius omne et afflari, quam percuti; nec quem-
quam tangi, qui prior viderit fulmen, aut tonitru[3] audie-
2 rit. Læva[4] prospera existimantur : quoniam læva parte

utilitate fulminum dubitare. EDIT.

12. *Ut ventura alia*, etc. Ut alia fulgura certo die ventura præcinat, simulque significet an mutatura sint fatum, etc. HARD.

13. *Aut apertura*. Hoc illud est quod ait Seneca, Nat. quæst. lib. II, cap. 34 : « Snmmam, inqnit, esse vim fnlminnm jndicant : quia qnidquid alia portendunt, interventus fulminis tollit. Quidquid ab boc portenditnr, fixum est. » HARD.

14. *Aliis certa, aliis*, etc. Chiffl. codex : *alias certa, alias*, etc. ED.

LV. 1. *Ictum et sonitum congruere*. Quamvis, inquit, ictus et sonitus in tempns fere idem congruant, fulminis tamen audiri sonum non ferientis, sed proficiscentis certum est : tanta ejus velocitas. Verba *profecti et illati* aliter explicat Harduinns, et fulmina *sponte* profecta ab iis distingui putat quæ Deorum ira immittuntur, inferuntur. ED.

2. *Etiamnum spiritum*. Aerem, ventum, afflatum. Seneca loc. cit. c. 20 : « Adjice nunc, quod necesse est, ut impetus fnlminis, et præmittat spiritus, et agat ante se, et a tergo trahat ventum, quum tam vasto ictu aëra inciderit. Itaque omnia, antequam feriuntur, intremiscunt vibrata vento, quem ignis ante se pressit. » HARD. — *Etiamnum* pro *etiam* Plinio frequens. Vide Indicem verborum. ED.

3. *Tonitru*. Vet. apud Dalec. *tonitrua*. Elzev. *tonitrum*, ut supra. Nota, facillime conciliari secum hoc et præcedenti loco Plininm. Dixit enim ictum et sonitnm æqua velocitate ferri : timere ergo ictum non potest, qui sonitum audivit. ED.

4. *Læva prospera*. Varro, libro V,

mundi ortus est[5]. Nec tam adventus spectatur, quam reditus[6]: sive ab ictu resiliit[7] ignis, sive opere confecto, aut igne consumpto spiritus remeat. In sedecim[8] partes cælum in eo aspectu[9] divisère Tusci. Prima est a septemtrionibus ad æquinoctialem exortum; secunda ad meridiem; tertia ad æquinoctialem occasum; quarta obtinet, quod reliquum est ab occasu ad septemtriones. Has iterum in quaternas divisere partes: ex quibus octo ab exortu sinistras, totidem e contrario appellavere dextras. Ex his maxime 3
dira, quæ septemtrionem[10] ab occasu attingunt. Itaque plurimum[11] refert, unde venerint fulmina, et quo concesserint. Optimum est, in exortivas redire partes. Ideo quum a prima cæli parte venerint, et in eamdem con-

Epistolicarum quæst. apud Festum: « A Deorum sede, inquit, quum in meridiem spectes, ad sinistram sunt partes mundi exorientes; ad dexteram, occidentes: factum arbitror, ut sinistra meliora auspicia, quam dextra esse existimentur. » HARD.

5. *Ortus est.* Chiffletii codex τὸ *est* omittit. ED.

6. *Quam reditus.* Fulmina, postquam deciderunt, sursum remeare quodam terræ repulsu, jam dictum erat, cap. 53, et nunc quoque iteratur a Plinio; unde sententia hujus loci minime dubia est. Rarissimæ tamen esse debuerunt hujusmodi observationes, eoque inutilior ars Etruscorum. ED.

7. *Resiliit.* Sic Chiffletii codex, et ex illo Harduinus. Dal. et Elz. *resiliat*, et paulo infra, *remeet*. ED.

8. *In sedecim.* Cicero, de Divin. lib. II, pag. 228: « Quid est igitur, inquit, quod observatum sit in fulgure? Cælum in sedecim partes diviserunt Etrusci. Facile id quidem fuit, quatuor quas nos habemus, duplicare, post idem iterum facere, ut ex eo discerent, fulmen qua ex parte venisset. Primum, id quid interest? deinde quid significat? etc. » HARD. — Nota antiquos eamdem cæli divisionem in fulminibus observandis, quam neotericos in ventis designandis, secutos esse, eam quæ in 4, 8, 16 partes horizontem secat; quanquam apud illos duodenaria circuli divisio usitatior erat, ut quæ cum numero 360 graduum melius conveniret. Vide supra, cap. 46. ED.

9. *Aspectu.* Dal. et Elz. *respectu.* Ergo τὸ *in* supprimere debuerant, et scribere simpliciter *eo respectu:* sed parum eleganter. Melior Harduini et nostra lectio, in qua *aspectus* pro *contemplatione*, *observatione*, sumitur. ED.

10. *Quæ septemtrionem*, etc. Vet. apud Dalec. *quæ per septentriones occasum attingunt.* Gallice, *le Nord-ouest.* ED.

11. *Plurimum.* Dalec. et Elz. *perplurimum.* ED.

cesserint, summa felicitas portenditur, quale Syllæ Dictatori ostentum datum accepimus. Cætera[12] ipsius mundi portione, minus prospera[13] aut dira. Quædam fulgura enunciare non putant fas, nec audire, præterquam si hospiti indicentur, aut parenti. Magna hujus observationis vanitas[14], tacta Junonis æde, Romæ deprehensa est, Scauro Consule, qui mox Princeps[15] fuit.

4 Noctu magis, quam interdiu, sine tonitribus fulgurat. Unum animal[16] hominem non semper exstinguit, cætera illico[17]: hunc[18] videlicet natura tribuente honorem, quum tot belluæ viribus præstent. Omnia contrarias[19] incubant in

12. *Cætera*. Quæ fulmina in reliqua mundi portione cernuntur, ea pro regione unde orta fuerint, ant quo concesserint, minus prospera, vel minus dira censentur, ea qua dictum est ratione. Hard.

13. *Minus prospera aut dira*. Vet. apud Dalec. *minus prospera. At dira quædam fulgura enunciare*, etc. Ed.

14. *Vanitas*. Junonis quippe templum fulmine violatum ostendit non a Jove, non a Diis mitti fulmina. Sed fuitne hoc primum Romæ exemplum templi de cælo percussi? Miror equidem; quanquam parva et humilia fuisse antiquissima Romæ delubra, reliquiæ demonstrant. Crebrius quidem id postea evenit, unde Lucanus, I, 155: « In sua templa furit; » et Horatius, II, Od. 2: « Jam satis Pater dextera sacras jaculatus arces terruit Urbem. » Ed.

15. *Princeps*. Princeps senatus, vel ut dicitur lib. XXXVI, cap. 24, Princeps totius civitatis. H. —Princeps simpliciter usurpatum pro *principe senatus*, mirum adeo videtur, ut Lætius in Elzeviriana editione contra manuscriptorum fidem addiderit vocem *senatus*. Ego libenter crediderim non ingratum fuisse Romanis imperatoribus, si principatus nomen e liberæ reipublicæ temporibus retentum esse videretur. Sic imperatores, consules, tribuni plebis, dici et appellari gaudebant. Cæterum hic est M. Æmilius Scaurus consul anno U. C. DCXXXIX, vir consilio, eloquentia, virtute si Tullio fides, aut si Sallustio, virtutis specie præpotens, qui nomine suo implevit pæne omnem suorum temporum historiam, alias etiam, nec semper cum laude, memoratus a Plinio. Ed.

16. *Unum animal*. Vidimus ictos fulmine superstites: sed ita ut nunquam recte sapere aut loqui postea valerent. Hard.

17. *Cætera illico*. Negat hoc Scaliger esse verum, Exercit. 13, p. 70, et recte: quid enim inter hominem et reliqua interest animalia, quoad physicas corporum virtutes? Ed.

18. *Hunc*. MS. unus pro *hunc*, habet *huic*. Hard.

19. *Omnia contrarias*. Cætera, inquit, quæ fulmine iciuntur, conci-

partes : homo[20], nisi convertatur in percussas, non exspirat. Superne icti considunt. Vigilans ictus conniventibus oculis, dormiens patentibus reperitur. Hominem ita exanimatum cremari fas non est : condi terra[21] religio tradidit. Nullum animal, nisi exanimatum, fulmine accenditur. Vulnera fulminatorum[22] frigidiora[23] sunt reliquo corpore.

LVI. (LV.) Ex iis quæ terra gignuntur, lauri fruticem[1] non icit : nec unquam quinque altius pedibus descendit in terram. Ideo pavidi[2] altiores specus tutissimos putant; aut tabernacula e pellibus belluarum, quas[3] vitulos appellant : quoniam hoc solum animal ex marinis non

dunt in partem oppositam ei quæ vulnus excepit : homo e contrario, nisi circumagatur in vulnus, (ut ipse loquitur, lib. XXVIII, cap. 12) non exspirat. Neque id homini solum, sed et cæteris animalibus evenit, si Senecæ credimus. « Illud æque inter adnotanda ponas licet, inquit, Nat. quæst. lib. II, cap. 31, quod et hominum, et cæterorum animalium, quæ icta sunt, caput spectat ad exitum fulminis. » HARD. — Vana ergo Plinii observatio. Pro *incubant*, quod statim sequitur, vet. apud Dalec. *incidunt*, male. ED.

20. *Homo, nisi*, etc. Vet. apud Dalec. *Homo, si convertatur in percussas, non respirat*. Dalecampius : *Homo, nisi convertatur, vi percussus non exspirat*. Elzeviriana editio: *Homo, nisi convertatur in percussa, non exspirat*. Harduinus nisi quod *percussas*, non *percussa* edidit, hanc secutus est : nos Harduinum. ED.

21. *Condi terra*. Hinc Tertullianus, in Apolog. cap. 48 : « Qui de cælo tangitur, salvus est, ut nullo igne decineresçat. » HARD.

22. *Vulnera*. Plura quæ referri huc possent, vide apud Senecam, loco citato. HARD.

23. *Frigidiora sunt reliquo corpore*. Dalec. et Elzevir. *frigidiora reliquo corpore sunt*. Mutavit Harduinus ex MSS. ED.

LVI. 1. *Lauri fruticem*. Huc refer ea quæ de Tiberio narrantur, lib. XV, cap. 40. Columella, gallinæ incubanti, tonante cælo, et in fulminum metu, lauri folia subjici imperat. Refellit tamen hoc miraculum experientia ipsa, qua laurum de cælo tactam recentiores plurimi observaverunt, Sennertus, Vicecomcatus, aliique, quos laudat Phil. Jac. Sachs in Gammarologia, pag. 22. HARD.

2. *Ideo pavidi*. Suetonius, de Aug. cap. 90 : « Tonitrua et fulmina paulo infirmius expavescebat : ut semper et ubique pellem vituli marini circumferret pro remedio ; atque ad omnem majoris tempestatis suspicionem, in abditum et concameratum locum se reciperet, etc. » H.

3. *Quas vitulos*. Augustum Severus imperator superstitione æquavit, aut etiam vicit : lecticam etiam suam

percutiat, sicut nec e volucribus aquilam, quæ ob hoc
2 armigera[4] hujus teli fingitur. In Italia inter Terracinam[5]
et ædem[6] Feroniæ, turres bellicis temporibus desiere fieri,
nulla non earum fulmine diruta.

1 LVII. (LVI.) Præter hæc, inferiore[1] cælo, relatum in monumenta est, lacte et sanguine[2] pluisse M'. Acilio[3], C.

adversus fulminis impetus tali corio tegi præcepit. Hard.

4. *Armigera.* Ita libri MSS. tum hoc loco, tum lib. X, cap. 4, non ut editi hic exhibent, *armiger*. Hard.

5. *Terracinam.* Dalec. et Elz. *Tarracinam*, minus recte, ut ex antiquis inscriptionibus patet; quamvis *Tarracina* in libris frequentius occurrat. Terracina, olim Anxur, alias et præsertim lib. III, cap. 9, a Plinio nuncupabitur. Ed.

6. *Ædem Feroniæ.* Fuit in agro Pometiano, Campaniæ tractu, proxime Terracinam, et Circios, ubi nunc lacus, *Lago di Ferona*, de quo Horat. lib. I, Satyr. 5. Hic Feroniæ lucus plane diversus ab altero cognomini in Etruria, de quo dicemus, lib. III, cap. 8. Meminit Virgilius, Æneid. VII, 800 « et viridi gaudens Feronia luco. » Hard.

LVII. 1. *Inferiore cælo.* Quam ex quo fulmina cadunt. Nam is esse videtur sensus. Vet. apud Dalec. *Præter hæc relatum in monumentis est cælum lacte et sanguine pluisse.* Ed.

2. *Lacte et sanguine.* Hujusmodi pluviarum exempla vide plurima apud Liv. libb. XXXIX, XL, XLII, etc. Julium Obseq. capp. 59, 70, 71, 91, 96, 99, 103, etc. Qui rem ita explicant, ut velint pluviam albescere, ob terram cretaceam, e qua vapores prodierint, aut rubescere, ob rubram, ii certe non attendunt satis ad colorem aquæ stillatitiæ ex rubris rosis: nec sciunt vapores, dum excernuntur, rerum colores exuere, et dum in liquorem concrescunt, aqueum duntaxat exhibere. Gassendus in lib. X Laertii, pag. 998, et in vita Peirescii, existimat maculas sanguineas lapidibus parietibusque adhærescentes, ex erucis oriri, dum in papiliones abeunt, et spolia exuunt, neque e cælo decidere. Hard. — Jam dixi supra cap. 38, quomodo pluerit lapidibus. Nec mirum lacte, sanguine, ferro, lana, lateribus coctis pluisse. Ferrum, ferreæve acoriæ, lana, carnes, lateres cocti, fuerant vento rapti; postea depluere. Aqua quoque creta albescat, cinnabari aliisque materiis rubescat, tunc dictur pluisse lacte et sanguine. Observatum etiam est, rubra papilionum stercora pro sanguineis pluviis fuisse habita. In his omnibus evanuit portentum, ubi natura fuit probe cognita. Brot. — Pluviarum, ut vulgus opinatur, prodigiosarum, a doctis vero plus minusve feliciter ad physicas causas retrahi solitarum, catalogus summa fide confectus, auctore celeb. Chladni, publici juris in Gallia factus est ab astronomis Longitudinum officio præfectis, hoc anno 1826. Ed.

3. *M'. Acilio, etc.* An. U. C. DCXL, ut dictum est cap. 29. Ed.

Porcio Coss. et sæpe alias[4] : sicut carne[5], P.[6] Volumnio, Servio Sulpicio Coss. exque ea non putruisse[7], quod 2 non diripuissent aves. Item ferro in Lucanis[8], anno antequam[9] M. Crassus a Parthis interemptus est, omnesque cum eo Lucani milites, quorum magnus numerus in exercitu erat : effigies, quæ[10] pluit, spongiarum[11] fere similis fuit : aruspices præmonuerunt[12] superna[13] vulnera.

4. *Et sæpe alias : sicut carne, P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss.* Præpostere permutata hæc verba in libris ad hunc diem editis legebantur, *et sæpe alias carne, sicut L. Volumnio, etc.* At sæpius carnibus pluisse falsum est, neque id habent codices Reg. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. aliique, quos secuti sumus. Restituimus Consuli Volumnio Publii prænomen, a Livio, cæterisque admoniti, qui id retulerunt. Valerius Max. lib. I, cap. 6, n. 5 : « Præcipuæ admirationis, inquit, etiam illa prodigia, quæ P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. in urbe nostra inter initia motusque bellorum acciderunt.... Carnis quoque in modum nimbi dissipatæ partes ceciderunt: quarum majorem numerum præpetes diripuerunt aves; reliquum humi per aliquot dies, neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum jacuit. » Vide T. Liv. lib. III, pag. 46. Dionys. Halic. lib. X, statim initio: Πόπλιος Οὐολούμνιος καὶ Σερούϊος Σουλπίκιος. HARD.

5. *Sicut carne.* Fungosum quiddam et carni simile id fuisse videtur, quod cecidisse tum dicitur. HARD. — Viscosam materiam, interdum sanguini concreto similem, post meteora quædam cecidisse, variis confirmat exemplis catalogus supra laudatus: vide not. 2. ED.

6. *P. Volumnio, etc.* Anno U. C. CCXCIII. ED.

7. *Putruisse.* Chiffl. et Vet. apud Dalec. *perputruisse.* Facile credam non putruisse materiam, quæ nec animalis profecto nec vegetabilis naturæ esset, sed metallico regno affinis: multo etiam facilius, ab avibus direptam non fuisse. ED.

8. *In Lucanis.* Lucania, Italiæ regio, de qua Plinius III, 10. ED.

9. *Anno antequam, etc.* Anno scilicet U. C. DCC. ED.

10. *Quæ pluit.* Sic Hard. ex MSS. Dalec. et Elz. *quæ pluerat.* ED.

11. *Spongiarum fere similis.* Ferrum igitur scoriosum fuit, quale debuit esse subito ac turbide refrigeratum. Tales ferri massas ductiles, ex aere nonnunquam deciduas, nostri hodienum physici probe cognoscunt. Omnes meteoritæ ferro maxime constant, et interdum toti ferrei sunt, de quorum origine nondum finitas esse controversias jam diximus, cap. 34. ED.

12. *Aruspices præmonuerunt.* Dalec. et Elzev. *aruspices cavenda præmonuerunt.* Sed in Vet. et Chiffl. recte, ut apud Harduinum, vox *cavenda* deest. ED.

13. *Superna vulnera.* Parthicis nempe sagittis, tanquam e cælo ingruentibus, opprimendæ mox erant Crassi legiones. ED.

L. autem Paulo[14], C. Marcello Coss. lana pluit[15] circa castellum Carissanum[16], juxta quod post annum T. Annius Milo[17] occisus est. Eodem causam dicente[18], lateribus[19] coctis pluisse, in ejus anni acta relatum est[20].

1 LVIII. (LVII.) Armorum crepitus[1], et tubæ sonitus auditos e cælo Cimbricis bellis accepimus : crebroque[2]

14. *L. autem Paulo.* Anno U. C. DCCIV. Ed.

15. *Lana pluit.* Simile est quod Hieronymus refert in Chron. an. 368 : « Apud Atrebatas lana e cælo pluviæ mixta defluxit. » Hanc aiunt Atrebatenses in summa sterilitate agrorum inopiaque frugum, e cælo decidisse, ac terras fœcundasse. Mannam huic lanæ nomen dederunt. Durat apud eos hodieque beneficii hujus memoria gratiaque, festa celebritate annua. Hard.

16. *Carissanum.* Forte *Cosanum*, vel *Compsanum :* apud Compsam enim Thurinorum oppidum in oppugnatione urbis, Milonem ictu lapidis ex muro periisse, Cæsar scribit. Miller. — Vide Cæsarem, de Bello civilis III, 22, et Velleium Patereulum, II, 68. Harduinus citius credit Carissanum aliquod castellum juxta Compsam fuisse, quam Carissanum idcirco in Compsanum castellum mutari oportere. Ed.

17. *T. Annius Milo.* Deest prænomen *Titus* in Chiffl. Alii, *T. Manilius*, pessime. Ed.

18. *Eodem causam dicente.* Post occisum Clodium, anno DCCII. Ed.

19. *Lateribus coctis.* Etiam testis integris pluisse L. Marcio, Sex. Julio Coss. auctor est Julius Obseq. cap. CXIV. Forte hæc aliunde arrepta turbine, alio deciderunt. Forte vi ignis e terra erumpente, propelli inde lapides, lateresque eructari, ac projici longissime potuerunt. Hard. — Fragmenta vidimus aerolithorum non omnino absimilia coctis lateribus, iis scilicet qui nimio fornacis ardore duriorem naturam et colorem deteriorem traxerunt. Ed.

20. *In ejus anni acta.* Acta populi romani etiam alias citantur a Plinio, quorum scribendorum cura videtur pontificibus commissa fuisse, ut brevem magistratuum mentionem aut rerum singulis annis gestarum continerent, itemque prodigia quæ quotannis accidissent. Ea diu sola fuerunt historiæ romanæ monumenta; diversa non eredo a Fastis sive Annalibus. Vide Auctorum Indicem, ad verbum *Acta*. Ed.

LVIII. 1. *Armorum crepitus.* Julius Obseq. cap. CV, e locis subterraneis prodiisse bos strepitus, ait: « L. Valerio Cos. crepitus armorum ex inferno auditus. » Sextus hic Marii Consulatus fuit, A. U. DCLIV. Hard. — Illi armorum crepitus, spectata illa arma cælestia et inter se concurrentia, ardensque cælum, demonstrant jampridem visas fuisse auroras boreales, quæ jam infinitis observationibus et egregio opere clar. De Mairan, omnibus innotuere. Brot.

2. *Crebroque.* Ita MSS. omnes : non *crebrosque*, ut editi. Hard.

et prius [3], et postea. Tertio vero [4] consulatu Marii ab Amerinis [5] et Tudertibus spectata arma cælestia, ab ortu occasuque inter se concurrentia, pulsis [6] quæ ab occasu erant. Ipsum ardere [7] cælum, minime mirum est, et sæpius visum, majore [8] igne nubibus correptis.

LIX. (LVIII.) Celebrant Græci Anaxagoram Clazome- 1
nium [1], Olympiadis [2] septuagesimæ octavæ secundo anno,

3. *Et prius.* Habet aliquid huic prodigio simile Livius, lib. XXIV, p. 260. HARD. — Virgil. Georg. I, 474, idem prodigium Cæsare mortuo rursus observatum narrat : « Armorum sonitum toto Germania cælo Audiit. » Ed.

4. *Tertio.* Fuit annus U. C. DCLI. HARD. — Vide not. seq. Ed.

5. *Ab Amerinis.* In Chiffl. cod. et aliis, a *Mamertinis*, male. Nam Plutarchus in Mario, pag. 415 : Ἐκ δὲ Ἀμερίας καὶ Τουδέρτου πόλεων Ἰταλικῶν ἀπηγγέλθη νυκτὸς ὦφθαι κατὰ τὸν οὐρανὸν αἰχμάς τε φλογοειδεῖς, etc. Hinc emendabis Julium Obseq. cap. CIII : « C. Mario, C. Flacco Coss. Arimini (*lege*, Amerini) canis locutus : arma cælestia, tempore utroque ab ortu et occasu visa pugnare, et ab occasu vinci. » Sed ex Julio vicissim Plinii lectio vetus est retinenda, *Tertio vero consulatu Marii :* quamvis Fasti Consulares reclament. HARD. — Apud Julium Obsequentem *C. Flavio*, non *C. Flacco*, legendum est, et vulgo legitur. Secundus hic fuit Marii consulatus, non tertius; sed Plinius et Obsequens potuerunt de prodigii tempore non convenire. Ed.

6. *Pulsis quæ ab occasu erant.* Prænunciabatur Teutonorum clades, qui ab occidente septemtrionali veniebant. Ed.

7. *Ipsum ardere.* Id accidisse Livius narrat lib. III, cap. 10, P. Volumnio, Ser. Sulpicio Coss. anno U. C. CCXCIII, aliasque sæpius, ut libb. XXXI, XXXII, XLIII, etc. Vide Julium Obseq. capp. LXXIX, XCVIII, et CXI. Dionem. lib. LX, pag. 687, et alios. HARD.

8. *Majore igne.* Sic Chiffl. et alii. Dalec. et Elz. *majore vi ignis.* Falsa causa verissimi phænomeni indicatur : vide supra not. 1. Ed.

LIX. 1. *Anaxagoram.* Is Euripidis magister fuit. De eo vulgatum est ac tritum, quod Tullius refert, Tusc. quæst. lib. I, « Præclare Anaxagoras, qui quum Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid accidisset, afferri : Nihil necesse est, inquit, undique enim ad inferos tantumdem viæ est. » De eo multa Laërtius, lib. II, ubi hujus Anaxagoreæ prædictionis meminit. HARD.

2. *Olympiadis septuagesimæ octavæ secundo anno.* Discrepat a Plinio auctor Chronici marmorei, quod in Marm. Oxon. recitatur, pag. 160, Epoch. 58. Rem enim is contigisse ait Archonte Athenis Theagenide : Ἀφ' οὗ ἐν Αἰγὸς ποταμοῖς ὁ λίθος ἔπεσε, καὶ Σιμωνίδης ὁ ποιητὴς ἐτελεύτησε.... ἄρχοντος Ἀθήνησι Θεαγενίδου. Fuit autem Theagenides Ar-

quoque[8] illis noctibus flagrante. Quod si quis prædictum credat, simul fateatur necesse est, majoris miraculi divinitatem Anaxagoræ fuisse : solvique rerum naturæ intellectum, et confundi omnia, si aut ipse Sol lapis[9] esse, aut unquam lapidem in eo fuisse credatur. Decidere tamen crebro, non erit dubium. In Abydi[10] gymnasio ex 3 ea causa colitur[11] hodieque, modicus quidem, sed quem in medio terrarum casurum idem Anaxagoras prædixisse narratur. Colitur et Cassandriæ[12], quæ Potidæa vocitata est, ob id deducta[13]. Ego ipse vidi in Vocontiorum[14] agro paulo ante delatum[15].

LX. (LIX.) Arcus[1] vocamus, extra miraculum frequen-

libris omnibus. H. —Vet. ap. Dalec. *vehiculi*. Ed.

8. *Comete quoque*. Non cometes fuit, sed globus ardens, ac fortasse flammeum post se tractum, ut caudam, ducens: quales plerumque in his phænomenis observari, et ab antiquis pro varia formarum similitudine clypeos, stellas, aut faces nominari jam diximus. Ed.

9. *Sol lapis*. Hanc fuisse Anaxagoræ mentem prodidit Tatianus, orat. contra Græcos, aliique. Harpocration, p. 23, verbo Ἀναξαγόρας, docuisse eum ait, Solem esse massam candentem, μύδρον διάπυρον. Idem habet et Suidas, pag. 241, verbo Ἀναξαγόρας. Hard. — Vix sane aliter intelligi potest Solis materia, quam metallica aut lapidea moles, sive in totum, sive extrinsecus candens ac liquefacta, et forsitan non liquefacta modo, sed in vapores resoluta. Ed.

10. *Abydi*. De Abydo, urbe Asiæ ad Hellespontum sita, vide Plinii Geographica in partem, lib. V, cap. 40. Ed.

11. *Colitur*. Ex his phænomenis originem sumpsit populorum bene multorum superstitio, qui lapides coluisse dicuntur: ut Celtæ, Scandinavi; ut Pessinuntii sub Cybeles, Paphii sub Veneris, Syri sub Heliogabali nomine, etc. Ed.

12. *Cassandriæ*. Urbs Chalcidica in Thraciæ parte maritima, hodie *le porte di Cassandro*. Vide Plinium infra, lib. IV, cap. 17. Ed.

13. *Ob id deducta*. Deductis eo sacri hujus lapidis causa colonis, exstructoque oppido, cui nomen a colore adusto lapidis, est inditum, Potidæa. Est enim ποτὶ Dorice πρὸς, ad, apud; δαίομαι, uror. Hard.

14. *Vocontiorum*. In Gallia Narbonensi : hodie *Vaison*, urbs semiruta Provinciæ. Ed.

15. *Delatum*. Quid si *delapsum* legas? Hard.

LX. 1. *Arcus*. Arcus illos nos quoque vocamus *arcs-en-ciel*. Brot. — Hos ait Plinius neque admirationem movere, nec quidquam præsagire : sic inter se differunt verba, *extra miraculum*, *extra ostentum*. Ed.

tes, et extra ostentum. Nam ne pluvios[2] quidem, aut serenos dies, cum fide portendunt. Manifestum est, radium Solis immissum cavæ nubi[3], repulsa acie in Solem, refringi : colorumque varietatem[4] mixtura nubium[5], aeris,

2. *Ne pluvios.* Ea de re Seneca, Natur. quæstion. lib. I, cap. 6 : « et bibit ingens Arcus, ut ait Virgilius noster, quum adventat imber : sed non easdem, undecumque apparuit, minas affert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet... Si circa occasum refulsit, rorabit, et leviter impluet. Si ab ortu, circave surrexit, serena promittit. » Verius est quod hoc loco Plinius ait, quam quod lib. XVIII, cap. 80 : « Arcus quum sunt duplices, pluviam nunciare, etc. » Hard.

3. *Cavæ nubi.* Ita Seneca, loco citat. cap. 3 : « Illud esse dubium nulli potest, quin Arcus imago Solis sit, roscida et cava nube concepta. » Ἐν νέφει κοίλῳ, inquit Arist. vel quisquis est auctor libri de Mundo, cap. 4. Existimabant crassiuscule Veteres, nubem esse veluti speculum concavum, e quo Solis radii reflecterentur : sic demum iridem fieri, rotunditate ex figura nubis unice petita. Vide Plutarch. de placitis Philos. lib. III, cap. 5. Qui subtilius ista deinceps consectati sunt, dixere nubem roscidam esse texturam corpusculorum seu guttularum, quarum unaquæque radium Solis reflectat quidem, sed ita tamen ut tum solum videatur, atque adeo speciem iridis coloratam exhibeat, quum in eo est situ, ut angulo certo reflexionem in oculum faciat. Quamobrem, quæcumque nubis figura sit, iridis speciem aliam esse, nisi rotundam, non posse : quoniam situs corpusculorum ad parem Solis et oculi angulum non potest alius esse successive, nisi circularis. Hæc pro instituti nostri ratione ac brevitate sufficiant. Physici ea uberius, quibus est otium, spatiumque. H. —Hucusque processerat Cartesiana philosophia, quæ formam quidem arcus cælestis explicabat; varietatem colorum, quamvis eamdem esse videret quæ in vitreo prismate observatur, nondum tamen interpretari recte poterat. Quam nemo hactenus ne suspicari quidem potuerat, luminis refracti in septem versicolores radios dispersionem, princeps in hac re, ut in multis, Newton invenit, et mathematicis rationibus subjecit. Ed.

4. *Varietatem.* Vett. ante Dalec. *varietates.* Ed.

5. *Mixtura nubium*, etc. Iridis colores non ea mixtura fiunt, sed refractione luminis: quod argumentum elegantissimo carmine P. Noceti, eruditis adnotationibus Cl. Boscovich, illustravere. Brot. — Primo quidem aspectu incredibile videtur, Plinium, quum supra veram hujus phænomeni causam satis recte indicasset, *radium Solis repulsa acie refringi*, nunc ad ineptissimam explicationem confugere. Sed ea debuit esse veterum physicorum conditio, qui nec prismatis colores satis observassent, nec luminis divisionem suspicarentur, ut supra diximus, not. 3, utque melius ostendent hodierni de physica scriptores. Ed.

igniumque [6] fieri. Certe nisi Sole adverso [7] non fiunt : nec unquam [8], nisi dimidia circuli forma : nec noctu [9], quamvis Aristoteles prodat aliquando visum, quod tamen fatetur idem non nisi tricesima [10] Luna posse. Fiunt [11] autem 2
hieme maxime, ab æquinoctio autumnali die decrescente. Quo rursus crescente ab æquinoctio verno, non exsistunt; nec circa solstitium longissimis diebus : bruma vero, hoc est

6. *Igniumque.* Ignem vocat quod igneum Solis lumen Seneca loco citato. Varios iridis colores ex varia luminis reflexione et refractione emergere, nunc recentiores scriptores consentiunt : sed in explicanda ratione, miræ ambages. Fieri certum est, ut in experimento familiari et usitato evenit, quum Sole averso aquam ore spargimus : fieri enim tum quiddam plane simile his, quos videmus in arcu, coloribus solet, ut animadvertit Seneca loco citato, et ante eum Arist. Meteor. lib. III, cap. 4. De iridis coloribus multa egregie Seneca, cap. 3. Hard.

7. *Sole adverso.* Vide Senecam, loco citato. Hard.

8. *Nec unquam.* Hæc Aristoteles totidem verbis expressit, Meteorol. lib. III, cap. 2. Hard.

9. *Nec noctu.* Aristotelem vide loco proxime indicato. Seneca loco etiam citato : « At contra arcus in nocte non fit, nisi admodum raro : quia Luna non habet tantum virium, ut nubes transeat, et illis colorem suffundat, qualem accipiunt Sole perstrictæ, etc. H. — Lunares irides videntur et noctu; prioreque et hoc nostro sæculo sunt observatæ. Merito ergo eas prodiderat Aristoteles. Brot.

10. *Tricesima.* Sic Harduinus, sic Chiffl. et alii manuscripti omnes vetustæque editiones. At quum *plenilunio* tantum hoc fieri diserte efferat Aristoteles, Meteor. lib. III, cap. 2 : Ἐν τῇ πανσελήνῳ γὰρ ἀνάγκη γενέσθαι, εἰ μέλλει ἔσεσθαι, καὶ τότε ἀνατελλούσης ἢ δυνούσης· hinc non contemnendi editores, Dalec. Elz. Brot. *quartadecima* satis audacter rescripserunt. Nos Plinium currente calamo falli potuisse credimus; ideoque a textu movendo abstinemus, quanquam scribendi compendiis *XIV* in *XXX* depravari facillimum fuit. Venit quoque nobis aliquando in mentem *plenissima* pro *tricesima* legi posse. Ed.

11. *Fiunt autem hieme.* Seneca loco citato cap. 8 : « Aristoteles ait post autumnale æquinoctium qualibet hora diei arcum fieri; æstate non fieri, nisi aut incipiente, aut inclinato jam die. Cujus rei causa manifesta est : primum, quia medio die Sol calidissimus nubes evincit, etc. » Aristotelis locus est, Meteorol. l. III, cap. 5. Hard.—Proponit Dalecampius *hi maxime.* Cæterum inania plane narrant hic Veteres. Arcus enim quum hieme, tum æstate fieri possunt, ubi Solis radii sub angulo certo incidentes pluviæ guttis refringuntur : sed æstate mediis diei horis non possunt, propter causam infra afferendam, not. 16; et in Græcia et Italia serenæ magis, quam

brevissimis diebus, frequenter. Iidem sublimes [12] humili Sole, humilesque sublimi: et minores [13] oriente [14] aut occidente, sed in latitudinem diffusi; meridie exiles, verum ambitus [15] majoris. Æstate vero per meridiem [16] non cernuntur; post autumni æquinoctium, quacumque hora: nec unquam plures simul, quam duo [17].

1 LXI. Cætera ejusdem [1] naturæ non multis dubia esse video. (LX.) Grandinem [2] conglaciato imbre gigni, et nivem eodem humore mollius coacto: pruinam [3] autem ex rore gelido. Per hiemem nives cadere, non grandines: ipsasque grandines interdiu sæpius [4], quam noctu; et multo celerius resolvi, quam nives. Nebulas nec æstate, nec maximo frigore exsistere. Rores, neque gelu, neque

2 ardoribus, neque ventis, nec nisi serena nocte. Gelando

apud nos, æstates rarius forsitan hoc phænomenon exhibeot. Ed.

12. *Iidem sublimes.* Seneca loco citato, cap. 13: « Nunquam non adversus Soli arcus est, sublimis aut humilis, prout ille se submisit, aut sustolit, contrario motu: illo enim descendente altior est; alto, depressior. » Hard. — In vett. ante Dalecampium legebatur: *iidem Sole sublimes humili, humilesque sublimi.* Arcuum amplitudinem cum radiorum Solis inclinatione, ideoque cum hujus sideris altitudine mutabilem esse, nihil refert hic admonere. Supra 42 gradus evecto Sole, vix ac ne vix quidem conspicui sunt. Ed.

13. *Et minores.* Reliquum deinceps caput vide apud Arist. Meteor. lib. III, cap. 2. Hard. — Totus tunc videtur semicirculus, sed circuli minoris, oculorum quidem judicio, qui sic facilius ejus rotunditatem amplectuntur. Ed.

14. *Oriente aut occidente.* Sic Harduinus ex MSS. Contra Dalecamp. et Elzev. *occidente vel oriente.* Ed.

15. *Ambitus majoris.* Vet. apud Dalecamp. *ambitu majores.* Arcus tunc humilior, magis patere videtur, falso tamen: nam circuli radius idem est, quamvis centrum sub horizontem descenderit. Ed.

16. *Per meridiem.* Sole tunc nimis alto. Nam Romæ usque ad 71° evehitur. Vide supra, not. 12. Ed.

17. *Nec unquam plures simul, quam duo.* Nonnunquam tres observatos, affirmat Sigaud de la Fond, *Dict. de Phys.* etsi duo communius fiunt, ordine colorum inverso. Ed.

LXI. 1. *Ejusdem.* Vet. *ejus.* Ed.

2. *Grandinem.* Quæ toto hoc capite continentur, vide apud Aristot. Meteor. I, capp. 10, 11 et 12. H.

3. *Pruinam.* Gallis, *la gelée.* Vide lib. XVII, cap. 37. Hard.—Multo potius, *la gelée blanche.* Ed.

4. *Interdiu sæpius.* Caute dictum, contra quosdam, qui negant noctu grandinem cadere. Nam id esse falsum, experientia teste, recte monet

liquorem[5] minui ,solutaque glacie non eumdem inveniri modum.

(LXI.) Varietates colorum figurarumque in nubibus 3
cerni, prout admixtus[6] ignis superet[7], aut vincatur.

LXII. (LXII.) Præterea quasdam proprietates[1] quibus- 1
dam locis esse : roscidas æstate Africæ noctes; in Italia Locris[2], et in lacu Velino[3], nullo non die apparere arcus; Rhodi[4] et Syracusis nunquam tanta nubila obduci, ut non aliqua hora Sol cernatur : qualia aptius suis referentur locis. Hæc sint dicta de aere.

LXIII. (LXIII.) Sequitur terra, cui uni rerum naturæ 1
partium, eximia propter merita, cognomen indidimus maternæ[1] venerationis. Sic hominum illa, ut cælum Dei :

scriptor libri Gallici, *Mélanges d'histoire et de littérature*, t. II, p. 171. H.

5. *Gelando liquorem minui.* Ea de re dicemus, lib. XXXI, cap. 21. Hard. — Causa hodie non est dubia: siquidem aqua bis statum mutante, partem ejus aliquam vaporatione disperdi necesse est. Ed.

6. *Admixtus ignis.* Igneus halitus, e terra Solis vapore eductus, atque intra nubem commixtus materiæ, quæ ex aqua extrahitur, et in aquam solvitur. Hard. — Idem fere de variis iridis coloribus dixerat paulo ante cap. 60, ubi vide not. 5. Ed.

7. *Superet aut vincatur.* Vet. ap. Dalec. *superat aut vincitur.* Ed.

LXII. 1. *Proprietates.* Vet. edd. itemque Dalec. et Elz. *proprietates cæli.* Sed vox *cæli* in Chiffletii codice, et, teste Harduino, in aliis quoque MSS. deest. Ed.

2. *Locris.* Epizephyriis scilicet, in infima Brutii parte. Vide Plinium III, 10. Ed.

3. *Velino.* Lacus Velinus, sive ut alias Plinius vocat, Velini lacus (nam plures sunt, sed connexi, quos Velinus amnis alit), præcipiti cursu in gurgitem subjectum deferuntur, et illo aquarum lapsu, dispersis in aera guttis humidis, unde Plinius lib. III, 18, vicinos colles *roscidos* vocat, iridis multiplicis phænomenon efficit, quale de cataractis omnibus narrant viatores, quale et in scaturientibus hortorum lymphis sæpe cernimus. Similem aliquam causam circa Locros exstitisse verisimillimum est. Ed.

4. *Rhodi.* Idcirco Rhodum Phœbi sponsam, ἀελίοιο νύμφαν appellat Pindarus, Olymp. ζ, versu 26. De Rhodo id quoque Solinus, cap. XI; de Syracusis, cap. V. Illud ipsum de Alexandria Ammianus, lib. XXII: « Nullo pæne die, inquit, incolentes hanc civitatem, Solem serenum non vident. » In insula Chio id etiam contingere, multi experimento comprobarunt, inquit Allatius in Philon. Byzant. pag. 69. Hard.

LXIII. 1. *Maternæ.* Quod ea communis mater omnium mortalium

quæ nos nascentes excipit, natos alit, semelque editos sustinet semper : novissime complexa gremio jam a reliqua natura abdicatos, tum maxime[2], ut mater, operiens : nullo magis[3] sacra merito, quam quo nos quoque sacros[4] facit; etiam monumenta ac titulos gerens, nomenque prorogans nostrum, et memoriam[5] extendens contra brevitatem ævi. Cujus numen ultimum jam nullis[6] precamur[7] irati grave : tanquam nesciamus hanc esse solam, quæ nunquam irascatur homini. Aquæ subeunt in imbres, rige-

sit, inquit Livius, lib. I, pag. 20. Plinius ipse lib. XVIII, cap. 4: « Non tamen, ait, surda tellure, quæ parens appellatur, etc. » H.

2. *Tum maxime.* Lucanus, de Bell. civ. l. VII, v. 810 : « Placido natura receptat Cuncta sinu ; » et paulo post, v. 818 : « Capit omnia tellus, Quæ genuit. » HARD.

3. *Nullo magis sacra merito.* Sic Reg. 1 et Chifflet. quam lectionem etiam Dalecampius proposuerat ; primus Harduinus in textum recepit, quum prius *sacramento* legeretur, nullo sensu. ED.

4. *Sacros facit.* Plutarchus in Solonis vita, pag. 89 : Ἐπαινεῖται δὲ τοῦ Σόλωνος καὶ ὁ κωλύων νόμος τὸν τεθνηκότα κακῶς ἀγορεύειν, καὶ γὰρ ὅσιον τοὺς μεθεστῶτας ἱεροὺς νομίζειν, etc. « Maledicta jaci vetat in defunctos : sacros enim consentaneum esse existimare eos qui decesserunt. » Huc refer epitaphium in Musis lapidariis, pag. 78 : « Hospes ad hunc tumulum ne mejas, ossa precantur Tecta hominis. » Quia nimirum, ut cecinit Persius, Satyra I, v. 127 : « Sacer est, pueri, locus : extra Mejite. » HARD.

5. *Et memoriam.* Sic vett. edd. Sic Dalecamp. et Elzev. Harduinus voculam *et* omisit, nulla prolata auctoritate. ED.

6. *Ultimum jam nullis.* Unicum quod mortuis supersit. Sic apud Tullium Tusc. I, 11 et seq. mortui sæpe *nulli* dicuntur, et vel eo solo arguuntur miseri non esse, *quia nulli sunt.* ED.

7. *Precamur irati.* Solemni hoc hemistichio, *Sit tibi terra gravis.*—Solebant antiqui, ut ex poetis præsertim Latinis constat, Manibus ejus « cujus memoriam (ut ait Tertullianus, l. de Testim. animæ, cap. 4) cum alicujus offensæ morsu facerent, et cui maledicere vellent, terram gravem imprecari : ejus vero cui gratiam deberent, ossibus et cineribus refrigerium comprecari. » Hinc illa:

> Molliter ossa cubent.
> Et cinerem tellus non onerosa premat.

Martialis, lib. V, Epigr. 34 :

> Mollia nec rigidus cespes tegat ossa ; nec illi
> Terra gravis fueris : non fuit ille tibi.

Seneca in Hippol. act. V, scena ultima 1279 et seq.

> istam terra defossam premat,
> Gravisque tellus impio capiti incubet.

Detorsit ingeniose votum terræ levis in contrariam plane sententiam Ammianus in Anthol. l. II, c. 43, Epigr. 1 : Εἴη σοι κατὰ γῆς κούφη

scunt in grandines, tumescunt in fluctus, præcipitantur in torrentes : aer densatur nubibus, furit procellis. At hæc benigna, mitis, indulgens, ususque[8] mortalium semper ancilla, quæ coacta generat! quæ sponte fundit! quos odores saporesque! quos succos! quos tactus! quos colores! quam bona fide creditum fœnus[9] reddit! quæ[10] nostri causa alit! Pestifera enim animantia, vitali spiritu[11] habente culpam, necesse est illi seminata excipere, et genita sustinere; sed in malis[12] generantium noxa est. Illa serpen- 3
tem[13] homine percusso non amplius recipit, pœnasque etiam inertium[14] nomine exigit : illa medicas fundit herbas, et semper homini parturit[15]. Quin et venena nostri misertam instituisse credi potest : ne in tædio vitæ fames[16], mors terræ meritis alienissima[17], lenta nos consumeret tabe; ne lacerum[18] corpus abrupta dispergerent; ne laquei tor-

κόνις, οἰκτρὲ Νέαρχε, ὄφρα σε ῥηϊδίως ἐξερύσωσι κύνες.

Sit levis, infelix, tandem tibi terra, Nearche,
Promptius effodiant ut tua membra canes.
HARD.

8. *Ususque mortalium*. Forte rectius, *usuique*. HARD.

9. *Fœnus*. In Vet. deesse docet hoc verbum Dalecampius. ED.

10. *Quæ*. Quot et quam utilia generi humano animalia! ED.

11. *Vitali spiritu*. Aer in culpa est, ex quo cunctorum animantium, serpentiumque semina decidere creduntur: terra ipsa non sponte excipit, sustinetve, sed quoniam ita necesse est illi. HARD. — Ridicule hic incusatur aer, non sane nocentior quam terra. Sed hoc plerumque accidit, quum ultra verum declamando pervenimus. ED.

12. *In malis*. Mala, inquit, primis auctoribus suis unice imputanda sunt. At cur non de bonis idem quoque dicatur? Me quidem judice, inanis est sententia, vel ideo quod latius patet, omnibus favendo qui mala ab aliis prognata suscipiunt, alunt atque educant. Volebat Dalecampius, *in his malis*. ED.

13. *Illa serpentem*. Vide l. XXIX, cap. 23. HARD.

14. *Inertium*. Ultione abstinentium. ED.

15. *Parturit*. Aliquid bonum parere meditatur. ED.

16. *Fames mors*. Ita Reg. 1, 2, Chiffl. etc. Prius legebatur, *ne in tædio vitæ diræ famis mors*, etc. interpolato Plinii contextu. HARD.

17. *Mors terræ meritis alienissima*. Quod mortis genus a terræ meritis et benignitate valde abhorret. H.

18. *Ne lacerum*. Ne foret necesse ad exitum vitæ inveniendum, sese ex abruptis locis in præceps dare : quod leti genus lacerum corpus et fracta membra dispergeret. HARD.

queret pœna præpostera[19], incluso spiritu, cui quæreretur exitus; ne in profundo quæsita morte, sepultura pabulo[20]
4 fieret; ne ferri cruciatus scinderet corpus. Ita est[21]: miserta genuit id, cujus facillimo haustu, illibato corpore, et cum toto sanguine exstingueremur, nullo labore, sitientibus[22] similes: qualiter defunctos, non volucris, non fera[23] attingeret; terræque servaretur, qui sibi ipsi[24] perisset. Verum fateamur: terra nobis malorum remedium genuit; nos illud vitæ[25] fecimus venenum. Non enim et ferro[26], quo carere non possumus, simili modo[27] utimur? Nec tamen quereremur merito, etiamsi maleficii causa tulisset: adversus[28] unam
5 quippe naturæ partem ingrati sumus. Quas non ad[29] deli-

19. *Præpostera*. Proposito aliena. Anima enim sic includitur, dum animæ quæritur exitus. Sed hæc omnia declamantis sunt, ac in ambiguo vocabulo *animæ* præpostere ludentis. Ed.

20. *Pabulo*. Piscium voracitate. E.

21. *Ita est : miserta genuit, etc.* Vet. *ita genuit*, etc. Cætera quæ interposita sunt, delenda. Dalec. — Videtur tamen sic orationi motus addi, non injucunda legentibus nec insueta Plinio vehementia. Et sane monuisset Dalecampius hæc in MS. deesse, si defuissent. Ed.

22. *Sitientibus*. Intellige, *sitim restinguentibus*. Nam de illa siti, quæ venenatos cruciat, non agitur. Ed.

23. *Non volucris, non fera*. Quod in plerisque voluntariæ mortis generibus timendum esset. Ed.

24. *Sibi ipsi*. Sibi jam nullus, adhuc terræ carus est. Ed.

25. *Nos illud vitæ venenum*. Venenum fecimus, quod erat remedium. Vet. apud Dalec. *illud vita fecit venenum*. Non profecto male; nam hoc sensu *vita*, id est, hominum consuetudo, apud Plinium frequens dicitur. Chiffletii codex non *fecimus* legit, sed *facimus*. Ed.

26. *Non enim et ferro, quo carere non possumus, simili modo utimur?* Ita cum Pintiano scribimus, ex Reg. 1, 2, etc. Prius legebatur, *nos enim*. At cum interrogationis nota concitatius efficaciusque dictum videtur. Etiam paulo ante ex iisdem MSS. rescripsimus, *verum fateamur:* non ut in libris editis, *et ut verum*. Ac postea, *quas non ad delicias*, pro *quasi*. Et *nisi tamen quæ summa patiatur*, etc. pro *et tamen quæ summa patiatur:* eorumdem codicum auctoritate ac fide. Hard.

27. *Simili modo*. Ad perniciem. Hard.

28. *Adversus unam*. Terra, inquit, sola est, e quatuor naturæ partibus sive elementis, adversus quam ingrati simus. Ed.

29. *Quas non ad delicias, etc.* Sic in Toletano codice. Dalec. et Elzev. *Quasi non ad delicias quasque, non ad contumelias serviat homini*. Vide supra not. 26. Ed.

cias, quasque non ad contumelias servit homini? In maria[30] jacitur, aut, ut freta admittamus, eroditur[31] aquis: ferro, ligno, igne, lapide, fruge, omnibus cruciatur horis, multoque plus, ut deliciis, quam ut alimentis famuletur nostris. Nisi tamen[32], quæ summa patiatur, atque extrema cute, tolerabilia videantur. Penetramus in viscera, auri argentique venas, et æris ac plumbi metalla fodientes: gemmas etiam et quosdam parvulos quærimus lapides, scrobibus in profundum actis. Viscera ejus extrahimus, ut digito gestetur gemma, quam petimus[33]. Quot manus atteruntur, ut unus niteat articulus! Si ulli essent inferi, jam profecto illos avaritiæ atque luxuriæ cuniculi refodissent. Et miramur, si eadem ad noxam genuit 6
aliqua! Feræ enim, credo[34], custodiunt illam, arcentque sacrilegas manus! Non inter serpentes fodimus, et venas auri tractamus cum veneni[35] radicibus? Placatiore tamen Dea[36] ob hoc, quod omnes hi opulentiæ exitus ad

30. *In maria jacitur.* Jactis scilicet, ut ille cecinit, in altum molibus, cæmentisque demissis. Vide interpretes Horatii lib. III, Od. 1, v. 34. HARD.

31. *Eroditur.* Vet. apud Dalec. *eruitur.* Retinenda est vulgaris lectio. Sensus est: Ut maria terris immittantur, excavantur littora, aquarum auxilio. ED.

32. *Nisi tamen.* Sic Harduinus ex MSS. Vet. apud Dalec. *illa tamen.* Dalecamp. et Elzev. *et tamen;* pauloque infra *patitur*, pro *patiatur.* Servandum est *nisi tamen.* Est enim objectionis formula, ut *nisi vero,* et multæ aliæ hujusmodi, apud omnes scriptores frequentissimæ. ED.

33. *Quam petimus.* Pintianus legit cum interrogatione, *Ut digito gestetur gemma, quo petitur?* Reg. 1, 2: *Ut digito gestetur gemma, petitur*, terra scilicet. HARD. — Hinc apparet dubiam ac merito suspectam esse lectionem, qua tamen nulla potior nobis occurrit. ED.

34. *Credo.* Est ironiæ formula. Quid, ait, feras et serpentes et venena terræ exprobramus, quæ ne ad tuendam quidem illam satis valent? ED.

35. *Cum veneni radicibus.* Inter venenatas herbas ac noxiorum fruticum radices, auri venam quærimus. Hic videtur sensus. Lectio tamen dubia forsitan. Vet. apud Dal. *cum venenis traducibus.* Alii *cum venenis trucibus*, probante Dalecampio, sed perperam. ED.

36. *Placatiore tamen Dea.* Sic Harduinus ex MSS. Vulgata lectio adjiciebat verbum *utimur*. Sed, ut jam

scelera, cædesque, et bella tendunt; quamque sanguine nostro irrigamus, insepultis ossibus tegimus. Quibus tamen, velut exprobrato furore, tandem ipsa[37] se obducit, et scelera quoque mortalium occultat.

1 LXIV. Inter crimina[1] ingrati animi et hoc duxerim, quod naturam ejus ignoramus.

(LXIV.) Est autem figura prima, de qua consensus judicat. Orbem[2] certe dicimus terræ[3], globumque verticibus includi[4] fatemur. Neque enim absoluti orbis est forma, in tanta montium excelsitate, tanta camporum planitie: sed cujus amplexus, si capita[5] linearum comprehendantur ambitu, figuram absoluti orbis efficiat: id quod ipsa rerum naturæ cogit ratio, non iisdem causis, quas attuli-
2 mus[6] in cælo. Namque in illo cava in se convexitas vergit, et cardini suo, hoc est, terræ, undique incumbit.

diximus, ablativis absolutis Plinius gaudet. Ed.

37. *Ipsa se obducit.* Ossa vel insepulta cum tempore tellus occultat, deprimentia pondere suo mollitam pluviis humum. Ed.

LXIV. 1. *Inter crimina.* Hic, quod raro nobis accidet, ab Harduini divisione paulum secedimus; is enim, Dalecampium et cæteros edd. male secutus, caput 63 post verbum *ignoramus* clausit. Ed.

2. *Orbem.* Terræ globum esse circa polos complanatum Astronomi hodie opinantur. Vide Historiam Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1701, pag. 96, et Dissertationem D. Cassini, de figura Terræ, anno 1713, pag. 188. Hard.

3. *Terræ globumque.* Vet. apud Dalec. et Chiffletii codex: *terræ globum quem.* Ed.

4. *Verticibus includi.* Verticibus montium et terrarum summitatibus metimur, inquit, hujus orbis rotunditatem, facta vallium ac depressiorum partium abstractione. Melius vero nunc orbis figura determinatur Oceani superficie: quanquam et ipsa inæqualis est; sed media altitudo capitur. Cæterum vel altissimi montes cum tanti orbis mole comparati, illius rotunditatem parum aut nihil inflectunt. Asiæ quasi mediæ impositus montis *Himalaya* vertex cæteros omnes supereminet, qui tamen hexapedis tantum 4012 supra Oceanum erigitur; eadem ergo ratione ad orbis terrestris radium conferendus, qua 1 ad 815. Ed.

5. *Si capita linearum.* Si per extremitates linearum ductarum a centro terræ ad *summos* quosque vertices montium circulus exigatur. Hard. — Vet. apud Dalec. *si capita linearum cunctarum.* Ed.

6. *Quas attulimus.* Supra, hujus libri cap. 2. Ed.

Hæc, ut solida atque conferta, assurgit, intumescenti similis[7], extraque protenditur. Mundus[8] in centrum vergit: at terra exit a centro, inmensum ejus globum in formam orbis assidua circa eam mundi volubilitate cogente[9].

LXV. (LXV.) Ingens hic pugna litterarum, contraque 1
vulgi : circumfundi terræ undique homines, conversisque
inter se pedibus stare, et cunctis similem esse cæli verti-
cem, ac simili modo ex quacumque parte mediam calca-
ri : illo quærente[1], cur non decidant contra siti[2] : tan-
quam non ratio[3] præsto sit, ut nos non decidere miren-
tur illi. Intervenit sententia, quamvis indocili probabilis
turbæ, inæquali globo, ut si sit figura pineæ nucis, ni-
hilominus terram[4] undique incoli. Sed quid hoc[5] refert, 2

7. *Intumescenti similis.* Hæc est recentiorum quorumdam philosophorum *vis expansiva*; de qua vide jam supra laudatum opus doctissimi Azaïs. Vet. apud Dalec. male: *et intumescenti similis ex utraque parte extenditur*; non enim in duas, sed in omnes partes expandi laborat tellus. Ed.

8. *Mundus.* Cælum. Hard.—Vere quidem mundus cælumve, totaque natura in centrum vergit. At non assidua mundi cælive volubilitate terra in globum aut in orbem cogitur, sed vi illa naturali, qua corpora omnia in centrum tendunt. Brot.

9. *Cogente.* Recentiores philosophi satis ad Plinii mentem accedunt, qui corporum vires expansivas mutuo comprimi, et ex eo libramine rerum omnium naturalem statum effici docent. Ed.

LXV. 1. *Illo quærente.* Inepto hominum vulgo quæstionem vanam objiciente litteris, id est, doctorum virorum sententiæ. Ed.

2. *Contra siti.* Antipodes, scil. Ed.

3. *Non ratio.* Dalec. et Elz. *Non et ratio.* Tanquam, inquit, non eadem ratione mirari possint antipodes, cur non et ipsi decidamus. Ed.

4. *Terram undique incoli.* Absurda comparatio terræ cum pinea nuce, quam velut inæqualibus gradibus in conum desinentem, homines circum et supra (sic enim accipio verbum *undique*), non vero subter incolant, mirum si ulli unquam cogitanti probabilis visa est. Non tamen multum abludit Virgilius, Georg. I, v. 242 :

Hic vertex nobis semper sublimis; at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Manesque profundi.

Hinc apparet terram illi quoque visam fuisse tanquam hemisphærium quoddam, cujus ima pars, hominibus ignota et inaccessa, vel aquis vel inferis occuparetur. Ceterum antipodas esse primus in magna Græcia docuit Pythagoras; cujus opinionem ab ejus discipulis egregie defensam, Ionica secta nunquam

alio miraculo exoriente? pendere ipsam, ac non cadere nobiscum. Ceu spiritus vis[6], mundo præsertim inclusi, dubia sit! aut possit cadere, natura repugnante, et quo cadat[7], negante! Nam sicut ignium sedes non est nisi in ignibus, aquarum nisi in aquis, spiritus nisi in spiritu: ita terræ, arcentibus cunctis, nisi in se, locus non est. Globum tamen effici mirum est, in tanta planitie maris, camporumque. Cui sententiæ adest Dicæarchus[8], vir inprimis eruditus, regum cura permensus montes: ex quibus altissimum[9] prodidit Pelion, MCCL passuum, ratione

aut sero admisisse videtur. Aristoteles autem de Cælo lib. II, cap. 2, adeo non vulgari errore imbutus fuit, ut Pythagoricis etiam audacior contenderit, nos inferum hemisphærium habitare, antipodas superum: subtilius sane quam verius, quoniam nec nos, nec illi, supra vel infra sumus; relativa hæc sunt, ut dialectici loquuntur, non absoluta. Ed.

5. *Quid hoc refert?* Quid refert isti controversiæ immorari, quum aliud mirabilius occurrat? Ed.

6. *Ceu spiritus vis.* Quasi vero, inquit, dubitare possit aliquis, aerem, præsertim cælo inclusum, satis valere ad terram sustinendam! Ed.

7. *Et quo cadat, negante.* Vet. apud Dalec. *non dante.* Ingeniosam explicationem Parmenides primus excogitavit, terram scilicet non cadere, quod nulla *sufficiens ratio* sit vergendi in hanc vel illam partem: quo principio Archimedes et Leibnitzius ad multa similiter explicanda usi sunt, annotante doctiss. Bailly, *Astr. anc. VIII*, 16. Hanc Plinius non bene intellectam longe sequi videtur. Ed.

8. *Dicæarchus.* Vide quæ de eo diximus in Auctorum Syllabo. H.

9. *Ex quibus altissimum.* Ex illis nimirum, quos dimensus est, Thessaliæ montibus, non ex omnibus quaqua patet orbis universe. Pelion Geminus in Elem. Astrom. cap. 14, pag. 55, ex eodem Dicæarcho refert altum esse stadiis decem, quæ efficiunt, ut Plinius ait, passus MCCL. Cylleuen vero Arcadiæ montem ad XV, propemodum stadia attolli, eodem mensore Dicæarcho, hoc est, passus fere MCM. Atabyrium denique Rhodi insulæ, stadiis XIV hoc est, MDCCL passibus. Hard. — Stadium hexapedas nostrates habet circiter centum. Pelion ergo hexapedis 1000 Dicæarchus altum judicarat; Atabyrium, 1400; Cyllenen, 1500. Quid si Alpes nostras dimensus esset? Quid si Tenariffam, quem circiter 1850 hexapedis altum prædicant? Quid vero si Andes americanas, quarum summa juga tribus circiter hexapedarum millibus, unum etiam 3357 hexapedis altum dimensus est clarissimus de Humboldt! Multo etiam altius exsurgere contendunt recentissimi viatores Asiæ superioris quædam juga. Quæ si cognovisset Di-

perpendiculi; nullam[10] esse eam portionem universæ ro-
tunditatis colligens. Mihi incerta hæc videtur conjectatio,
haud ignaro quosdam Alpium vertices, longo tractu, nec
breviore quinquaginta millibus[11] passuum assurgere. Sed 3
vulgo[12] maxima hæc pugna est, si coactam in verticem
aquarum quoque figuram credere cogatur. Atqui non
aliud in rerum natura aspectu manifestius. Namque et
dependentes ubique guttæ parvis globantur orbibus; et
pulveri illatæ, frondiumque lanugini impositæ, absoluta
rotunditate cernuntur; et in poculis repletis media maxi-
me tument : quæ propter subtilitatem[13] humoris, molli-
tiamque[14] in se residentem, ratione facilius, quam visu,
deprehenduntur. Idque etiam magis mirum, in poculis 4
repletis, addito humore minimo, circumfluere quod super-

cæarchus, idem tamen asserere potuisset, portionem hanc esse minimam terræ amplitudinis. Vide supra cap. 64, not. 4. Ed.

10. *Nullam esse, etc.* Vet. apud Dalec. *Nullam esse eam altitudinem pro portione univ. rot. colligens* Ed.

11. *Quinquaginta millibus passuum.* Ita id absurdum est, ut nunquam crediderim a Plinio ita fuisse scriptum. In MSS. legebatur *LM*. Crediderim olim fuisse scriptum *IIM*, id est, *duobus millibus passuum*, quod satis concordat cum altitudine montis *Gemmi*; maxime quum antiqui altitudinem potius augerent quam minuerent. Brot. — Duo passuum millia, hexapedas efficerent circiter 1511. Altissimus Alpium vertex *le Mont Blanc*, vallem suis pedibus subditam hexapedis 1922 supereminet. Quare ad veritatem satis accedit proposita a Broterio mensura, quem ante censuerat jam Rezzonicus, *V millibus* pro *L millibus* esse rescribendum. Pliniana mensura plusquam sedecim leucas nostrates efficit: ridicula profecto et absurditati, damnanda; etiamsi Plinius non perpendicularem altitudinem in mente habuerit, sed tractum pedibus emetiendum ut ab ima valle ad summum montis verticem ascendatur, *longo tractu*, et eo longiore, quo lenius assurgit. Ed.

12. *Sed vulgo.* Sed aliud, inquit, objiciunt homines indocti, aquarum superficiem planam esse, nec posse convexam et fastigiatam accipere figuram. Ed.

13. *Propter subtilitatem humoris.* Guttarum rotunditas hodie melius exponitur per affinitatem partium invicem cohærere nitentium. Item in poculis cumulate plenis aqua circum labra depressior subsidit, ob parietum vasis attractionem. Sed alia causa Oceanum rotundat, æqua scilicet undique partium ejus ad terræ centrum attractio, cum æquali aeris pressione. Ed.

14. *Mollitiam.* Tolet. codex, *mol:*

sit; contra evenire, ponderibus additis[15] ad vicenos sæpe denarios : scilicet quia intus recepta liquorem in verticem attollant, at cumulo eminente infusa dilabantur. Eadem est causa[16], propter quam e navibus terra non cernatur, e navium malis conspicua; ac procul recedente navigio, si quid, quod fulgeat, religetur in mali cacumine, paula-
5 tim descendere videatur, et postremo occultetur. Denique Oceanus, quem fatemur ultimum, quanam alia figura cohæreret, atque non decideret, nullo ultra[17] margine includente? Ipsum id ad miraculum redit[18], quonam modo, etiamsi globetur, extremum non decidat mare. Contra quod, ut sint plana[19] maria, et qua videntur figura, non posse id accidere, magno suo gaudio, magnaque gloria
6 inventores Græci subtilitate geometrica docent. Namque quum e sublimi in inferiora aquæ ferantur, et sit hæc natura earum confessa[20], nec quisquam dubitet in littore[21] ullo

litiem : cætera ut in vulgata. Ed.

15. *Ponderibus additis.* Immissis videlicet in aquam leniter ac sine concussu denariis aliquot. Quippe tum aqua succrescit ab interiore parte vasis, ascendentibus guttis quas emoverunt sede sua denarii subsidentes; et sic aliquanto etiam supra naturalem cumulum intumescere potest, resistente circum labra parietum vasis attractione. Cumulo autem naturali si guttulam infundas, illa, quum in fundum pondere suo non trahatur, superficiem tantum vasis afficit, et in devexo cumulo quasi labitur. Ed.

16. *Eadem est causa.* Aquarum nempe convexitas. Ed.

17. *Nullo ultra margine.* etc. Ergo fingebat sibi Plinius Oceanum sub habitabili terra in convexam superficiem rotundari; quod veritati omninò consentaneum est. Nullum autem marginem ejus agnoscit. Nempe margines Oceano nulli essent alii quam ipsa orbis antiqui littora (hinc Europæ atque Africæ, illinc Asiæ), nisi medius in hac immensitate aquarum Americæ continens audacibus Columbi conjecturis emersisset. Ed.

18. *Ipsum id ad miraculum redit.* Id vero ipsum rursus admirationem vulgi movet. Chiffletii codex, *in id ipsum miraculum redit*; vana emendatione. Ed.

19. *Ut sint plana.* Etiamsi sint plana, quam sententiam ipse paulo ante confutavit. Ed.

20. *Confessa.* Alii *concessa*. Vet. apud Dalec. *et sit hic naturæ earum consensus*. Sed MSS. vulgatam lectionem retinent; et *confessa* in passiva significatione Plinianum est. Vide Indices. Ed.

21. *In littore ullo*, etc. Vet. apud

accessisse eas, quo longissime[22] devexitas passa sit: procul dubio apparere[23], quo quid humilius sit, propius centro esse terræ; omnesque lineas[24], quæ emittuntur ex eo ad proximas aquas, breviores fieri, quam quæ ad extremum mare a primis aquis. Ergo totas, omnique ex parte aquas vergere in centrum: ideoque non decidere, quoniam in interiora nitantur.

LXVI. Quod ita formasse artifex[1] Natura credi debet, 1
ut, quum terra arida et sicca constare per se ac sine humore non posset, nec rursus stare aqua, nisi sustinente terra, mutuo[2] implexu jungerentur: hac sinus pandente; illa vero permeante totam, intra, extra, supra, venis, ut vinculis, discurrentibus: atque etiam in summis jugis erumpente; quo, spiritu[3] acta, et terræ pondere expressa,

Dalec. *Nec quisquam dubitet in littus ullum accessisse eas, nisi quo longissima devexitas passa sit.* Ed.

22. *Quo longissime.* Quousque. Ed

23. *Apparere.* Supple ex præcedentibus, *docent Græci.* Ed.

24. *Omnesque lineas.* Omnesque lineas, quæ a centro terræ ducuntur ad proximam aquæ superficiem, breviores fieri quam quæ ad ultimum mare a primo littore. Hard. — Id Plinius ab aliquo mathematico male transcripsit, nec, ut opinor, intellexit. Nam ex ejus verbis nullus mihi sensus elucet: viderint oculatiores. Suspicor tamen *proximas aquas* esse fundo proximas; *extremum* autem *mare*, summam aquarum superficiem, quæ a centro remotissima. Verba igitur *a primis aquis* aut spuria essent, aut sic legenda: *ac primas aquas.* Sed incerta omnia. Reliqua vero hujus capitis, jam a verbis *ergo totas*, planissima sunt, immo et verissima: confer supra quæ diximus, not. 13. Ed.

LXVI. 1. *Artifex Natura.* Reg. 1, 2. Chiffl. etc. *artifex naturæ.* Hard.

2. *Mutuo implexu jungerentur.* Vet. *mutuo complexu jungerentur.* Ed.

3. *Spiritu acta.* Sequitur pervulgatam sententiam, referentium originem fontium ad ipsum mare, ex quo per ductus subterraneos in montes usque, et loca omnia, in quibus scaturigines conspicuæ sunt, aqua contendat. Hard. — Spiritum hic vocare videtur aspirationem quamdam terræ, qua in ejus viscera tractus humor, deinde subsidentis humi pondere in altum per canales quosdam aut siphones exsiliat. Sic terra quodammodo pulmonis officium ageret. Sed manifesto vans argutatur Plinius. Ne tamen irrideas. De scaturientium in altissimis montibus aquarum origine, nondum omnino dirempta lis est; quanquam nubibus præsertim imputanda videtur, quæ montium

siphonum[4] modo emicat: tantumque a periculo decidendi
2 abest, ut in summa quæque et altissima exsiliat. Qua ratione[5] manifestum est, quare tot flūminum quotidiano accessu maria non crescant.

(LXVI.) Est igitur in toto suo globo tellus medio[6] ambitu præcincta circumfluo mari. Nec argumentis hoc investigandum, sed jam experimentis cognitum.

1 LXVII. (LXVII.) A Gadibus, columnisque Herculis, Hispaniæ et Galliarum circuitu, totus hodie navigatur occidens. Septemtrionalis vero Oceanus, majore ex parte navigatus est, auspiciis Divi Augusti, Germaniam[1] classe circumvecta ad Cimbrorum promontorium[2]: et inde immenso mari prospecto[3], aut fama cognito, ad Scythicam plagam[4], et humore nimio rigentia[5]. Propter quod minime

cacuminibus attractæ, frigore densatæ, terra absorptæ, summas illas scaturigines alunt. Ed.

4. *Siphonum*. Siphon est canalis fistula, per quam emittitur liquor, ut in salientibus aquis cernimus. H.

5. *Qua ratione*. Nempe quod remotissimos etiam fontes alat Oceanus. Sed omittit Plinius vaporationis intermedia ope hoc fieri. Ed.

6. *Medio ambitu*. Toto orbis sui ambitu terra, inquit, mari præcingitur, ceu fascia quadam: reliqua eminet extra undas. Hard.

LXVII. 1. *Germaniam classe circumvecta*. De Drusi expeditionibus, et quam eo jubente tentavit Romana classis in Oceano septemtrionali, navigatione, confer Dionem, lib. LIV; Velleium, II, 105, 106; Tacitum, Germ. XXXIV; Suetonium, Claud, 1. De septemtrionalium regionum situ, qualis innotuerat Romanis, plura Plinius ipse IV, 27, sed confusa et ambigua, disserit. Ed.

2. *Ad Cimbrorum promontorium*. Nunc *la pointe de Skagen*, in gradu latitudinis 57° 32'. Nos vero ultra Novam Zemblam et *Spitzberg*, atque etiam ultra 83 gradum latitudinis navigavimus. Brot.

3. *Immenso mari prospecto*. Mare illud fuit septemtrionalis Oceanus; sed non glaciale mare, «pigrum illud ac prope immotum, quo cingi cludique terrarum orbem hinc fides,» ut Tacitus ait, Germ. XLV. Immo si Dioni fides, loc. cit. videtur Drusi classis non ultra flumen Albim processisse, et Cimbricum promontorium fama potius quam oculis cognovisse. Ed.

4. *Ad Scythicam plagam*. Chiffl. *Scythicam ad plagam*. Ed.

5. *Humore nimio rigentia*. Occidentales oras innui credo, ne Norvegiæ quidem, verum Cimbricæ Cherronesi. Hic enim velut discerptum littus Oceano in terras insinuante, ac mille sinus efficiente,

verisimile est illic maria deficere, ubi humoris[6] vis superet. Juxta[7] vero, ab ortu, ex Indico mari sub eodem sidere[8] pars tota vergens in Caspium mare[9], pernavigata est Macedonum armis, Seleuco[10] atque Antiocho regnantibus, qui et Seleucida[11] atque Antiochida ab ipsis appellari voluere. Circa Caspium quoque multa[12] Oceani[13] littora explorata, parvoque[14] brevius, quam totus, hinc aut illinc Septemtrio eremigatus. Ut tamen conjecturæ locum sic quoque[15] non relinquat, ingens argumentum paludis Mæoticæ[16], sive ea illius Oceani sinus est, ut multos ad-

ut non immerito dixerit Plinius, terram hic videri deficere superantibus aquis: et Scythica recte dici potuit, quum Germaniæ non adscriberetur hæc plaga, ut ne nunc quidem Alemanniæ pars est. *Rigentia* vero, ad frigidam cæli temperiem respicit humore nimio auctam: de mari conglaciato non agitur. Ed.

6. *Humoris vis.* Dalec. et Elz. *Vis humoris.* Ed.

7. *Juxta.* Item, pariter. Ed.

8. *Sub eodem sidere.* Semper ad orientem pergendo. *Sidus* pro cælo aut cæli parte usurpari solet. Ed.

9. *Caspium mare.* Quem sinum esse Septemtrionalis Oceani, sive Scythici, Veteres arbitrati sunt. Vide quæ dicturi sumus lib. VI, cap. 15. Hard.

10. *Seleuco atque Antiocho.* Vivus adhuc Seleucus, fortunatissimus ille Alexandri ducum, Asiam superiorem Antiocho filio regendam permiserat, anno ante Chr. 293, qui duodecim post annis universo patris regno successit. Plinius expeditionis tempus non satis accurate designat. Ed.

11. *Seleucida et Antiochida.* Σελευκὶς et Ἀντιοχὶς adjectiva sunt, quibus est subaudiendum θάλασσα, *mare*. Ed.

12. *Multa.* Vet. apud Dalec. *multo labore.* Ed.

13. *Oceani.* Id est, ipsius Caspii maris. Vide notam 9. Ed.

14. *Parvoque brevius.* Paulo minus quam totus, sive fere totus. *Parvo* pro *exiguo spatio* familiaris est scriptori huic locutio: «Tam parvo, inquit, lib. V, cap. 12, distat ibi rerum naturæ diversitas.» Hard.

15. *Sic quoque.* Etiamsi totus sit eremigatus. Ed.

16. *Paludis Mæoticæ.* Palus Meotica, *la mer d'Azow*, non est sinus septemtrionalis Oceani, a quo immensum abest; sed per Bosphorum Cimmerium Ponto Euxino, *la mer noire*, jungitur. Brot. — Adeone incuriosi rerum suarum erant Romani, ut Paludem Mæoticam imperii sui finibus pæne contiguam non explorassent! Et tamen de Tanaï vulgata erat apud poetas mentio; ejusque fluminis ostia commemorabit Plinius II, 112; VI, 7; Tanaïnque urbem nominabit, in eodem fluvio sitam, quo pacto, nisi commerciis et navigatione notam? Alias etiam de Mæotica palude, nec

verto credidisse, sive angusto[17] discreti situ restagnatio. Alio latere Gadium[18], ab eodem occidente[19], magna pars meridiani sinus ambitu Mauritaniæ[20] navigatur hodie.
3 Majorem quidem[21] ejus partem, et Orientis, victoriæ Magni Alexandri lustravere, usque in Arabicum sinum. In quo res gerente C. Cæsare[22] Augusti filio, signa navium ex Hispaniensibus naufragiis[23] feruntur agnita. Et Hanno[24], Carthaginis potentia florente, circumvectus

absurda aut vero absimilia loquetur. Ergo, quæ nunc delirat, ab aliquo rudis illius antiquitatis somniatore, non ab ævi sui geographis acceperat; indiligens plane veri et falsi compilator, et ubi dissentiunt auctores, nunquam aut raro sibi constans. Ed.

17. *Angusto discreti situ.* Ita MSS. omnes. Sive, inquit, palus hæc Mæotica septemtrionalis Oceani, modico terrarum tractu spatioque inde discreti, restagnatio ac veluti æstuarium sit. Hard. — Septemtrionalem Oceanum et mare Caspium, contigua, vel confusa esse credentibus, Mæotica palus videbatur aut sinus quidam illius ambigui maris, aut lacus ab eo discretus brevi terrarum intervallo, et fortasse illius undis alitus atque auctus. Ed.

18. *Alio latere Gadium.* Alio mundi latere circa Gades, hodie *Cadix*. Ed.

19. *Ab eodem Occidente.* Semper ad Occidentem pergendo: ut *supra sub eodem sidere*. Ed.

20. *Ambitu Mauritaniæ.* Circum occidentalia littora Tingitanæ, quæ hodie Maroccanum imperium. Ed.

21. *Majorem quidem.* Quæ sequuntur ad ea verba, *Idem Nepos*, etc., Martianus exscripsit e Plinio totidem verbis, lib. VI, cap. de rotunditate terræ. Hard. — Alexander Africæ littora occidentalia non tetigit. Sed Atlanticum Oceanum cum Indico mari, quod lustrarunt Alexandri naves, junctum ac contiguum esse mox docebit Plinius. Ed.

22. *C. Cæsare.* Agrippæ filio, quem Augustus adoptavit. Vide lib. VI, cap. 31. Hard.

23. *Ex Hispaniensibus naufragiis.* Ergo Hispani jam id temporis circum Africam ad Indos orientales navigabant, edocti scilicet a Carthaginiensibus, qui tamen explorasse hoc iter, non frequentasse videntur. Africæ periplus, Alexandria florente et per mare Rubrum Indiæ opes accipiente, diu desuetus, oblivione tandem et ignorantia oblitteratus est, donec anno 1486 Lusitani hominis audacia, Bartholomæi Diaz, superato Bonæ Spei promontorio, rursus illud arcanum gentibus aperuit. Ed.

24. *Hanno.* De Hannone et Himilcone vide Auctorum Indicem. Creduntur ambo fratres fuisse, patrem Hamilcarem et avum habuisse Magonem illum qui a Justino, libro XIX, cap. 1, imperium Pœnorum condidisse virtute sua dici-

a Gadibus ad finem Arabiæ navigationem eam prodidit scripto : sicut ad extera Europæ noscenda missus eodem tempore Himilco. Præterea [25] Nepos Cornelius auctor est, 4
Eudoxum [26] quemdam sua ætate [27], quum Lathurum [28] regem fugeret, Arabico sinu egressum, Gades usque pervectum: multoque ante eum Cælius Antipater [29], vidisse se, qui navigavisset ex Hispania in Æthiopiam commercii gratia. Idem Nepos de Septemtrionali [30] circuitu tradit, Quinto Metello Celeri [31], L. Afranii [32] in Consulatu collegæ, sed

tur. De illorum familia consulendus inprimis Justinus, cap. cit. et seq. Hannonis periplus vel saltem hujus fragmentum, etiam cum inscriptione Phœnissa, ex qua videtur græce translatum fuisse, ab Hudsono inter geographos minores editum est. Duorum fratrum expeditiones, sexto ante Christum natum sæculo adscribendæ sunt. Ed.

25. *Præterea.* Reliqnum fere caput habet etiam Mela, lib. III, capp. 5 et 9. Ea vero tametsi ridet Strabo, lib. II, pag. 98, tanquam a Posidonio conficta, vel temere credita, calculo tamen sno Herodotus comprobat, lib. IV, Melpom. docetque Phœnices, ab Erythræo mari solventes, Bonæ Spei promontorium prætervectos, ac demum per columnas Herculis in Ægyptum remeasse. Hard.

26. *Eudoxum.* Cyzicenus hic fuit, a Cnidio Mathematico, de quo dictum est in Auctorum Indice, plane diversus. Ptolemæi Evergetæ temporibus vixisse auctor est Strabo loco citato, ejus nimirum, cui Lathurus successit. Hard.

27. *Sua ætate.* Quippe, nisi fallit verisimilis supputatio, Cornelius Nepos, Ciceroni æqualis, nasci potuit circa annum U. C. dcxl, ante Christum 114. Ed.

28. *Lathurum regem.* Ptolemæus VIII, cognomento Lathyrus, sive Lathurus, sive Philometor, sive Soter, regnare cœpit in Ægypto, anno U. C. dcxxxvii, ante Christum 117. Regnavit annos 36. Ed.

29. *Cælius Antipater.* De quo plura in Auctorum Indice. Floruit circa annum U. C. dcxxiv, non multo igitur ante Lathurum regem. Ed.

30. *De septemtrionali circuitu.* Videtur hic fuisse titulus unius e Cornelii Nep. operibus nunc deperditis; qui tamen liber a nullo hactenus interprete memoratus est. An sectionem aliquam Nepotis Chronicorum hoc titulo inscriptam Plinius designare voluerit, prorsus ignoro. Ed.

31. *Q. Metello Celeri.* Fieri hoc debuit anno U. C. dcxci, quo Cicero consul fuit. Hoc enim anno, Galliam prætorius pro consule administravit. Cic. pro Muræna. Ipse postea consul fuit cum L. Afranio Cæcilio, anno U. C. dcxciv. Vide notam ad Cornelii Nepotis Fragmenta, edit. nostræ, pag. 297, et Broterii excursum ad Taciti vitam Agricolæ, ed. nostr. tom. V, p. 150. Ed.

32. *L. Afranii.* In libris hactenus

tum Galliæ Proconsuli, Indos a rege Suevorum[33] dono datos, qui ex India commercii causa navigantes, tempestatibus essent in Germaniam abrepti. Sic maria circumfusa undique dividuo globo[34] partem orbis auferunt nobis; nec inde huc, nec hinc illo pervio tractu. Quæ contemplatio apta detegendæ mortalium vanitati, poscere vide-

editis *C. Afranii.* Mannscripti codiees prænomen non habent. Nos ex Dione, lib. XXXVII, et ex Fastis *Lucium* appellamus. HARD.

33. *A rege Suevorum.* Ita eonstanter libri omnes MSS. Credidit Isaaeus Vossius, in Melam, pag. 249, neqne Suevis, neque Boiis (quæ postrema vox nonnullis plaeuit), loeum hie esse posse, quum sint mediterranei populi. At quum ipse substituit, *a rege Bætorum*, Bætosque Batavos interpretatur, valde vereor, ut vades conjecturæ suæ codices ullos probatæ fidei possit afferre, aut Bætorum nomen pro Batavis familiare Plinio fuerit. Propius a vero abest Suevorum regem fuisse, ut scriptores toto uno eonsensu affirmant, ad quem dedneti terrestri itinere Indi, qui ad oram Germaniæ tempestate fuissent abrepti, qnam contra exemplarium fidem quidquam movere. HARD. —Apnd Pomponium Melam, loco eitato, *Boiorum*, non *Suevorum*, rex dieitnr ab illis Iudis requirendo cognosse, « vi tempestatum ex Indieis æqnoribus abreptos, emensosque quæ intererant, tandem in Germaniæ littora exiisse. » Multa de hoe faeto disputant docti. Frustra putat Harduinus Suevos mediterraneam esse nationem, quum Suevia commune sit Germaniæ septemtrionalis nomen, sinusque Codanus, *la mer Baltique*, a Taeito *Suevicum mare* appelletur. Quo magis servanda fuit vulgata lectio. Contendit ad huue locum POINSINET DE SIVRY, Gallieus interpres, Suevorum hune regem, ipsnm esse Ariovistnm Cæsaris bello elarum, sed prius *amicum Populi Senatusque romani* nuncupatum Cæsare eonsule, an. DCXCV. De Indis vero in Sueviam mari translatis, nihil eredo. Amerieæ potius incolæ quidam, si quos tum habnit incolas, navigando nimium exspatiati, in occidentalem Europæ borealis plagam tempestatum vi ejecti fuerint. Sic ipsa Americæ littora, jam antiquissimis temporibus, Daniæ et Norvegiæ navigatores audacius in Oeeanum proveeti tetigerant. Quamvis enim eredibile sit, Iudos olim terrestri itinere per Asiam septemtrionalem peregrinatos esse catervatim commercii causa (enjus rei testis esse posset Indica colonia eirea mare Caspium, in urbe *Astracan*, nostris quoque temporibus superstes, nisi, quod verius opinor, a Tataris victoribus et tota Asia dominantibns, deeimo tertio sæcnlo illue translata est), tamen eos in Codanum usque sinum trans omnes Sarmatiæ solitndines pervenisse hand ita faeile persnadeor: præterquam quod hæc conjectura virornm eæteroqni doctissimorum, cum Pomponii Pliniique verbis minime constare potest. ED.

34. *Dividuo globo.* Eoas partes a vespertinis dividente Oceano. ED.

tur, ut totum hoc, quidquid est, in quo singulis[35] nihil satis est, ceu subjectum oculis, quantum sit ostendam.

LXVIII. (LXVIII.) Jam primum in dimidio[1] computari 1
videtur, tanquam[2] nulla portio ipsi decidatur Oceano : qui toto circumdatus medio, et omnes cæteras fundens recipiensque aquas, et quidquid exit in nubes, ac sidera ipsa tot et tantæ magnitudinis pascens[3], quo tandem amplitudinis spatio credetur[4] habitare? Improba[5] et infinita debet esse tam vastæ molis possessio[6]. Adde quod ex relicto plus abstulit cælum[7]. Nam quum sint[8] ejus quinque partes, quas vocant Zonas, infesto rigore et æterno gelu premitur omne, quidquid est subjectum duabus extremis, utrinque circa vertices, hunc qui Septemtrio vocatur, eumque qui, adversus illi, Austrinus appellatur. Perpetua caligo 2
utrobique, et alieno molliorum[9] siderum aspectu, ma-

35. *In quo singulis nihil satis est.* Propter insatiatam hominum cupiditatem. ED.

LXVIII. 1. *In dimidio computari, etc.* Pro dimidia, inquit, orbis parte haberi terra solet. ED.

2. *Tanquam.* Tanquam non, sic computando, multum detrahamus ex Oceani magnitudine, qui certe multo plus, quam terra, obtinet spatii. Sensus clarissimus. Cæterum ante Dalecampium, quem per omnia secutus est Harduinus, multum variaverat hujus loci lectio. Veter. apud Dalec. *Inde mihi disputandum videtur, quænam portio ipsi decedat Oceano.* Alii, probante Pintiano, nec multum abscedente Chiffletii codice: *Inde mihi disputandum videtur, quænam portio illius ipsi decedat Oceano.* Codex Salmant. et vetus editio Romana : *Inde mihi disputari videtur, quum nulla portio*, etc. Rectius multo Dalecampius. ED.

3. *Sidera ipsa..... pascens.* Vide supra, cap. 9. ED.

4. *Spatio... habitare.* Spatium tenere, occupare. ED.

5. *Improba.* Mens eam non admittens, nec sine audacia quadam aggredienda. Supra cap. 24 : « Ausus rem etiam Deo improbam. » ED.

6. *Possessio.* Spatii comprehensio, ipsum spatium. ED.

7. *Ex relicto plus abstulit cælum.* Partis illius, quæ resecto Oceano superest, plus quam dimidium nobis adimit cæli intemperies. ED.

8. *Nam quum sint.* Quæ sequuntur usque ad caput seq. ea fere totidem verbis Martianus exscripsit, lib. VI, p. 196. Attigerat ea multo antea Virgilius, his vulgatis versibus Georg. I, 233 : « Quinque tenent cælum Zonæ, etc. » HARD.

9. *Molliorum siderum.* Siderum qui calore et luce cælum emolliunt; Sol præcipue videtur intelligi. ED.

ligna, ac pruina tantum albicans[10] lux. Media vero terrarum, qua Solis orbita est, exusta flammis et cremata, cominus vapore torretur. Circa duæ tantum, inter exustam et rigentes, temperantur : cæque ipsæ inter se non perviæ, propter incendium[11] siderum. Ita terræ[12] tres partes abstulit cælum : Oceani rapina in incerto est.

3 Sed et relicta nobis una portio, haud scio an etiam in majore damno sit. Idem[1] siquidem Oceanus, infusus in multos (ut dicemus[2]) sinus, adeo vicino accessu interna maria allatrat[3], ut cxv[4] millibus passuum Arabicus sinus

10. *Albicans lux. Media vero.* In Chiffl. et aliis codd. præpostera interpretatione legitur : *albicans. Lux vero media, etc.* Mendum corrigit Martianus hæc exscribens ac leviter immutans l. VI, c. de Zonis terræ : « Nam duæ, inquit, quæ axi utrique confines, algore immenso et frigoribus occupatæ, desertionis causas pruinis ninguentibus præbuere. Media vero flammis atque ardoribus, etc. » Hard.

11. *Incendium siderum.* Ita Reg. 1, 2. Chiffl. etc. non *sideris*. Hard. — Mirum fortasse alicni videatur imperviam dici zonam torridam ab eodem Plinio qui panlo ante de periplo Africæ locutus sit : verum antiquis in mentem cecidisse videtur, Africæ littora, pancis supra Tropicnm gradibus, citra æquinoctialem circulum curvari, et ad rubrnm usqne mare porrigi. Asiæ autem ab illis cognitæ nulla fere pars australior est Cancri tropico. Terram igitur, saltem illam quam incolimus, sub zona torrida deficere ; alteramque temperatam zonam conjectura quidem excogitari, sed nullo modo adiri posse credebant. Ed.

12. *Terræ tres partes.* Torridam mediam, extremasqne duas gelu et frigore infestas. Hard.

1. *Idem siquidem.* Fortasse *idem* delendum est. Ed.

2. *Ut dicemus.* In geographicis libris, qui hunc proxime consequuntur. Ita MSS. omnes. Hard.—Vet. apud Dalecamp. *ut diximus;* supra scilicet, cap. 69. Ed.

3. *Allatrat.* Cum sonitu undarum ac fluctuum accedit. Ita l. IV, c. 9 : « Tot sinus Peloponnesi oram lancinant, tot maria allatrant. » Sic Silius Italicus non semel, *latrantibus undis ;* et Claudianus, de raptu Proserpina, I, 148 : « Hinc latrat vicina Thetis. » Ed.

4. *Ut centum quindecim.* Hoc iterum repetit lib. V, cap. 12, cum hac eleganti exclamatione : « Tam parvo distat ibi tanta rerum naturæ diversitas! » Neque existimandum est a seipso Plinium dissentire, quum illic ait a Pelusio ad Arsinoen Rubri maris oppidum, cxxv passuum millia ab Agrippa tradi : nunc vero cxv. Propiorem enim Arabici sinus oram spectare videtur hoc loco, quam sit illud Arsinoes oppidum. Hard.—Illa cxv millia passuum romanorum circiter 38 leucas nobis

distet ab Ægyptio mari : Caspius vero CCCLXXV[5] millibus a Pontico. Idem interfusus intrat per tot maria, quibus Africam, Europam, Asiamque dum dispescit[6], quantum terrarum occupat? Computetur etiam nunc mensura tot fluminum, tantarum paludum : addantur et lacus, et stagna. Jam elata in cælum, et ardua aspectu quoque[7] juga: 4
jam silvæ, vallesque præruptæ, et solitudines, et mille causis[8] deserta detrahantur. Hæ tot[9] portiones terræ, immo vero, ut plures tradidere, mundi punctus[10] (neque enim est aliud terra in universo), hæc est materia gloriæ nostræ, hæc sedes : hic honores gerimus, hic exercemus imperia, hic opes cupimus, hic tumultuamur[11] humanum genus, hic instauramus bella etiam civilia, mutuisque cædibus laxiorem facimus terram. Et ut publicos gentium 5
furores transeam, hæc in qua conterminos pellimus, furtoque vicini cespitem[12] nostro solo adfodimus[13]; ut, qui latissime rura metatus fuerit, ultraque[14] fines exegerit

efficiunt; hodie tamen hoc intervallum, *l'isthme de Suez*, viginti tantum leucis æstimatur. Vetus apud Dalec. post *passuum* addebat adverbium *tantum*. Ed.

5. *CCCLXXV*. Hunc quoque numerum passuum ex quorumdam sententia recitat, lib. VI, cap. 11. Hard. — Distarent ergo hæc maria leucis ferme 124, quales hexapedis nostratibus 2282 conficere solent geographi. Recentiores haud multum ab hac æstimatione abludunt. Ed.

6. *Dum dispescit*. Harduinus voculam *dum* omisit. Manuscriptus apud Dalec. *dum dispertit*. Ipse Dalecampius: *Europam Asiamque dispescit. Quantum terrarum occupet, computetur*, etc. Ed.

7. *Aspectuquoque*. Supple: quanto magis ascensu! Ed.

8. *Et mille causis deserta*. In Elz. deest copula *et*. Volebat Menagius *desertæ*, ut ad *solitudines* referri posset, omissa etiam copula. Ed.

9. *Tot*. Ironice dictum. Quam paucæ enim supersunt! Ed.

10. *Mundi punctus*. Acutum illud est Senecæ dictum, Natur. quæst. lib. I, in proœm. pag. 831 : « Hoc est illud punctum, quod inter tot gentes ferro et igni dividitur. O quam ridiculi sunt mortalium termini! etc. » Hard.

11. *Tumultuamur*. Ita Chiffl. codex, et Harduinus. Male Dalec. et Vet. *tumultuatur*. Ed.

12. *Cespitem*. Agelli angulum. Ed.

13. *Adfodimus*. Hoc est, addimus, adjungimus, annectimus, ut una fossione aretur. Hard.

14. *Ultraque fines*. Multi codd.

accolas, quota terrarum parte gaudeat? vel quum ad mensuram avaritiæ suæ propagaverit[15], quam tandem portionem ejus[16] defunctus obtineat!

1 LXIX. (LXIX.) Mediam esse[1] mundi totius haud dubiis constat argumentis : sed clarissime æquinoctii paribus horis. Nam nisi in medio esset, æquales dies noctesque haberi non posse deprehendunt[2] et dioptræ[3], quæ vel maxime id confirmant : quum æquinoctiali tempore ex eadem linea ortus occasusque cernatur, solstitialis[4] exortus per suam lineam, brumalisque occasus. Quæ accidere nullo modo possent, nisi in centro sita esset.

1 LXX. (LXX.) Tres autem[1] circuli supra dictis zonis implexi, inæqualitates temporum distinguunt : solstitialis a parte Signiferi excelsissima nobis, ad septemtrionalem

ultraque famam; nullo sensu. Ed.

15. *Propagaverit.* Suppl. fundum aut agrum suum. Ed.

16. *Portionem ejus.* Ejus videlicet fundi. Ed.

LXIX. 1. *Mediam esse.* Chiffl. et Vet. apud Dalec. *mediam esse terram.* Sed *terram* facile subaudiri potest. E.

2. *Deprehendunt.* Dalec. et Elzev. *deprehenderunt.* Ed.

3. *Et dioptræ.* Martianus. l. VI, cap. de Positione terræ, pag. 195, hoc caput exscribens : « Media igitur credenda est, inquit, quod præsertim æquinoctialis temporis interstitia manifestant : nam pares horarum metas, tam antemeridianum, quam etiam postremarum, et tam diei quam noctis, horologia manifestant. Quo documento clarum est, tantumdem undique secus ab terris abesse cælum : quod idem duobus circulis edocetur, solstitiali, et brumali. Nam utique quantum interstitii dies habet, quum cæli culmine Sol elatus illustrat, tantum spatii longior nox, quum Sol in brumam decidens repræsentat, etc. » Hæc paulo explanata uberius a Martiano, lucem miram afferunt Plinianæ brevitati. Hard. — *Dioptra*, græce διόπτρα, instrumentum est geometricum, *un quart de cercle*, quo apparentes rerum inter se distantiæ anguli apertura dijudicantur. Per hoc dimetiri possunt astronomi, qua horizontis portione differat exortus æquinoctialis a solstitiali brumalique. Porro quum ab utroque æquali distet intervallo, gradibus scilicet 23 cum dimidio, sequitur, inquit Plinius, terram esse mediam cæli : melius dixisset, mediam inter tropicos jacere. Martiani exemplum ab Harduino prolatum, huic interpretationi non repugnat. Ed.

4. *Solstitialis.* Dalec. et Elzev. *et solstitialis.* Ed.

LXX. 1. *Tres autem.* Tropici duo, cum æquinoctiali circulo. Hard.

plagam versus [2]; contraque ad alium polum, brumalis: item medio ambitu Signiferi orbis incedens, æquinoctialis.

LXXI. Reliquorum, quæ miramur, causa in ipsius terræ figura est: quam globo similem, et cum ea [1] aquas, iisdem intelligitur argumentis. Sic enim fit haud dubie, ut nobis septemtrionalis plagæ sidera nunquam occidant: contra, meridianæ nunquam oriantur: rursusque [2] hæc illis non cernantur, attollente se [3] contra medios visus terrarum globo. Septemtriones [4] non cernit Troglodytice, 2 et confinis Ægyptus: nec Canopum [5] Italia, et quem vocant Berenices [6] crinem; item, quem sub Divo Augusto cognominavere Cæsaris thronon [7]: insignes ibi stellas [8]. Adeoque

2. *Versus.* Hæc vox in Elz. deest, nescio cur omissa. Ed.

LXXI. 1. *Aquas.* Vet. apud Dalec. *aquam.* Ed.

2. *Hæc.* Nostri poli sidera. Ed.

3. *Attollente se.* Globo terræ obstante, ut dixit, cap. 10. Vide quæ dicemus cap. sequente. Hard.

4. *Septemtriones etc.* Quæ deinceps tractantur, ad ea verba, *navigantium hæc maxime*, etc. verbum verbo transcripsisse credas Martianum Capellam, lib. VI, cap. 193. Hard.— Troglodytice, de qua hic et alias apud Plinium mentio, sinus Arabici littus occupat occidentale ultra tropicum: hodie Nubiæ et Abyssiniæ adscribitur. Septemtriones hic sunt Major Ursa, quæ tota sub horizontem descendere Troglodytis videtur. Ed.

5. *Nec Canopum.* Canopus stella est in Argo navi, in temone austrino, primæ magnitudinis. De hac Manilius Plinio consentiens, l. I, vs. 215.

Idcirco terris non omnibus omnia signa
Conspicimus: nusquam invenies fulgere Canopum,
Donec Niliacas per pontum veneris oras.
Sed quærent Helicen, etc. Hard.

6. *Berenices.* Fuit Berenice Ptolemæi Soteris sive Lagidæ conjux, (immo vero Ptolemæi Evergetæ soror et conjux. Ed.) Ejus crinem, ut Plinius, inter sidera mathematici retulerunt: Conon in primis, si fides est scholiastæ Arati, a quo distichon illud Callimacho tribuitur: Ἠδὲ Κόνων μ' ἔβλεψεν ἐν ἠέρι, τὸν Βερενίκης Βόστρυχον, ὃν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς. Vide Catulli carmen LXVI. Sed longe est hæc stella quam Plinius hoc loco commemorat, quæcumque demum ea sit, diversa ab ea quæ vulgo coma Berenices vocatur, et a Callimacho Catulloque describitur, et situ, et forma, et nomine: nam et australior est, et unica, et Crinis nominatur, non Coma. Hard.

7. *Cæsaris thronon.* Non est hæc in albo censuque stellarum, quas astronomi recentiores numerant. Nempe multo plures in cælo stellarum μορφώσεις Plinius agnovit, quam nostri hodie in numerato habent, ut alias diximus. Hard.

8. *Insignes ibi stellas,* Canopum scilicet, crinem Berenices, et Thro-

manifesto assurgens fastigium curvatur, ut[9] Canopus quartam fere partem signi unius supra terram eminere Alexandriæ intuentibus videatur; eadem a Rhodo[10] terram quodammodo ipsam stringere; in Ponto omnino non cernatur, ubi maxime sublimis Septemtrio. Idem[11] a Rhodo absconditur, magisque Alexandriæ. In Arabia novembri mense prima vigilia[12] occultus, secunda se ostendit: in Meroe solstitio vesperi paulisper apparet, paucisque ante exortum Arcturi[13] diebus pariter cum die cernitur. Navigantium hæc maxime cursus deprehendunt, in alia adverso[14], in alia prono[15] mari: subitoque conspicuis, atque ut e freto emergentibus, quæ in anfractu[16] pilæ latuere,
4 sideribus. Neque enim (ut dixere aliqui[17]) mundus hoc

num Cæsaris. *Ibi insignes*, id est, in Ægypto conspicuas. Ed.

9. *Ut Canopus.* Hæc quoque de Canopi visu Rhodi et Alexandriæ, Geminus in Elem. Astron. cap. II, pag. 13. At Petavius in notis ad Geminum, pag. 407, non fere quarta parte signi unius, sed quadrante toto, hoc est, gradibus septem cum semisse, elevatum esse supra horizontem Alexandriæ probat, tum ex Hipparcho, tum ex tabularum epilogismo. Hard. — Immo ob refractionum vim, Gadibus conspicitur; teste *Suarez de Salazar*, Antiquitat. Gadit. I, 6. Brot.

10. *Eadem a Rhodo.* Ita Eustathius in Dionys. v. 13. Hard.

11. *Idem a Rhodo absconditur.* Septemtrio, sive Major Ursa jam ab insula Rhodo, latitudinis triginta sex gradus numerante, abscondi, id est, occasum nosse incipit, aliqua saltem sui parte, nempe inferioribus stellis et in extrema cauda sitis, contra vulgatissimum illud dictum, quod apud nos et in Italia ac Græcia verum est, populis autem australioribus falsum: « Arctos Oceani metuentes æquore tingi. » Depressior etiam Arctos Alexandriæ, quæ latitudinis habet tantum 31 gradus. Ed.

12. *Prima vigilia.* Nox in quatuor partes æquales, seu vigilias castrorum dividebatur, quarum singulis ternæ fere horæ cedebant: et prima vigilia ab occasu Solis cœpta, desinebat post tres horas; inde secunda incipiebat, usque ad mediam noctem, etc. Hard.

13. *Exortum Arcturi.* IX Calend. Mart. Vide lib. XVIII, cap. 65. H.

14. *Adverso.* Ascendenti, ad polum scilicet. Ed.

15. *Prono.* Ad austrum devexo. E.

16. *In anfractu pilæ.* Anfractum pilæ vocat tumorem globi terraquei. Sidera, inquit, quæ propter tumorem terræ conspici non poterant, subito comparent, velut ex freto emergentia, illo anfractu pilæ seu tumore superato. Hard.

17. *Ut dixere aliqui.* Vide aucto-

polo[18] excelsiore se attollit; aut undique[19] cernerentur hæc sidera[20]: verum hæc eadem quibusque proximis sublimiora creduntur, eademque demersa longinquis: utque nunc sublimis in dejectu[21] positis videtur hic vertex, sic[22] illam terræ devexitatem transgressis, illa[23] se attollunt, residentibus quæ hic excelsa fuerant: quod nisi in figura pilæ, accidere non posset.

LXXII. Ideoque[1] defectus Solis ac Lunæ[2] vespertinos 1
orientis incolæ non sentiunt: nec matutinos[3] ad occasum habitantes: meridianos[4] vero sæpius[5]. Nobili apud[6] Arbela

rem libri de Hist. Philosoph. apud Galen. tom. II, cap. 11. Hard.

18. *Hoc polo.* Septemtrionali. Fuit illa mens ignaræ vetustatis, ac poetarum maxime, quibus ascendere dicuntur ea sidera quæ supra horizontem sese ostendunt. Ad eam se mentem Virgilius accommodat, lib. I, Georg. v. 240:

Mundus ut ad Scythiam Riphæasque arduus arces,
Consurgit, premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper sublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.

Vide etiam Manilium, lib. I, initio: «Pars ejus ad Arctos Eminet, etc. H.

19. *Aut undique.* *Aut* idem valet quod *alioqui.* Sic lib. XIX, cap. 30: «Effodiuntur bulbi ante ver, aut deteriores illico fiunt.» Hard.

20. *Hæc sidera.* Nostro quæ sunt polo proxima. Ed.

21. *In dejectu positis.* Nobis qui isti polo subjacemus, et ejus respectu quasi in devexo sumus. Geometricam in verbis diligentiam apud Plinium ne quæras. Ed.

22. *Sic illam.* Elzev. *in illam*; non male, sed sine auctoritate. Ed.

23. *Illa.* Australiora sidera. Ed.

LXXII. 1. *Ideoque.* Martian. l. VI, p. 193. Hard. — Vet. apud Dalec. *ideo*, omisso *que*. Ed.

2. *Vespertinos.* Melius dixisset *occidentales*, i. e. qui nobis ad occidentem videntur: nam Lunæ defectus vespertini ad orientem fiunt. Ed.

3. *Matutinos.* Qui nobis in orientali parte cæli cernuntur. Ed.

4. *Meridianos.* Qui nobis medio cælo apparent; sic enim Eois populis ad occasum videntur, occidentalibus vero ad ortum. Ed.

5. *Sæpius.* Juvat hoc loco incredibilem Martiani hallucinationem observare, qui quum hunc Plinii locum *meridianos sæpius: nobili apud Arabiam*, etc. cursim raptimque transcriberet, legit: *Meridianos Servius Nobilis apud*, etc. ac deinde quæ de hac defectione narrantur a Plinio, ea Servio Nobili, auctori plane commentitio, vindicat. Hard.

6. *Nobili apud Arbela.* Operæ pretium fuerit annotare in codd. Reg. 1, 2, etc. atque in vett. editis legi *apud Arabiam*: in Martiani libris item, *in Arabia*. In Arbelitide tamen Alexandri magni victoriam contigisse, præter innumeros alios scriptores ipse Plinius testatur, lib. VI, cap. 16. Quamobrem neglectis co-

Magni Alexandri victoria, Luna defecisse[7] noctis secunda hora prodita est, eademque in Sicilia exoriens. Solis defectum[8], Vipstano[9] et Fonteio Coss. qui fuere ante paucos annos, factum pridie Calendas[10] Maias, Campania hora diei inter septimam et octavam sensit: Corbulo[11] dux in Armenia inter horam diei decimam et undecimam prodidit visum, circuitu globi alia[12] et aliis detegente et occul-
2 tante. Quod si plana esset terra, simul omnia apparerent cunctis, noctesque non fierent inæquales: nam æque[13] aliis,

dicibus MSS. prioribusque editionibus scripsere hoc loco posteriores, *apud Arbela*. At nobis religio est quidquam mutare: quum verisimile sit Arbela Arabiæ attributa fuisse, velle Plinium indicare: ut conjicere est ex his quæ de amplitudine Arabiæ scribit, libro VI, cap. 32. HARD. — Profecto similitudine nominum gravis error Plinio ingestus est, nec dubitavimus Harduinum hic deserere, ac veterum editionum lectionem, *apud Arbela*, etiam invitis codicibus, restituere. ED.

7. *Luna defecisse*. Hanc Lunæ defectionem retulit Petavius, lib. X, de Doctr. Temp. cap. 35, ad annum secundum Olymp. CXII, quo Archontem Athenis fuisse Aristophanem scribit Diodorus Siculus: nocte XX diem Septembris insequente. Consentiunt Scaliger, et Ricciolus: iste tom. I, Almag. pag. 365; ille lib. V, Emend. Temp. p. 420, ubi Ciceronem, Plutarchum, et Arrianum erroris arguit, in assignando defectionis hujusce die. H. — Anno igitur U. C. CDXXIII, ante Christum 331: nec scio, cur deinde Harduinus, sub ejusdem annotationis finem, septem annis posteriorem fuisse hunc Lunæ defectum contenderit. ED.

8. *Solis defectum*. Tacitus, l. XIV Annalium hanc defectionem Solis annumerat inter prodigia ob necatam a Nerone matrem Agrippinam. HARD.

9. *Vipstano et Fonteio Coss.* C. Vipstanus Apronianus, C. Fonteius Capito, consules Nerone imperante fuerunt, anno U. C. DCCCXII, post Christum anno 59. Harduinus et plerique auctores, *Vipsanio*; male. Vipstani e paucissimis Romæ familiis fuerunt, quæ nominibus in *us*, non in *ius* terminatis gauderent. Primus hoc animadvertit Ursinus, et post illum Norisius, Muratorius, etc. observante Rezzonico. ED.

10. *Pridie Calendas*. Ita Reg. 1. codex, totidem litteris. Reg. alter, *II. Calend.* Martianus, qui Plinii epitomen fecit, *XI. Calendas*: mutata arithmetica numeri nota Arabica in Romanam. Sed hunc errare admonet Ricciolus, Almag. tom. I, pag. 367. HARD.

11. *Corbulo*. A Nerone in Armeniam summo cum imperio missus. Vide Dionem, lib. LXII, pag. 710, et Tacitum, lib. XIV, Annal. capp. 6, 34, et seqq. HARD.

12. *Alia et aliis*. Elzev. *alia aliis*, omisso τῷ *et*. ED.

13. *Nam æque aliis*. Reg. 2, co-

quam in medio sitis, paria duodecim horarum intervalla cernerentur, quæ nunc non in omni parte simili modo congruunt.

LXXIII. (LXXI.) Ideo nec nox diesque quævis eadem toto orbe simul est, opposítu[1] globi noctem, aut[2] ambitu diem afferente. Multis hoc cognitum experimentis. In Africa Hispaniaque, Turrium[3] Hannibalis; in Asia vero propter piraticos terrores, simili specularum præsidio excitato : in queis[4] prænunciativos[5] ignes sexta hora diei

dex, *nam aliis :* cæteri *neque*, per notarum compendia, pro *nam æque*, ita loci postulante sententia. MSS deinde omnes, editique, *nunc non in omni parte* exhibent, ante Frobenium, qui prior *non* expunxit. H. — Recte correxit Harduinus vitiosam Dalecampii cæterorumque scripturam, quæ talis erat : *Neque alias quam in medio sitis, paria duodecim horarum intervalla cernerentur, quæ nunc in omni parte*, etc. Nullo aut absurdo sensu. Ed.

LXXIII. 1. *Opposítu globi.* Quum globi terraquei crassitudo interposita solis arcet radios Ed.

2. *Ambitu.* Quum nostra hujus globi pars a Sole ambitur. Ed.

3. *Turrium Hannibalis.* Quarum illa, quæ in Africa fuit, inter Achollam et Thapsum a Livio, XXXIII, 48, ponitur. Justinus autem, XXXI, 2, 3, *rus urbanum quod propter littus maris habuerit*, appellat. Miller.

4. *In queis.* Ignes, qui piratas adesse nunciabant, meridie in illis locis accensos, sæpe compertum est, tertia noctis hora visos esse ab ultimis navibus, quæ ad persequendos piratas ex Africa Hispaniaque profectæ meridie, quum ibi ignes illi accenderentur, et versus ortum pergentes, post tergum respiciebant, postquam illis novem horis leucas totidem mari confecissent : atque idem compertum est de his, qui ex Asia solventes versus occasum, post respicerent ignes ibi accensos meridie, quum inde discederent. Hard. — Frustra desudavit Harduinus ut sanum aliquem sensum ex illis Plinii deliramentis excuteret. Sensus apertus est : dispositos quippe longa serie per totum littus ignes prænunciativos, qui signa invicem transmitterent; atque ita signum meridie datum, tertia noctis hora accendi visum iis qui ad ortum ultimi essent. Quod sane fieri potuit, ob necessarias singulis intervallis moras, dum intelligantur signa, dum accenduntur ignes, etc. Sed ad cursum Solis hoc referre, dementiæ est. Nam ut tanta horarum differentia intersit, si moram omnem in speculandis ac transmittendis signis sustuleris, necesse erit observatores illos ultimos 135 gradibus, id est, sesquidimidio hemisphærio, a primis distare turribus. Recte igitur incredibilem Plinii credulitatem ludibrio vertit Baylius in Dictionario suo. Ed.

5. *Prænunciativos.* Ita recte vide-

accensos, sæpe compertum est, tertia noctis a tergo ultimis visos. Ejusdem Alexandri[6] cursor Philonides[7], ex Sicyone Elin[8] mille et ducenta[9] stadia novem diei confecit horis : indeque, quamvis declivi itinere, tertia[10] noctis hora remensus[11] est sæpius. Causa, quod eunti cum Sole iter erat : eumdem[12] remeans obvium contrario prætervertebat[13] occursu. Qua de causa ad occasum navi-

tur Frobenius emendasse; quamvis libri veteres, et vetustæ editiones habent, *prænunciatos*. H. — Vet. apud Dalec. *præmuncios*. Ed.

6. *Ejusdem Alexandri*. Cujus victoriam ad Arbela supra memoravit Plinius, cap. 72. Sed quum jamdiu istam Alexandri mentionem oblivisci potuissent lectores, epitheton *ejusdem*, ut supervacaneum, deleri jubebat Menagius. Ed.

7. *Philonides*. De quo rursum dicetur lib. VII, cap. 20. « Ἡμεροδρόμους vocant Græci, inquit Livius, lib. XXXI, cap. 24, ingens diurno cursu emetientes spatium. » Hard.

8. *Ex Sicyone Elin*. Sicyon, nunc *Vasilico;* Elis, nunc *Gastouni*, in Peloponneso : egregius autem fuit ille cursor, qui quinquaginta nostras leucas horis novem conficeret. Brot. — Vide not. seq. Ed.

9. *Mille et ducenta stadia*. Passuum sunt centum quinquaginta millia, leucæ horariæ quinque et viginti. Hard — Immo leucæ 50 geographicæ : sed aliquanto nimiam esse hanc distantiam cum ipsa utriusque loci positione comparatam, facile animadvertet, qui vel obiter mappam geographicam inspexerit. Vix enim triginta leucæ recto itinere intersunt; quibus addenda esse fateor viarum diverticula : sed admirationi rursus id detrahendum, quod æstivis diebus, novem horæ antiquæ horas nostras æquinoctiales fere duodecim efficiunt. Ed.

10. *Tertia noctis*. Etiam quum toto die ex Eli Sicyonem cucurrisset, conficere tamen iter non potuit ante tertiam noctis horam, quod antea ex Sicyone Elim excurrens novem diei horis erat emensus. Hard. — Quindecim ergo antiquis horis remensus est, quæ circa solstitium numeratæ, quum dies longissimi sunt, horas nostrates prope septemdecim adæquant. Ed.

11. *Remensus est sæpius*. Vet. apud Dalec. *reversus est*, omisso *sæpius*. Ed.

12. *Eumdem*. Solem scilicet. Vet. apud Dalec. *eumdemque*. Ed.

13. *Prætervertebat*. Offendebat. Contrario nimirum motu, quam quo Sol ferebatur, hoc est, aversa ab occiduo Sole fronte, ad ortivum progrediebatur : celerius autem videntur ii progredi, qui secundum Solem iter faciunt, quam qui eodem adverso. Illis enim versus occasum procurrentibus, tardius Sol occidit : habentque illi idcirco diem longiorem. Isti, dum contra ortum feruntur, relinquuntur a Sole, qui citius iisdem occultatur : sic diem ii versa vice habent breviorem H. — Optime : sed in tam parva locorum distantia, Elidis et Sicyonis horologia vix quinque unius horæ

gantes, quamvis brevissimo die, vincunt[14] spatia nocturnæ navigationis, ut Solem ipsum comitantes.

LXXIV. (LXXII.) Vasaque horoscopa[1] non ubique eadem[2] sunt usui; in trecentis[3] stadiis, aut, ut longissime, in quingentis, mutantibus semet umbris Solis. Itaque umbilici (quem gnomonem appellant) umbra, in Ægypto meridiano tempore, æquinoctii die, paulo plus quam dimidiam gnomonis mensuram efficit. In urbe Roma nona pars[4] gnomonis deest umbræ. In oppido Ancone[5] superest

sexagesimis differre poterant; quare eunti ac redeunti ne discrimen quidem quadrantis boræ intererat. Ineptos igitur auctores sequitur hoc quoque loco Plinius. Ed.

14. *Vincunt spatia nocturnæ navigationis.* Ob majorem scilicet prudentiam sive timorem nocte gubernantium. Nam causa nimis hercule absurda est, quam huc affert Plinius, nempe diurnam illis navigationem nocturna celeriorem esse, quod Solem præsentem comitentur. Ed.

LXXIV. 1. *Vasaque horoscopa.* Hæc Martianus totidem verbis, lib. VI, pag. 194. Alia demonstratio est rotunditatis terræ, a diversitate umbræ gnomonis repetita. Vasa horoscopa appellat horologia in plano descripta, horizonti ad libellam respondentia. Vasa dicuntur, quod area in qua lineæ ducebantur, labri interdum instar et conchæ erat, cujus in margine describebantur horæ. Horoscopa, ab ὥρα et σκοπέω, hoc est, ab inspiciendis horis. Quia in his vasis, inquit, umbra gnomonis mutatur, usum illorum quoque mutari necesse est, ubi sunt in alium locum translata, ubi non est eadem elevatio poli. Hæc autem poli diversa elevatio oritur ex tumore terræ. H. — *Horoscopica*, uterque codex, Tolet. et Salmant. Græci *horoscopia* appellant. Pintian. — Broterio quoque *horospica* placebat. Ed.

2. *Eadem.* Longol. *eidem.* Dalec.

3. *Trecentis.* Chiffl. *tricenis.* Dalec. — Trecenta stadia leucas nostrates efficiunt paulo minus tredecim; quingenta stadia unam et viginti leucas. Non instandum est nimium istis Plinii verbis. Sensus est umbram gnomonis, quo magis ab æquatore discedas, longiorem fieri, et hoc discrimen etiam parvis intervallis, ut 13 vel 21 leucarum, facile sentiri. Ed.

4. *Nona pars.* Ita Vitruvius, lib. IX, cap. 8. « Sol, inquit, æquinoctiali tempore, Ariete Libraque versando, quas ex gnomone partes habet novem, eas umbræ facit octo, in declinatione cæli, quæ est Romæ. » Hoc est, si gnomonis longitudo dividatur in novem partes, meridiano tempore, (nam de sola umbra meridiana agitur, sive quam rectam vocant), umbra gnomonis habebit tantum octo partes Romæ: sive erunt gnomonis partes novem; umbræ, octonæ. Hard. — Urbis Romæ latitudo est, 41° 53'. Ed.

5. *Ancone.* Codices fere omnes,

quinta tricesima[6]. In parte Italiæ, quæ Venetia[7] appellatur, eisdem horis umbra gnomoni par fit.

1 LXXV. (LXXIII.) Simili modo tradunt in Syene[1] oppido, quod est supra Alexandriam quinque millibus[2] stadiorum[3], solstitii die[4] medio nullam umbram jaci; puteum-

Ancona. Sita est in maris Hadriatici littore Italico, habetque latitndinis 43 gradus, et circiter dimidium: paulo igitur altior quam Roma, id est, septemtrioni propior. Ed.

6. *Superest quinta tricesima*. Manuscripti hic variant. Nos ex certissima conjectura edi curavimus: *Ancone superest quinta. Decima in parte Italiæ, quæ*, etc. In decima Italiæ regione Venetiam statuit in geographicis, libro sequente. Neque simile veri est, in tot particulas, hoc est, in quintas tricesimas ab homine πλατικωτέρως ubique agente, gnomonem umbramve divisi. Hard. — Sed Plinius, quæ apud auctores invenit, temere colligere solet; et potuit hæc observatio ab aliquo minus πλατικῶς agente litteris consignari. Itaque nihil audendum rati sumus; et veterem edidimus lectionem, quam firmat ipse Plinius, lib. VI, cap. ultimo, ubi ait de regionibus in hac latitudine sitis: « Umbilico triginta quinque pedum, umbræ triginta sex. » Additque, sicut hoc etiam loco: « ut tamen in parte Venetiæ exæquetur umbra gnomoni »; sed falso, si verum est quod modo de Ancone prædicavit. Neque enim Ancone, quam in Venetia, longior esse potest umbra gnomonis, siquidem latitudo australior est; sed longior paulo quam Romæ, siquidem, ut diximus, unus ac fere dimidius latitudinis gradus supersunt. Ed.

7. *Venetia*. Inter Padum et Alpes Rhæticas, circa sinum Hadriaticum: quæ pars Italiæ diu vocata est *l'État de Venise*; nunc maritima pars regni Langobardo-veneti. Ed.

LXXV. 1. *Syene*. Urbs in Ægypti et Æthiopiæ confinio, hodie *Assuan*, sub Cancri tropico, lat. 24° 5. Vide Plinium ipsum, lib. V, cap. 10, et passim alias. Ed.

2. *Quinque millibus*. Totidem numerat Strabo, lib. II, pag. 114. Efficiunt ea stadia, passuum millia DCXXV. Hard.

3. *Stadiorum*. Chiffl. *stadium*. Eorum quinque millia, qua diximus ratione, si stadium æquet paulo minus hexapedas nonaginta quinque, leucas geographicas efficiunt 207 aut 208. Recta via hoc intervallum dimensi erant antiqui, siquidem inter Alexandriam et Syenen, latitudinis gradus intersunt 7° 26', et Syene tribus fere longitudinis gradibus ad orientem vergit, qui sub hac latitudine leucas tantum 23 comprehendunt; unde distantiam obliquam geometrica colligit ratio circiter 200 leucarum. Ed.

4. *Solstitii die*. Hoc etiam Pausanias refert in Arcad. lib. VIII, p. 517. Luc. lib. II, v. 587: « Umbras nusquam flectente Syene. » Vide etiam Strab. lib. II, p. 114. Et de puteo Syenes, qui meridie nullam umbram facit, Arrianus in Ind. pag.

que ejus experimenti gratia factum, totum illuminari. Ex quo apparere, tum Solem illi loco supra verticem esse: quod et in India supra flumen Hypasin[5] fieri tempore eodem Onesicritus[6] scripsit. Constatque in Berenice[7] urbe Troglodytarum, et inde stadiis quatuor millibus[8] DCCCXX, in eadem gente, Ptolemaide[9] oppido, quod in margine Rubri maris ad primos[10] elephantorum venatus conditum est, hoc idem ante solstitium quadragenis quinis diebus, totidemque postea[11] fieri; et per eos XC dies[12] in meridiem umbras jaci. Rursus in Meroe[13], (insula hæc[14] ca-

559. Ex eo manifestum est oppidum Syenem esse sub ipso Tropico Cancri, grad. 23° 30', latitudinis septemtrionalis. HARD.

5. *Flumen Hypasin.* Flumen Hypasis, nunc *Caül*, in Indum, nunc *Sind*, influit. Hypasis fuit *Alexandri itineris terminus*, ut dicetur infra libr. VI, cap. 21. At solstitii die medio non potest fieri ut supra flumen Hypasin nulla jaciatur umbra, quum Alexandri aræ Hypasi flumini appositæ sint per 30 latitudinis gradus; ipsumque austrinum .Hypasis ostium sit ultra 28 gradus latitudinis. BROT.

6. *Onesicritus scripsit.* Chiffl. apud Dalec. *scribit*. De Onesicrito confer Auctorum Indicem. ED.

7. *Berenice.* Steph. pag. 160: Βερενίκη ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ. De Berenice narrat hoc ipsum Strabo, lib. II, pag. 133. HARD. — Hodie *Alaki* vel *Salaka*; sita est in rubri maris littore, et πάγχρυσος olim cognominata est. Vide Plinium ipsum, lib. VI, cap. 34. ED.

8. *Quatuor mill. DCCCXX.* Sunt passuum millia DCII, ut Plinius ait, libro VI, ubi hæc eadem rursus tractantur. HARD.

9. *Ptolemoide.* Hæc Ptolemais ἐπὶ θήρας, et Πτολεμαῒς πρὸς τῇ θήρᾳ τῶν ἐλεφάντων est cognominata, apud Strab. lib. XVI, pag. 770. De ejus situ dicemus ad librum VI. HARD.

10. *Ad primos.* Ptolemæi duo, Philadelphus et Evergetes, primi fuere Græcorum, qui elephantorum venationem in his oris instituerint. Auctor Agatharchides, lib. I, de Mari rubro, apud Photium: Πτολεμαῖον φασὶ τὸν μετὰ τὸν Λάγου, πρῶτον ἐλεφάντων θήραν συστήσασθαι. Frustra Salmasius, pag. 424. corrigit, *primum ad eleph.* HARD.

11. *Postea.* Vet. ap. Dal. *post.* ED.

12. *Et per eos* XC *dies.* Ptolemais ergo inter Æquatorem et Tropicum circa quindecimum gradum posita fuit, ut his Solem in zenitho haberet, Maii mensis et Augusti initio; interea vero, Solem e septemtrione haberet. ED.

13. *In Meroe: insula hæc, etc.* Ita in Toletano codice. Dalec. et Elz. *in Meroe insula, quæ est, etc.* Chiffletii codex: *In Meroe insula, hac quæ est.* Nos in re dubia Harduinum sequimur. ED.

14. *Insula hæc.* Eadem de Meroe habet Strabo, lib. II, pag. 77. H.

putque[15] gentis Æthiopum, quinque millibus[16] stadiorum[17] a Syene, in amne Nilo habitatur), bis anno absumi umbras, Sole[18] duodevicesimam Tauri partem, et quar-
3 tamdecimam[19] Leonis obtinente. In Indiæ gente Oretum[20], mons est Maleus nomine, juxta quem umbræ æstate in austrum, hieme in septemtrionem jaciuntur : quindecim tantum noctibus[21] ibi apparet Septemtrio. In eadem India,

15. *Caputque gentis.* Strabo, lib. I, pag. 32 : Μερόη, τὸ βασίλειον, καὶ μητρόπολις τῶν Αἰθιόπων. Hard.

16. *Quinque millibus.* Hoc est, ut diximus, DCXXV mill. pass. (leucis 207. Ed.) quo intervallo distare Syenen a Meroe scribit Strabo, lib. II, pag. 114, et Eratosthenes apud Plinium, lib. VI, cap. 35. Ex eo inter Syenen et Meroen intervallo, quale est inter Alexandriam et Syenen, et ex tempore, quo mox dicturus est Plinius in Meroe absumi umbras, recte conficit D. *Delisle*, in Historia Academiæ Regiæ Scientiarum, anni 1708, Meroen insulam statui debere grad. circiter 16° 30', latitudinis borealis. Hard.

17. *Stadiorum.* Chiffl. *stadium.* Dalec.

18. *Sole duodevicesimam, etc.* Decima circiter Maii die. Ed.

19. *Quartamdecimam.* Quarta fere Augusti mensis. Ex his patet Meroen remotiorem ab æquatore fuisse quam Ptolemaida uno circiter gradu. Ed.

20. *Oretum.* De Oritis, lib. VI, cap. 25. At cap. 22, ejusdem libri, hoc ipsum retractans de Maleo monte, Suaris illum attribuit, non Oretis. « In interiore situ, inquit, Monedes et Suari, quorum mons Maleus, in quo umbræ ad septemtrionem cadunt hieme; æstate, in austrum, per senos menses. Septemtriones eo tractu semel in anno apparere, nec nisi XV diebus, Bæton auctor est, etc. » Alii fortasse hi Oretæ ab Oritis de quibus, lib. VI, cap. 25, etsi a suo monte quem incolunt, utrique Ὀρεῖται fortassis appellati sunt. Vide quæ ea de re dicturi sumus, lib. VI, cap. 22. Hard. — *Oretum* pro *Oretarum* dici potuit; sed fortasse Plinius *Oretes* non *Oretas* vocari vult, eosque ab *Oritis* diversos facit. Utique Oritæ plagam incolebant Erythræo mari vicinam, citra flumen Indum, ideoque citra Tropicum : id autem quod de Maleo monte narrat Plinius, senis mensibus umbras ac Septemtrionem, senis ad austrum cadere, manifesto intelligi non potest, nisi de latitudine Æquatori proxima. *Malea, Malei*, vel *Maleam*, commune est hodieque montibus Indicis nomen, præsertim in Taprobana, de qua rectius affirmare potuisset id, quod Oritis male affingit, Plinius. Sed longe ab hac sententia abfuit : nam alias Maleum montem in interiore India collocat, eademque de illo refert, libro VI, cap. 22. Ed.

21. *Quindecim tantum noctibus.* Quid sibi velit Plinius equidem non intelligo. Majoris enim ursæ septem stellæ quæ triones vocantur, jam a latitudine 26 aut 27 graduum

Patales[22] celeberrimo portu, Sol dexter[23] oritur, umbræ in meridiem cadunt. Septemtrionem, ibi Alexandro morante, adnotatum prima[24] tantum noctis parte aspici. Onesicritus dux ejus scripsit, quibus in locis Indiæ umbræ non sint[25], septemtrionem[26] non conspici, et ea loca appellari ascia[27]: nec horas dinumerari ibi[28].

observatæ, quum assidua circa polum revolutione sub Horizontem descenderunt, omnes quidem occultantur; idque cum regione vulgo Oritis assignata satis convenit: sed quum super horizontem quotidie plusquam semicirculum describant, necesse est illas, communi stellis omnibus lege, singulis noctibus, serius quidem ociusve, et aliquando ante Solis ortum, aliquando post occasum, conspicuas fieri. Quidquid id est, merito animadvertit Poinsinet de Sivry, corrigendum esse ex hoc Plinii loco Lucani versum, Pharsal. III, vs. 249, ubi *Orestas* vel *Olostras* pro *Oretas* in antiquis editionibus legebatur:

Tunc furor extremos movit Romanus Oretas
Carmanosque duces, quorum devexus in austros
Æther, non totam mergi tamen aspicit Arcton,
Lucet et exigua velox ubi nocte Bootes. Ed.

22. *Patales.* Patala nunc *Tatta-Nagar*, ubi sunt divortia Indi fluminis. Brot. — Est urbs in insula sita, quam fluminis ostia efficiunt, latitudinis habens 24° et circiter 20'. Plinius, XII, 25, de *Patale insula* loquitur; unde fit ut cum Dalec. et Elz. maluerimus hoc loco *Patales* quam cum Harduino *Patalis* rescribere. Ed.

23. *Sol dexter oritur.* Hoc dici potest de Zonæ torridæ incolis, citra Æquatorem habitantibus, quandiu intra Solem et Æquatorem sunt; siquidem lævum aut dextrum latus æstimatur Solem meridie aspectantibus. Sed omnino falsum est de *Patale*, urbe, ut dictum est, citra Cancri Tropicum sita, etsi non multum ab eo distat, et illo etiam tempore minus distabat ob majorem eclipticæ obliquitatem. Ed.

24. *Prima tantum.* Prima vigilia, de qua diximus cap. 71. Habet hæc quoque Martianus, lib. VI, p. 193. Hard. — Hinc forsitan conjici posset, quo tempore anni observatus fuerit ab Alexandri comitibus in Patale urbe Septemtrio, nisi Plinius verbis nimium laxis ideoque subambiguis uteretur. Ed.

25. *Umbræ non sint.* Medio die, Sole eorum verticem lustrante. Hard. — Et solstitio tantum. Ed.

26. *Septemtrionem non conspici.* Quando sub horizontem descendit; vide supra, not. 21. Nunquam enim ullam ejus stellam conspici, vere dici non posset, nisi de regionibus antarcticis, ultra torridam Zonam positis. Ed.

27. *Ascia.* Qui sine umbra sunt, meridiei tempore, uno quotannis die, solstitio scilicet, græce ἄσκιοι, *sine umbra*, dicuntur, iique sub Tropico habitant. Contra dicuntur ἀμφίσκιοι, hoc est, utrinque umbram habentes, populi intra Tropicos, et maxime sub Æquatore siti. Ed.

28. *Nec horas dinumerari ibi.* Hoc

1 LXXVI. (LXXIV.) At in tota Troglodytice, umbras bis quadraginta quinque[1] diebus in anno Eratosthenes[2] in contrarium[3] cadere prodidit.

1 LXXVII. (LXXV.) Sic fit[1], ut vario lucis incremento, in Meroe longissimus dies XII[2] horas æquinoctiales[3], et octo partes[4] unius horæ colligat; Alexandriæ[5] vero, XIV horas; in Italia, quindecim; in Britannia, XVII: ubi æstate lucidæ noctes[6], haud dubie repromittunt[7] id, quod cogit ratio credi: solstitii diebus[8] accedente Sole propius verticem mundi, angusto[9] lucis ambitu, subjecta terræ[10] con-

vel falsum est, vel magis ad populorum incultos mores, quam ad astronomiam pertinet. Ed.

LXXVI. 1. *Bis quadraginta quinque.* Diebus XC, ut supra dietum est. Sed minus saue aut majus intervallum esse debet, prout minus magisve Tropieum excedas; nec potest hoc de tota Troglodytiee, nec de Berenice simul et Ptolemaide verum esse, quum septem vel octo latitndinis gradus intersint. Ed.

2. *Eratosthenes.* Vide Catalogum Auctorum. Ed.

3. *In contrarium.* In eam partem quæ nobis meridiana dieitur. Ed.

LXXVII. 1. *Sic fit.* Hæc Martianus totidem fere verbis, lib. VI, pag. 194. Hard.

2. XII *horas.* Strabo, lib. II, pag. 133, ait, *tredecim.* Τοῖς δὲ κατὰ Μερόην καὶ Πτολεμαΐδα τὴν ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ, ἡ μεγίστη ἡμέρα ὡρῶν ἰσημερινῶν ἐστὶ τρισκαίδεκα. Martianus Plinium secutus, *duodecim, et bessem.* Hard.

3. *Æquinoctiales.* Quales duodenæ æquinoctiis computantur inter ortum Solis et occasum, nostris igitur ferme æquales. Ed.

4. *Octo partes.* Hora duodecim in partes, ut as in totidem uneias dividebatur. Octonas igitur partes horæ antiquæ, sive bessem, ut Martianus vocat, nobis probe repræsentant borarum nostratium 40 sexagesimæ, quas minutas vocamus. Ed.

5. *Alexandriæ.* Consentit Strabo l. c. De Italia item, pag. 134. H.

6. *Lucidæ noctes.* Unde poeta, « minima contentos nocte Britannos » dixit. Hard. — Lucidas vocat noctes, quæ brevissimo septem borarum inclusæ spatio, utraque crepuscula pæne continuant. Ed.

7. *Repromittunt.* Præstant, confirmant. Ed.

8. *Solstitii diebus.* Eo temporis lapsu quo æquinoctia distant, cujus medium est solstitium. Ed.

9. *Angusto lucis.* Exiguus enimvero est eireulus ille, quem Sol deseribit solstitii diebus, quum supra horizontem attollitur, cerniturque ab iis, qui septemtrionales sive polares mundi traetus incolunt, ubi sunt eardines mundi, minimique sive extremi siderum ambitus, ut Plinius loquitur, lib. IV, c. 26. H.

10. *Subjecta terræ.* Plagam cælo Solique in eo terrarum traetu subjectam. Hard.

tinuos[11] dies habere senis mensibus; noctesque[12] e diverso, ad brumam remoto[13]. Quod fieri in insula Thule[14], Pytheas[15] Massiliensis scripsit, sex dierum navigatione in septemtrionem a Britannia distante: quidam vero et in Mona[16], quæ distat Camalduno[17] Britanniæ oppido circiter ducentis millibus, affirmant.

11. *Continuos dies habere senis mensibus.* Qnid est quod Pintianus Longolinsque hanc lectionem sollicitant? quorum ille *senis* diebus, iste *binis mensibus*, scribendum pronunciant. At et sua vulgatæ scripturæ constat sententia, neque ea mutari sine contemptu veterum exemplarium, atque adeo sine veritatis dispendio, potest. Sic enim scribere oportuisse Plinium, cogit ipsa ratio credi, ut ejus verbis utar: ita scripsisse docet Martianus, lib. VI, pag. 194, dum hunc locum transcribens, ita ait: « Hinc est, quod in Meroe longissimus dies XII Æquinoctiales horas, et alterius bessem secat: Alexandriæ, XIV: In Italia, XV: in Britannia, XVII. Solstitiali vero tempore, cæli verticem Sol invectus subjectas lævorsum terras perpetui diei continuatione collustrat; itemque brumali descensu semiannuam facit horrere noctem: quod in insula Thyle compertum Pytheas Massiliensis asseruit. » Semiannua nox, senorum certe mensium est. Vide quæ dicturi sumus, lib. IV, cap. 26. HARD.

12. *E diverso.* E contrario, vice versa. ED.

13. *Ad brumam remoto.* Recedente Sole ad Tropicum australiorem. ED.

14. *In insula Thule.* Illa Thule videtur esse *les Iles de Shet-land*, au *nord des Orcades*. At ibi dies non sunt continui mensibus senis, sicut nec in insula Mona, *l'Ile d'Anglesey*. Camalodunum autem nunc *Colchester, dans le Comté d'Essex*. BROT.— Quod narravit Pytheas de semestribus noctibus in causa fuit, cur existimarent quidam Thulen esse quam nos vocamus *Islande*, remotiorem sane insulam quam ut imperita tunc temporis navigatio aut tale iter suscipere aut sex diebus conficere posset. Sed in Orcadibus Pytheas, si eo usque navigavit, audire potuit incolas de Islandia forte narrantes, id quod reapse verum est, Solem ibi per sex menses vix supra horizontem emergere, unde latiusculo sensu semestres noctes dici possunt. ED.

15. *Pytheas.* Vide Auctorum Catalogum, et observa, jam bis temporibus, tertio ante nostram æram sæculo, Massilienses commercii causa in septemtrionalis Europæ plagas peregrinatos esse. Neque enim verisimile est, Pythean philosophum hoc iter suis opibus ingressum esse; sed profecto civium suorum mercatoriam aliquam expeditionem comitatus erat. ED.

16. *Mona.* De ea libro IV, cap. 30. HARD. — Hodie *Anglesey*. ED.

17. *Camalduno.* Sic MSS. omnes, quos vidimus, et vetustæ editiones; Romana, Parmensis, Tarvisina, etc. At est Colonia Camulodunum Ta-

1 LXXVIII. (LXXVI.) Umbrarum hanc rationem, et quam vocant gnomonicen[1], invenit Anaximenes[2] Milesius, Anaximandri (de quo diximus[3]) discipulus[4]: primusque horologium, quod appellant sciothericon[5], Lacedæmone ostendit.

cito, lib. XII, Annal. Apud Gruter. pag. 439: COLONIÆ. VICTRICENSIS. QUÆ. EST. IN. BRITANNIA. CAMALODUNI. Hodie deminuta voce, *Maldon* vocant, teste Cambdeno. Neque est *Colchester*, ut alii volunt. HARD.

LXXVIII. 1. *Gnomonicen.* Rationem deprehendendi horas ex stylo, umbra indicante. HARD.

2. *Anaximenes.* Quem Anaximandri discipulum fuisse confirmat quoque Cicero lib. IV, Acad. quæstion. p. 79; Milesium, Laertius. H.

3. *De quo diximus.* Cap. 6. HARD. — Vet. apud Dalec. *Anaximandri (de quo diximus) et Thaletis discipulus.* Ita MSS. Reg. 5. Editio princeps et Cl. Rezzonicus. Id quoque additum in margine MSS. Regii 3. Gelenius, deinde alii omisere. At potuit Anaximenes esse primum Thaletis, deinde Anaximandri discipulus. BROT.

4. *Primusque.* Gnomonis inventum Laertius, lib. II, Anaximandro ipsi adjudicat: discipuli forte laudem in magistrum derivans, a quo quæ inchoata acceperat, arte ille industriaque perfecit. Cum Laertio Suidas facit, pag. 241. HARD.

5. *Sciothericon.* Quo deprehenduntur ad umbram horæ. Σκιόθηρον et Σκιοθήρας Græcis, ab indaganda umbra. Salmasius, pag. 632, secutus Snellium in Eratosthene Batavo, c. 4, pag. 21, negat, inquam, Sciothera illa horis signandis apta fuisse: sed solstitiis tantum, æquinoctiisque significandis. Negat horarum notationem aut nomen fuisse ante Alexandri Magni tempora. Verum Laertius, lib. II, pag. 33, Anaximandrum ait rerum duarum inventorem fuisse: primum ex Phavorino, gnomonem in solariis constituisse, εὗρε γνώμονα πρῶτος, utique ad designandas diei horas; alterum in horoscopiis sive solariis non quemlibet gnomonem panxisse, sed eum qui solstitia præterea, æquinoctiaque monstraret. Herodotus, lib. II, Gnomonicen et dierum in partes duodecim fractionem a Babyloniis ad Græcos manasse scribit: Πόλον μὲν γὰρ καὶ γνώμονα, καὶ τὰ δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρας παρὰ Βαβυλωνίων ἔμαθον Ἕλληνες. « Nam Polum, et gnomonem, et duodecim diei partes a Babyloniis Græci didicerunt. » Eæ vero non statim horarum nomine processerunt: sed, aut partium, ut indicat Herodotus, aut σημείων signorum, ut Julius Pollux, l. I, c. 8, refert ex Menandro. Hæc et alia multo plura Petavius, lib. VII, var. Dissertat. in Uranol. c. 8. Sed rem meo quidem judicio planius conficit eximius Xenophontis locus, in quem incidi, lib. IV, Memorab. p. 800: Οὐκοῦν καὶ ἐπειδὴ ὁ μὲν ἥλιος φωτεινὸς ὢν τάς τε ὥρας τῆς ἡμέρας ἡμῖν καὶ τἄλλα πάντα σαφηνίζει, etc. Ubi falsum apparet esse quod Salmasius aiebat vocem ὥραν,

LXXIX. (LXXVII.) Ipsum diem alii aliter observavere: 1
Babylonii[1] inter duos Solis exortus; Athenienses[2] inter duos
occasus; Umbri[3] a meridie in meridiem; vulgus omne a
luce ad tenebras; sacerdotes romani, et qui diem diffi-
niere civilem[4], item Ægyptii, et Hipparchus, a media
nocte in mediam. Minora[5] autem intervalla esse lucis[6] in- 2
ter ortus Solis juxta solstitia, quam æquinoctia, apparet:

a nemine scriptorum qui Alexandri tempora aut Platonis anteiret, pro diei particula usurpatam. Mathematici porro illi qui horospicia publice et in propatulo collocabant, non solis eruditis, et astronomiæ peritis, sed vulgo ea proponebant; igitur non ad sola discernenda solstitia, ex umbrarum ratione, sed ad civiles diei partes, et ad quotidiana gubernanda negotia pertinebant. Quid enim interest plebeiorum hominum ac civium scire, quo momento exacte solstitia commissa sint? Et vero demum, id quod plurimum causæ nostræ patrocinatur, hoc Anaximenis horologium sciothericon, designandi cujusque diei horis fuisse concinnatum, Plinius ipse verbis conceptis admonet, lib. VII, cap. 60, non solstitiis, æquinoctiisve tantum signandis. H. —Antiquissimum in re gnomonica locum tenet, horologium illud solare quo rex Achaz utebatur in urbe Jerusalem, ante Christum 730 annis; Regum libro IV, cap. 20, annotante Broterio. Ed.

LXXX. 1. *Babylonii.* Ita Varro, libro Rerum Humanarum, quem de Diebus scripsit, apud Gellium, l. III, cap. 2, et Macrobium, Saturn. l. I, c. 3; Censorinus, c. 23; Isidorus, lib. V, Orig. cap. 30. Ita hodieque computant Baleares et Norimbergenses. H. — De Norimbergensibus fas est Harduino non credere. Ed.

2. *Athenienses.* Ita Varro, et Censorinus, locis citatis. Quibus igitur auctoribus scripserit Isidorus loco cit. diem secundum Ægyptios inchoari ab occasu Solis, et secundum Athenienses a sexta hora diei, adhuc requiro. Hunc Atheniensium morem servant hodieque Austriaci, Poloni, Sinenses: maximeque Itali, unde nomen horis Italicis. Haan.

3. *Umbri.* De Umbris et Romanis eadem rursum Varro et Censorinus, loc. cit. Hujus moris causas investigat Plutarchus in quæstion. Rom. pag. 284. Secuti sunt Arabes, et plerique astronomi: unde horæ astronomicæ appellatæ. Haan.

4. *Civilem.* Gellius, loco citato: « Diem, quem Romani civilem appellaverunt, a sexta noctis hora oriri » ait, hoc est, a media nocte. Haan. — Commodissima sane hæc computandi ratio, quæ nec variat cum anni tempestatibus, nec lucis tempus in duos secat dies: hanc plerique Europæ populi hodienum sequuntur. Ed.

5. *Minora.* Chiffletii codex *minora majorave*; sed male. Nam solstitia semper æstiva intelliguntur. Ed.

6. *Intervalla esse lucis.* Intervalla

quia positio Signiferi circa media sui obliquior[7] est; juxta solstitium vero rectior[8].

1 LXXX. (LXXVIII.) Contexenda sunt his, cælestibus nexa[1] causis. Namque Æthiopas vicini sideris[2] vapore torreri, adustisque similes gigni, barba et capillo vibrato[3], non est dubium; et adversa plaga mundi, atque glaciali, candida cute esse gentes, flavis promissas crinibus: truces vero ex cæli rigore has, illas mobilitate[4] hebetes: ipsoque crurum[5] argumento, illis in supera succum revocari, natura vaporis[6]; his in inferas partes depelli, humore deciduo. Hic graves feras; illic varias effigies animalium provenire, et maxime[7] alitum, et in multas figuras gigni

lucis vocat noctes ipsas. Male autem addit, *inter ortus Solis*. Dicere voluit: inter noctis initium et ortum Solis. Ed.

7. *Obliquior*. Declivior versus Austrum. Hard.

8. *Rectior*. Sublimior. Hinc Sol his diebus majus curriculum supra horizontem conficit. Ed.

LXXX. 1. *Cælestibus nexa causis*. Ea quorum causa ratioque connexa est cum cælestibus. Hard.

2. *Sideris vapore*. Solis calore. H.

3. *Vibrato*. Proprium est de crinibus *vibratis calido ferro*. Virg. Æn. XII, v. 100. Ed.

4. *Mobilitate hebetes*. Ignea cæli aerisque mobilitate, quæ in his plagis potissimum viget. Hanc cæli Æthiopici mobilitatem iterum commemorat, lib. VI, cap. 35. Prius legebatur, *has et illas mobilitates habentes*: nullo plane sensu. Hard. — Dalec. et Elz. *cæli rigore has, et illas mobilitate hebentes*. Ed.

5 *Ipsoque crurum argumento*. Ita Reg. cod. 2, aliique, quos secutus est primus omnium Gelenius. Priores enim editiones habent, *ipsoque crinium argumento*, inductis in fraudem editoribus, propter præcedentia: id tamen Lætius in editionem suam quoque inseruit. Nos codices defendimus quum experientia, tum Galeni testimonio, lib. III, de Temperam. Cap. 6: εἰ μὲν ὁμαλῶς ἅπαν ἔχει τὸ σῶμα τῆς κράσεως, οἷς μὲν ἰσχνὰ τὰ σκέλη, ξηροὶ πάντως εἰσὶν, ὑγροὶ δ' οἷς παχέα. Siccos ait esse, quibus macra sunt crura: humidos, quibus crassa. Quam apte cum Plinianis ista congruunt, quum ait illis, hoc est, Æthiopibus, in supera succum revocari, vi caloris dessicantis; his vero, nempe Borealibus, in inferas partes, crura scilicet, depelli humore deciduo! Hard.

6. *Natura vaporis*. Vi caloris. H.

7. *Et maxime*. In Elzev. deest vocula *et*, quam damnaverat in margine Dalecampius. Infinitam avium varietatem quæ inter tropicos, Sole colorum prodigo et natura luxuriante, pullulant, etiamsi libri omnes reticerent, musea nostra satis quidem aperte testarentur. Ed.

volucres. Corporum autem proceritatem[8] utrobique : illic 2
ignium nisu, hic humoris alimento. Medio vero terræ salubris[9] utrinque mixtura, fertilis ad omnia tractus, modicus[10] corporum habitus, magna et in colore temperies, ritus molles[11], sensus liquidus[12], ingenia fœcunda totiusque naturæ capacia. Iisdem imperia[13], quæ nunquam[14] extimis gentibus fuerint[15] : sicut ne illæ quidem his[16] paruerint, avulsæ, ac pro immanitate[17] naturæ urgentis illas, solitariæ.

LXXXI. (LXXIX.) Babyloniorum placita motus terræ, 1
hiatusque, et cætera omnia, vi siderum[1] existimant fieri; sed illorum[2] trium, quibus fulmina assignant : fieri autem, meantium[3] cum Sole, aut congruentium, et maxime circa

8. *Proceritatem.* Contra hodie compertum est, hominum corpora miti sub cælo majorem in proceritatem excrescere. Sed in zona torrida portentosas feras, in glacialibus immania cete procreari, veritati consentaneum est. Ed.

9. *Salubris.* Vet. ap. Dal. *salubri*, non male, nt *mixtura* in sexto casu accipiatur. Ed.

10. *Modicus corporum habitus.* Hæc verba, sponte ne, an incuria, Harduinus omisit, quæ in vetustis omnibus legebantur. Ed.

11. *Ritus molles.* Mores humaniores. Ed.

12. *Sensus liquidus.* Judicium sanum, mens intelligendo apta. Ed.

13. *Imperia.* Dominatio in cæteras gentes. Ed.

14. *Extimis.* Extra hoc terræ medium sitis. Ed.

15. *Fuerint.* Vet. apud Dalecamp. *fuerunt*, ut paulo infra *paruerunt* pro *paruerint*. Ed.

16. *Ne illæ quidem his.* Illæ mundi extremæ gentes, ut nunquam medìis ac politis imperabunt, ita nunquam, inquit, parebunt, regionum inclementia, suisque solitudinibus defensæ. Recte forsitan hoc utrumque prædici potuit de gentibus polo proximis, aut in desertis interioris Africæ sub ardenti sole degentibus. Sed de Germanis, Sarmatis, Scythis, quos præcipue videtur innuere Plinius, aliter profecto sensisset post aliquot sæcula redivivus, jacente sub istis barbaris Imperio Romano. Ed.

17. *Pro immanitate.* Chiffl. *pro unitate.* Vet. ap. Dal. *pronitate.* Ed.

LXXXI. 1. *Vi siderum.* Chiffl. *siderum vi.* Ed.

2. *Sed illorum trium.* Saturni, Jovis, ac Martis, uti dictum est cap. 18. Hard.

3. *Meantium cum Sole aut congruentium.* Vel quando meant cum Sole in conjunctione cum eo, vel quando cum eo conveniunt in aspectu, maxime vero in quadrato, qui fit, cum distant a Sole quarta mundi sive cæli parte. Hard.

quadrata mundi. Præclara quædam[4] et immortalis, si credimus, divinitas perhibetur Anaximandro[5] Milesio Physico: quem ferunt Lacedæmoniis prædixisse, ut urbem ac tecta custodirent[6]; instare enim motum terræ: quum et urbs tota eorum corruit, et Taygeti montis magna pars, ad formam puppis eminens, abrupta, cladem insuper eam
2 ruina pressit. Perhibetur et Pherecydi[7] Phythagoræ doctori alia conjectatio, sed et illa divina: haustu[8] aquæ e

4. *Præclara quædam etc.* Sic Vett. apud Dalec. Recte quidem; nam hæc *divinitas*, id est, divina futuri scientia, non Soli, sed Anaximandro *perhibetur*, id est, tribuitur, usitatissimo apud Plinium hujus verbi sensu. Dalecampius vero, et post eum Harduinus cæterique: *Præclara quædam esse et immortalis in eo* (videlicet Sole), *si credimus*, etc. Ed.

5. *Anaximandro.* Anaximeni, ex Arist. Meteorol. lib. II. Dalec. — Anaximenem supra vidimus Lacedæmone gnomona instituisse: quo magis Aristoteli quam Plinio credendum, licet apud Ciceronem, de Divin. lib. I, unde hæc Plinius exscripsit, Anaximandri quoque nomen legatur. Ed.

6. *Custodirent.* Significatu vocis paulo insolentiore, *custodirent* dixisse pro *caverent*, declarat tum unanimis codicum consensus, in quibus diserte legitur, *ut urbem ac tecta* etc., tum ipse Cicero: « Multa medici, inquit ille, de Divinit. lib. I, cap. 50: « multa gubernatores, agricolæ etiam multa præsentiunt: sed nullam eorum divinationem voco: ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedæmonii sunt, ut urbem et tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terræ motus instaret; tum quum et urbs tota corruit, et ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis avulsa est. Ne Pherecydes quidem, ille Pythagoræ magister, potius divinus habebitur, quam physicus: qui quum vidisset haustam aquam de jugi puteo, terræ motus dixit instare. » Quo in loco cave libentius legas, *bibisset*, quam *vidisset*, aut ex hoc Plinii contextu, aut ex Apollonio, qui in Histor. Mirabil. cap. V, τὸν δὲ πιόντα, bibentem id sensisse scribit. Nam *vidisset* rursum scribitur, de Divin. lib. II, cap. 13, et *haustu* Plinius, non *potu* dixit. Hard.

7. *Pherecydi.* De eo vide Auctorum Catalogum. Dalecamp. et Elz. *Pherecydis Pythagoræ doctoris*: sed *perhibetur*, id est, tribuitur, cum dativo construi debet, ut supra. Harduinum secuti sumus, consentiente Chiffletii codice. Ed.

8. *Haustu aquæ.* Hoc vaticinium Ammianus Marcell. lib. XXII, p. 236, adscribit Anaxagoræ, quem « dum putealem limum contrectaret, tremores futuros, ait, prædixisse terræ. » Eusebius, de Præp. Evang. lib. X, Pythagoræ ipsi: Pherecydi vero, præter Tullium, de Divinatione, lib. II, Maximus Ty-

puteo præsensisse, ac prædixisse[9] ibi[10] terræ motum. Quæ si vera sunt, quantum a Deo tandem videri possunt tales distare, dum[11] vivant? Et hæc quidem[12] arbitrio cujusque existimanda relinquantur: ventos[13] in causa esse non dubium reor. Neque enim[14] unquam intremi- 3
scunt terræ, nisi sopito mari, cæloque adeo tranquillo, ut volatus avium non pendeant[15], subtracto omni spiritu qui vehit: nec unquam, nisi post ventos[16], condito scilicet in venas et cava ejus occulta flatu. Neque aliud[17] est in terra tremor, quam in nube tonitruum; nec hiatus

rius, serm. III, ubi hoc Sami accidisse narrat. Hard.

9. *Ac prædixisse.* Hæc duo vocabula in MSS. desunt. Dalec.

10. *Ibi.* In eo loco, ubi aquam degustarat, id est Sami, si Maximo Tyrio fides. Ed.

11. *Dum vivant.* Quandiu quidem vixerint. Hoc enim a Diis differunt, quod morti sunt obnoxii. Mallet Dalecampius, *dum vivunt.* Ed.

12. *Hæc quidem.* Utrum scilicet vera sint narrata de Anaximandro et Pherecyde. Ed.

13. *Ventos.* Eam nuper causam assignabant pyritis terra inclusis ac subito aquarum contactu effervescentibus. Alia recentior opinio prævalet: igneam intus ac liquidam terræ materiem, ubi vacuum quod interstitium fecere erumpentes e flammivomis montibus ignes, in se fluctuare, et sic motus illos insolitos edere. Utique bina hæc phænomena, terræ motus et vulcaniæ montium eruptiones, ejusdem generis sunt; semperque electricis comitata signis: unde nova oritur quæstio, quid illis cum electrismo commune sit. Ed.

14. *Neque enim.* Seneca, Natur. Quæstion. lib. VI, cap. 12: «Itaque quum terræ motus futurus est, præcedit aeris tranquillitas, et quies: videlicet, quia vis spiritus, quæ concitare ventos solet, in inferna sede detinetur.» Vide Aristotel. Meteorol. lib. II, cap. 8. Hard.—Ingens illa naturæ quies, ac stupor, adhuc certa interpretatione caret; nec video de illa sategisse doctos: quanquam, ut sæpe observatum est, immanissima quæque phænomena, terræ motus, vulcaniæ eruptiones, procellæ ipsæ et horribiles in torrida præsertim zona typhones, tali solent portento prænuntiari. Ed.

15. *Non pendeant.* Non æquabili volatu sese librent, ob summam aeris tenuitatem, sed alas crebro concutiant. Hard.

16. *Post ventos, etc.* Dalec. et Elzev. *post ventos conditos, scil. in venas et cavernas ejus occulto flatu.* Vet. apud Dalec. *post ventos calidos ...occultato flatu.* Nobis et Harduino consentit Chifl. Nec repugnant descripti a Pintiano codd. Ed.

17. *Neque aliud est.* Ut in nube, inquit, luctatione flatus aut vaporis, tonitru editur, sic in terræ cavernis aeris agitatione cietur tremor. H.

aliud, quam quum fulmen erumpit: incluso spiritu luctante, et ad libertatem exire nitente.

1 LXXXII. (LXXX.) Varie itaque[1] quatitur, et mira eduntur opera: alibi prostratis mœnibus, alibi hiatu profundo haustis; alibi egestis molibus; alibi emissis amnibus, nonnunquam etiam ignibus, calidisve[2] fontibus; alibi[3] averso fluminum cursu. Præcedit vero[4] comitaturque terribilis sonus, alias[5] murmur similius mugitibus, aut clamori humano, armorumve pulsantium fragori, pro qualitate materiæ excipientis, formaque vel cavernarum, vel cuniculi, per quem[6] meat: exilius[7] grassante in angusto, eodem rauco in recurvis, resultante in duris, fervente[8] in humidis, fluctuante in stagnantibus: item fremente contra so-
2 lida; itaque[9] et sine motu sæpe editur sonus. Nec simplici

— Tum esset hoc verissimum, si, quod physicis quibusdam placuit, origo, ut tonitrui et fulmini, ita terræ motibus electrica foret. Ed.

LXXXII. 1. *Varie itaque.* Vide Arist. lib. de Mundo, cap. IV. H.

2. *Calidisve.* Quales circa Ædepsum simili ex causa prodiere, teste Aristot. Meteorolog. lib. II, cap. 8: Διὸ καὶ τὰ θερμὰ τὰ περὶ Αἴδηψον ἀπὸ τοιαύτης αἰτίας γέγονε. Hard.

3. *Alibi averso.* Ita MSS. omnes: non, ut editi, *adverso.* Vide lib. XXXI, cap. 30. Hard.

4. *Præcedit vero.* Sic Arist. Meteorol. lib. II, cap. 8. Hard.

5. *Alias murmur.* Seneca, Nat. Quæst. lib. VI, cap. 13: « Ideoque, ait, antequam terra moveatur, solet mugitus audiri, ventis in abdito tumultuantibus: nec enim aliter posset, ut ait noster Virgilius, Æn. VI, 256: « Sub pedibus mugire solum, et juga cœpta moveri, » nisi hoc esset opus ventorum, etc. » Hard.

6. *Per quem meat.* Salmanticensis codex, *per quem fit exitus;* manifesta glossa verbi *meat.* Ed.

7. *Exilius.* Hoc ad sonum referri debet, qui tum editur, quum per angustum foramen spiritus meat. Nam si de vi agitur vehementiaque concussus, secus se res habet. « Per aliquam rimam maligne fugit, inquit Seneca loco citato, cap. 14, et hoc acrius fertur, quo angustius. » Hunc locum ex veter. codd. aliter interpunximus, quam libri hactenus editi: vide Aristotelem, loco citato. Hard. — Dalecamp. *Exilius grassante in angusto, eodem rauco in recurvis resultante, in duris fremente, in humidis fluctuante et stagnantibus.* Chiffl. et Vet. apud Dalec. longe meliorem lectionem nostram Harduino primum dederunt. Ed.

8. *Fervente.* Fremitum aquæ ferventis imitante. Ed.

9. *Itaque et sine motu.* Aristotel. loco citato. Hard. — Veter. apud Dalec. *quandoque;* sed *itaque* præstat. Ventus, inquit, contra solida

modo quatitur unquam[10], sed tremit vibratque. Hiatus vero alias remanet, ostendens quæ sorbuit; alias occultat ore compresso, rursusque ita inducto solo, ut nulla vestigia exstent, urbibus plerumque devoratis, agrorumque tractu hausto. Maritima[11] autem maxime quatiuntur. Nec montuosa[12] tali malo carent: exploratum est mihi, Alpes[13] Apenninumque sæpius tremuisse. Et autumno ac vere terræ crebrius moventur, sicut fiunt fulmina. Ideo[14] Galliæ et Ægyptus minime quatiuntur; quoniam hic æstatis causa obstat, illic hiemis. Item noctu sæpius, quam interdiu. Maximi autem motus exsistunt matutini, vespertinique: 3

fremere auditur, quum emovere illa non potest; unde sine motu interdum fit sonus. Ed.

10. *Unquam*. Delevit hoc verbum Harduinus absque causa. Nunquam simplici impulsu terra commovetur, sed tremit et vacillat; quod nostri dicunt *osciller*. Ed.

11. *Maritima*. Reliquum fere caput totidem verbis exstat apud Arist. loc. cit. ubi singularum rerum causas explanat uberrime. Hard.

12. *Nec montuosa*. Ita MSS. omnes, non *montosa*. Vide Senecam loc. citat. cap. 26. Hard.

13. *Alpes*. Virg. Georg. I, 475: «Insolitis tremuerunt motibus Alpes.» Non insolitis, at solito tantum majoribus, siquidem hoc sæpius accidisse testatur Plinius, et ipse locorum aspectus demonstrat. Ed.

14. *Ideo Galliæ*. Narrat Monstreletius, ann. 1424, Provinciæ Narbonensis tractum motu concussum. Sed Galliæ nomine apud Plinium Narbonensis Provincia admodum raro censetur, ut dicemus, l. XVI, cap. 13. Agathias. lib. II, pag. 52, Alexandriam Ægypti, quum ibi juri discendo daret operam, tremuisse ait: idque prodigii instar fuisse. De Ægypto, vide Senecam, Natur. Quæst. lib. VI, cap. 26, pag. 912. Ejus hoc multo verius pronunciatum est: «Erramus, si ullam terrarum partem ab periculo immunem credimus. Omnia sub eadem jacent lege. Nihil ita, ut immobile esset, natura concepit, etc.» Et sane hoc ipso quo ista commentamur anno, post Christum natum 1682, die maii duodecima, hora post mediam noctem secunda, concuti Lutetiam terræ motu sensimus: quo deinde motu accepimus vehementius quassata esse complura Campaniæ oppida, dirutas ædes circa Vogesum montem, in Lotharingiæ Alsatiæque confinio. Hard.—Rari ac ferme innocui in Galliis et Ægypto terræ motus. Nullos ætate sua audivit Plinius: nos sensimus et audivimus aliquos, sed, ut dixi, innocuos. Fuere tamen antiquissimis temporibus, ut æstimare est ex vulcanicis montibus, qui in Arvernia aliisque provinciis olim et ante litterarum memoriam exarsere. Brot.

sed propinqua luce crebri : interdiu autem circa meridiem. Fiunt et Solis Lunæque[15] defectu, quoniam tempestates tunc sopiuntur. Præcipue vero, quum sequitur imbrem æstus, imbresve[16] æstum.

1 LXXXIII. (LXXXI.) Navigantes quoque sentiunt non dubia conjectura, sine flatu intumescente fluctu subito, aut quatiente ictu[1]. Intremunt vero et in navibus posita, æque quam in ædificiis, crepituque prænunciant. Quin et
2 volucres non impavidæ sedentes[2]. Est et in cælo[3] signum, præceditque motu futuro, aut interdiu, aut paulo post occasum sereno, ceu tenuis linea nubis in longum porrectæ spatium. Est et in puteis[4] turbidior aqua, nec sine odoris tædio.

1 LXXXIV. (LXXXII.) Sicut in iisdem[1] est remedium,

15. *Fiunt et Solis Lunæque defectu.* Pintianus emendabat, *fiunt et Lunæ defectu* : quod de sola Lunæ defectione Aristoteles egerit. Sed quum eadem causa et in Solis deliquio, quæ in deficiente Luna, terræ motum possit efficere, quod demonstrat egregie Cabeus in Meteor. l. II, nihil ego, contra librorum omnium fidem, mutare ausim. HARD. — Frequentiores esse circa defectus Solis Lunæve terrestres motus, nullis experimentis compertum est; ut neque tunc subsidere tempestates, aut aliquam naturæ commutationem fieri. Defectibus tantum Solis observari solet silentium quoddam, obmutescentibus ac plerumque delitescentibus præ metu animalibus, qui eorum est instinctus, ut omne novum pro terribili accipiant. ED.

16. *Imbresve.* Mallet Dalecamp. *imberve.* ED.

LXXXIII. 1. *Ictu.* Sic MSS. Reg. 2. Chiffl. etc. Sed vulgo legitur *icti*, ut ad navigantes referatur. Utcumque legas, verissimum est quod narrat Plinius : emoto scilicet fundo maris, per intermediam aquarum molem ad superficiem usque continuari terræ motus, et navibus ipsis communicari. ED.

2. *Sedentes.* Ita Chiffl. et Harduinus. Dal. et Elzev. *sedent.* ED.

3. *Est et in cælo* Ad verbum ita Aristotel. Meteorolog. lib. II, cap. 8 : Τὸ δὲ αὐτὸ αἴτιον καὶ τοῦ εἰωθότος ἐπιγίνεσθαι σημείου πρὸ τῶν σεισμῶν· ἢ γὰρ μεθ' ἡμέραν, ἢ μικρὸν κατὰ δυσμὰς, αἰθρίας οὔσης, νεφέλιον λεπτὸν φαίνεται διατεῖνον, καὶ μακρὸν, οἷον γραμμῆς μῆκος εὐθύτητι διηκριβωμένον, etc. HARD.

4. *Est et in puteis.* Hinc illud Pherecydis vaticinium, de quo supra dictum est, cap. 81. ED.

LXXXIV. 1. *In iisdem.* Iidem, inquit, putei inclusum terra spiritum libero meatu emittentes, terræ motus avertunt. ED.

quale[2] et crebri specus præbent : conceptum[3] enim spiritum exhalant : quod[4] in certis notatur oppidis, quæ minus quatiuntur, crebris ad eluviem cuniculis cavata. Multoque sunt tutiora in iisdem illis, quæ pendent[5] : sicut Neapoli in Italia intelligitur; parte ejus, quæ solida est, ad tales[6] casus obnoxia. Tutissimi sunt ædificiorum fornices; anguli quoque[7] parietum, alterno pulsu[8] renitente. Et latere terreno[9] facti parietes minore noxa quatiuntur. Magna differentia est et in ipso genere motus : pluribus siquidem[10] modis quatitur. Tutissimum est, quum vibrat crispante[11] ædificiorum crepitu; et quum intumescit[12] assur-

2. *Quale et crebri specus.* Veter. apud Dalec. *quale cloacæ et crebri specus*, mira glossatorum audacia, ad sequentia saoe respicientium. Ed.

3. *Conceptum.* Sic in Chiffletii codice. Dalec. et Elzev. *præconceptum*, quæ vulgata ante Harduinum lectio fuit. Ed.

4. *Quod in certis.* Vet. apud Dalec. *Quod totis notatur oppidis : minus quippe moventur.* Ed.

5. *Quæ pendent.* Structis fornice cameris imposita ædificia intelligit : quod genus camerarum spiramenta plerumque habet non pauca, quibus exeat ad libertatem aer. Hard.

6. *Ad tales casus.* Huc refer quod Tacitus ait Annal. lib. XV, theatrum Neapoli terræ motu sine ullius noxa collapsum. Hard. — Vicinitas Vesevi montis frequentes terræ motus jam tum temporis faciebat, quum perfido acquiesceret otio mons in flammas brevi dissulturus : non intelligentibus obscuras ejus minas, qui antiquarum eruptionum vestigia calcarent. Ed.

7. *Anguli quoque.* Seneca, Naturalium Quæstionum, l. VI, cap. 30 : « Diductis ædificia angulis vidimus moveri, iterumque componi. » H.

8. *Alterno pulsu renitente.* Dalec. et Elz. *postesque alterno pulsu renitentes.* Mutavit Harduinus ex MSS. Sensus est, in angulis domuum, tremiscente terra, parietes non eodem modo impulsos, quoniam contrarias in partes vergant, se invicem sustinere. Ed.

9. *Latere terreno.* Vet. apud Dalec. *latere terrave.* Muri e lateribus facti difficilius quam cæteri dehiscunt, unde fit ut in urbibus muniendis id constructionum genus plerumque præferatur. Ex antiquæ Italiæ palatiis templisve nihil fere præter immensas laterum moles hodie superest. Ed.

10. *Pluribus siquidem modis.* Terram dixerat unquam simpliciter quati, sed tremere semper et vibrare. Pluribus autem modis vibrare nunc adjicit. Ed.

11. *Crispante.* Non certo et continuato, sed tremulo et quasi undulato. Ed.

12. *Et quum intumescit.* Arist. Meteorol. lib. II, cap. 8. Hard.

gens, alternoque motu residet: innoxium, et quum concurrentia tecta contrario ictu arietant; quoniam alter motus 3 alteri[13] renititur. Undantis[14] inclinatio, et fluctus[15] more quædam volutatio infesta est; aut quum in unam partem totus se motus impellit. Desinunt autem[16] tremores, quum ventus emersit: sin vero duravere, non ante quadraginta dies sistuntur; plerumque et tardius, utpote quum quidam annuo et biennii spatio duraverint.

1 LXXXV. (LXXXIII.) Factum est semel, quod equidem in Etruscæ disciplinæ voluminibus inveni, ingens[1] terrarum portentum, L. Marcio[2], Sex. Julio Coss. in agro Mutinensi. Namque montes duo inter se concurrerunt, crepitu maximo assultantes recedentesque, inter eos[3] flamma fumoque in cælum exeunte interdiu, spectante e[4] via

13. *Alter motus alteri renititur.* Idem est, quod supra dixit: « Alterno pulsu renitente. » Ed.

14. *Undantis.* Non undulati tantum, ut supra; sed vehementer fluctuantis. Ed.

15. *Fluctus more.* Chiffl. *fluctuum more.* Ed.

16. *Desinunt autem.* Reliqua prorsus ad verbum Aristoteles habet, loc. cit. Hard.

LXXXV. 1. *Ingens.* Ingentius multo quod contigisse fertur sæculo hoc ineunte, non procul Lima in Peruvia: terræ motus scilicet, quo non est proditus immanior. Furnerius, Hydrog. lib. IV, cap. 18, sic illum describit, ut urbes, montes, flumina omnia, susdeque, horæ octante perversa eo fuisse dicat: et tractu quidem leucarum trecentarum secundum littus, septnaginta in continentem; Seneca interim falso pronunciante, nunquam terræ motum ultra millia passuum ducenta extendi. Hard.

2. *L. Marcio, Sex. Julio.* Anno U. C. DCLXIII. Hard.

3. *Inter eos.* Vet. *interea.* Dalec. — Antecessere quoque alia prodigia, quæ videre est apud D. Augustinum de Civitate Dei, III, 23, et Orosium, V, 18. Cuncta animalia, humanis usibus subdita, canes, equi, asini, boves etc. subito efferata, libera vagabantur, neque dominorum patiebantur accessum. Inde conjicere est, quam tetro odore afflati fuerint vapores. Brot. — Rursum hic vides vulcaniæ eruptionis indicia, quæ tamen oppositos sibi obices omnino perfringere non valuerit. Similis causa plerosque terrarum motus parit. Animalium terror, ab Augustino et Orosio memoratus, non tam vapori per aera diffuso, quam electricæ commotioni imputandus videtur. Confer notas superiores. Ed.

4. *E via Æmilia.* Arimino Mediolanum atque inde longo circuitu Aquileiam perducebat hæc via,

Æmilia magna equitum[5] Romanorum, familiarumque, et viatorum multitudine. Eo concursu villæ omnes elisæ; animalia permulta, quæ intra fuerant, exanimata sunt: anno ante sociale bellum[6], quod baud scio an funestius terræ ipsi[7] Italiæ fuerit, quam civilia. Non minus mirum ostentum et nostra cognovit ætas, anno[8] Neronis principis supremo, sicut in rebus ejus exposuimus[9], pratis oleisque intercedente via publica in contrarias sedes[10] transgressis, in agro Marrucino, prædiis Vectii[11] Marcelli equitis Romani, res[12] Neronis procurantis.

LXXXVI. (LXXXIV.) Fiunt simul[1] cum terræ motu et inundationes maris, eodem[2] videlicet spiritu infusi, ac terræ[3] residentis sinu recepti. Maximus terræ memoria

anno U. C. DLXVII, a M. Æmilio Lepido consule strata; iter erat per Bononiam et Mutinam: ex longo hujus viæ tractu facile Apennini juga conspiciuntur. Ed.

5. *Equitum Romanorum*, etc. Cur equitum præcipua fit mentio? Forte quod illorum testimonio plus inesse fidei credidit Plinius. Deinde pro *familiarum* legebat Menagius *famulorum* eodem sensu; pro *viatorum*, vet. apud Dalec. *uxorum*. Ed.

6. *Sociale bellum*. Idem Marsicum bellum appellatum, quod a Marsis primum concitatum fuerit. Adeo formidolosum et exitiale Italiæ, ut nec Hannibalis, nec Pyrrhi fuerit tanta vastatio, inquit Florus, a quo fuse illud describitur, lib. III, cap. 18. Vide etiam Appianum, lib. I, Civil. pag. 371. Hard.

7. *Terræ ipsi*. Dalec. et Elz. *ipsi terræ*. Intellige: terræ ipsi, in qua hoc prodigium exstitit. Ed.

8. *Anno*. Post U. C. DCCCXXI. Post Christum, 68. Ed.

9. *Exposuimus*. In libris historiarum, quos a fine Aufidii Bassi composuit, ut in præfatione dictum. H.

10. *In contrarias sedes*. Vertente quippe se terra, circumacto turbine, ut olim in Romanis theatris scena vertebatur. Difficile est hoc credere. Visi sunt quidem aliquoties agri in clivo positi repentina ruina super inferiores labi. Simile quid in Marrucino agro evenisse videtur, quæ Samnitium agri pars est Apennino contigua. Ed.

11. *Vectii Marcelli*. Repetit hoc rursum, lib. XVII, cap. 38. H.

12. *Res Neronis*. Notandum, alias res Neronis, alias res fuisse Imperii sive Reipublicæ. Hard. — Confer notas ad Plinii vitam, qui et ipse hoc munus gessit. Ed.

LXXXVI. 1. *Fiunt simul*. Sic Arist. Meteorol. lib. II, cap. 8. H.

2. *Eodem videlicet spiritu infusi*. Hypallage est: «Infusum mare spiritu,» id est, infuso spiritu turgescens. Ed.

3. *Ac terræ*. Dalec. et Elz. *aut terræ*. Hinc, ait, inflatur et exun-

mortalium exstitit motus, Tiberii Cæsaris[4] principatu, XII urbibus[5] Asiæ una nocte prostratis. Creberrimus Punico bello[6], intra eumdem annum[7] septies atque quinquagies nunciatus Romam. Quo quidem anno ad Trasymenum lacum dimicantes, maximum motum[8] neque Pœ-
5 ni sensere, nec Romani. Nec vero simplex malum, aut in ipso tantum motu periculum est; sed par aut majus ostento[9]. Nunquam urbs Roma tremuit, ut non futuri eventus alicujus id prænuncium esset.

1 LXXXVII. (LXXXV.) Eadem nascentium causa terrarum est, quum idem ille[1] spiritus attollendo potens solo, non valuit erumpere. Nascuntur enim nec fluminum tantum invectu, sicut Echinades[2] insulæ ab Acheloo[3] amne con-

dat mare; illinc desidens terra ejus undas accipit. Ed.

4. *Tiberii Cæsaris principatu.* Anno U. C. DCCLXX, J. C. 17. Brot.

5. *XII urbibus.* Meminit Strabo, lib. XII, pag. 57. Tacitus, Annal. l. II, c. 47: « Eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ, nocturno motu terræ, quo improvisior graviorque pestis fuit... Asperrima in Sardianos lues, plurimum in eosdem misericordiæ traxit: nam centies sestertium pollicitus Cæsar: et quantum ærario aut fisco pendebant, in quinquennium remisit. Magnetes a Sipylo proximi damno ac remediu habiti. Temnios, Philadelphenos, Ægeatas, Apollonidienses, quique Mosteni, atque Macedones Hyrcani vocantur, et Hierocæsarcam, Myrinam, Cymen, Tmolum, levari idem in tempus tributis, etc. » Exstant Tiberii Cæsaris nummi, monimentum liberalitatis in afflictas urbes: quibus nummis inscriptum: CIVITATIBUS ASIÆ RESTITUTIS. His duodecim urbibus Ephesum addit Eusebius in Chronico. Hard.

6. *Punico bello.* Secundo, de quo Florum vide, lib. II, cap. 6. Hard.

7. *Intra eumdem annum.* Post U. C. DXXXVII, ante Christum 217, quo ad Trasymenum victi sunt Romani. Ed.

8. *Maximum motum.* Hujus meminit Florus loc. cit. Hard.

9. *Ostento.* Dalec. et Elz. *ostentum*, repugnantibus Vett. et Chiffl. Præsagiis, inquit, quam ipsa clade, sæviores sunt terræ motus. Ed.

LXXXVII. 1. *Quum idem ille.* Ita Seneca, Natur. Quæst. lib. VI, cap. 21. Hard.

2. *Echinades.* Nunc *Cursolari* vel *les Cursolaires*. Brot.

3. *Ab Acheloo.* Strabo, lib. I, pag. 59, ex Herodoto, et lib. X, pag. 458, affirmat pariter Acheloo limum aggerente, ex Echinadibus alias esse jam continenti adjunctas, alias etiam progressu temporis adjungendas. Et ante eum Herodotus, lib. II, pag. 93. Hard.

gestæ; majorque pars Ægypti a Nilo, in quam a [4] Pharo insula noctis et diei cursum fuisse, Homero [5] credimus: sed et recessu maris, sicut eidem [6] de Circeiis. Quod accidisse et in Ambraciæ [7] portu decem millium passuum intervallo; et Atheniensium, quinque millium, ad Piræeum [8], memoratur; et Ephesi, ubi quondam ædem Dianæ alluebat [9]. Herodoto quidem [10], si credimus, mare fuit supra Memphim usque ad Æthiopum montes; itemque a planis [11] Ara-

4. *A Pharo.* De Pharo dicemus, lib. V, cap. 34. HARD.

5. *Homero.* Sic etiam Aristot. Meteorol. lib. I, 14, et Mela, lib. II, cap. 7. Ægypti partem illam, quæ Delta vocatur, aggestione limi Niliaci factam esse plerique veterum putarunt, Homero (ut putant) duce, Odyss. IV, v. 354:

Νῆσος ἔπειτά τίς ἐστι πολυκλύστῳ ἐνὶ πόντῳ
Αἰγύπτῳ προπάροιθε (Φάρον δέ ἑ κικλήσκουσι)
Τόσσον ἄνευθ', ὅσσον τε πανημερίη γλαφυρὴ νηῦς
Ἤνυσεν, etc.

Quæ sic reddidit Lucanus, X, 409:

Tunc claustrum pelagi cepit Pharon: insula quondam
In medio stetit illa mari, sub tempore vatis
Proteos; at nunc est Pellæis proxima muris.

Seneca, Natur. Quæst. lib. VI, cap. 6: « Tantum enim, si Homero fides est, aberat a continenti Pharos, quantum navis diurno cursu metiri plenis lata velis, etc. » Et lib. IV, cap. 2: « Debet Ægyptus Nilo non tantum fœcunditatem terrarum, sed etiam ipsas. » Hoc commentum refellunt eruditi hoc argumento: nam si Pharos ab ora Ægypti et Nili ostio tanta intercapedine distabat, atque hoc, quantum est intra annos mille ab excidio Trojæ ad conditam Alexandriam, quomodo deinceps intra longius spatium nihil est ei limi aut terrarum additum? Risit jamdudum Strabo, lib. I, p. 30. H. — Commentum quidem est, tantum limi a Nilo fuisse aggestum. At aggestam fuisse magnam limi vim, quotidieque aggeri, certissimum est. BROT.

6. *Sicut eidem.* Subintellige: Homero credimus. Plinius, lib. III, cap. 9: « Circeti quondam insula, ut creditur Homero. » HARD. — Circeiorum memoria manet in monte *Circello* prope Terracinam. BROT. — Mons iste super immensam paludum Pomptinarum planitiem adhuc insulæ similis eminet. ED.

7. *Ambraciæ.* In Molosside, Epiri parte, sita, ubi fere nunc *Arta*. ED.

8. *Ad Piræeum.* Ita Strabo, lib. I, pag. 58. De Piræeo Plinius ipse, lib. IV, cap. 11. HARD.

9. *Alluebat.* Sub. mare. ED.

10. *Herodoto quidem.* Libro II, Euterpe, pag. 93, unde hæc Plinius: ibi enim de Epheso, Ægypto ac Memphi, Ilio, Teuthrania, Mæandrique campis, eadem referuntur. HARD.

11. *A planis.* Subdubito an legi debeat *in planis Arabiæ*, ex ipso quem allegat Herodoto. PINTIAN.

biæ : mare et circa Ilium, et tota Teuthrania[12], quaque campos[13] intulerit Mæander.

1 LXXXVIII. (LXXXVI.) Nascuntur et alio modo terræ, ac repente in aliquo[1] mari emergunt : velut paria[2] secum faciente natura, quæque hauserit hiatus, alio[3] loco reddente.

1 LXXXIX. (LXXXVII.) Claræ jam pridem insulæ, Delos[1] et Rhodos[2], memoriæ produntur enatæ. Postea minores, ultra Melon, Anaphe[3]: inter Lemnum et Hellespontum, Nea[4] : inter Lebedum[5] et Teon, Halone[6]: inter Cycladas,

12. *Teuthrania.* In Asia minore circa Phrygiam et Pergamum. De ea videsis infra, lib. V, cap. 33. Ed.

13. *Campos.* Fertilis illa planities in qua Mæander tot flexibus ludit lacus olim fuisse videtur, cujus aquis exitum aliquando nactis, in nodo ac molli fundo alveum sibi tortilem fodit fluvius. Ed.

LXXXVIII. 1. *Aliquo.* Vet. apud Dalec. *alto.* Ed.

2. *Velut paria.* Columella, lib. I, 8. : « Cum rationibus domini paria facere » famulum dixit, qui accepti et expensi rationes pares esse ostendit : qui quod aliunde accepit, alibi vel aliunde compensat. Seneca, Ep. XIX : « Poteram tecum hac Mæcenatis sententia parem facere rationem », hoc est, debitum omne exsolvere. Hard.

3. *Alio loco.* Sic proximam Lemno insulam, quam Chryseo vocant, mari absorptam esse Pausanias refert, in Arcad. lib. VIII, pag. 509, quo tempore enata alia est, Hiera nomine : de qua dicetur cap. sequente. Hard.

LXXXIX. 1, 2. *Delos et Rhodos.* Ammianus, lib. XVII, pag. 98 : « In Asia Delos emersit, et Hiera, et Anaphe, et Rhodus. » Vide etiam Pindarum in Olymp. ode 5. Hard.

3. *Anaphe.* Supra Theram insulam, non procul a Laconia, statuitur a Conone apud Photium in Bibl. cod. 186, pag. 456 : ἐν Ἀνάφῃ τῇ νήσῳ· αὕτη δ' ἐστὶν ὑπὲρ νήσου Θήρας, οὐχ ἑκὰς τῆς Λακεδαιμονίων. H. — Hodie *Nanfio*, haud procul a Creta. Plinius ultra Melon, hodie *Milo*, illam collocat, ultra, id est longius ab Europæ continente, quod verum est. Postea inter Melon et Anaphen, insula Thera exstitit, de qua mox fiet mentio. Ed.

4. *Nea.* Numero multitudinis Νέαι, *Neæ* vocantur ab Antigono Hist. Mirab. cap. 9, inter Lemniorum insulas. Stephano item, et Suidæ. Dicemus de ea iterum, lib. IV, cap. 23. Hard. — Non inter Lemnum et Hellespontum sitæ, sed australiores Lemno sunt Neæ, rupes potius quam insulæ, nunc vulgo dictæ *Agio strati.* Ed.

5. *Inter Lebedum.* Quanquam Salmasio magis arridet lectio Chiffletiani codicis, *inter Lesbum*, nihil tamen moveo contra fidem cæterorum, ut Reg. 2. etc. et vetustarum edd. quum præsertim hæc Halone

Olympiadis ςxxxv[7] anno quarto, Thera[8] et Therasia. Inter easdem post[9] annos cxxx, Hiera[10], eadem[11] quæ Automate. Et ab duobus stadiis post[12] annos cx, in nostro[13] ævo, M. Junio Silano, L. Balbo Coss. à. d. VIII, Idus Julias, Thia[14].

rursum a Plinio memoretur, lib. V, cap. 38. Proxime Myonnesum quam Stephanus, pag. 477, statuit inter Lebedum et Teon, μεταξὺ Τέω καὶ Λεβέδου. Hard.

6. *Halone.* Hodieque *Aloni.* Brot.

7. *Olympiadis CXXXV, anno IV.* Atqui longe Thera insula ante hanc olympiada exstitit, uti ex Herodoto constat, lib. IV, pag. 272, cæterisque. Hanc enim, Callisten antea nominatam Cadmus incolis frequentavit: Battus deinde Cyrenarum conditor tenuit. Similis est Senecæ lapsus, qui Therasiam Valerio Asiatico iterum consule prodiisse scribit, Natur. Quæst. lib. II, cap. 26, et lib. VI, cap. 21, hoc est Claudii principatu. Meminit enim ejus insulæ Strabo, qui dudum ante obierat, l. X, p. 484. H.

8. *Thera et Therasia.* Thera nunc *l'île de Santorin dans l'Archipel.* Theræ proxima est Therasia, *l'île d'Aspronisi.* De his insulis vide egregium opus, cui titulus, *Voyage pittoresque de la Grèce*, cap. 2, pag. 24. At quum Herodotus libr. IV, num. 147, Theram insulam memoret, manifestum est, eam exstitisse multo ante annum quartum Olympiadis cxxxv, seu annum urbis conditæ DXVII. At Plinius cum Herodoto conciliari facile potest, si quis attenderit duas esse in insula Thera partes, alteram antiquissimam, et, ut videtur, mundo æqualem, quæ nulla præ se fert incendii signa; alteram, quæ ex incendio erupit, et in qua manifesta sunt ignis indicia; ut ipse vidit oculatus testis P. Franciscus Richard: *Relation de ce qui s'est passé à Santorin*, pag. 22. Brot.

9. *Post annos CXXX.* Annus ille incidit in annum urbis conditæ DCXLVII, ante Christum 107: verum constat ex Justino XXX, 4, et Plutarcho, de Pythiæ oraculis, pag. 399, enatam esse illam insulam bello Macedonico, quum ad Cynocephalas pugnatum est adversus Philippum, quod contigit anno urbis conditæ DLVII, ante Christum 197. Crediderim Plinium scripsisse, *post annos XXXX.* Librarii vero scripsere *post annos CXXX.* Brot.

10. *Hiera.* Hiera, seu sancta insula, nunc *la grande Cammeni*, id est, *la grande île brûlée.* Brot.

11. *Eadem quæ Automate.* Sic Vet. apud Dalec. Harduinus cum cæteris *eademque*, pari sensu. Αὐτομάτη, Græce est, sponte nascens, ut Ἱερὰ, sacra. Ed.

12. *Post annos CX.* MS. Reg. 2, et editio princeps habent, *ab ea.* Br. —Immo fortasse *post annos CCXV.* Vide infra not. 14. Ed.

13. *In nostro ævo.* Chiffl. et Salmant. codd. *nostro æro.* Ed.

14. *Thia.* Thia, seu divina, insula, nunc *la petite Cammeni*, id est, *la petite île brûlée.* Si illa insula nata est sub consulibus M. Junio Silano et L. Balbo, ac proinde anno urbis conditæ DCCLXXII, Jesu Christi

(LXXXVIII.) Ante nos et juxta Italiam inter Æolias insulas[15]; item juxta Cretam emersit e mari MMD[16] passuum una cum calidis fontibus. Altera, Olympiadis[17] CLXIII anno tertio, in Tusco sinu; flagrans hæc violento cum flatu: proditurque[18] memoriæ magna circa illam multitudine piscium fluitante, confestim exspirasse, quibus ex his
3 cibus fuisset. Sic et Pithecusas[19] in Campano sinu ferunt ortas. Mox in his montem Epopon[20], quum repente flamma ex eo emicuisset, campestri æquatum planitie. In eadem et oppidum haustum profundo: alioque motu terræ stagnum[21] emersisse: et alio, provolutis montibus insulam exstitisse Prochytam[22].

19, inter natas Hieram et Thiam insulas, non CX, sed CXXV anni intercessere. Immo intercesserunt CXXXII anni, si, quod verisimillimum est, Thia insula eadem est, quæ a Seneca, Natural. Quæst. II, 26, et VI, 21, nata proditur Valerio Asiatico II, et M. Junio Silano consulibus, anno urbis conditæ DCCXCIX, Jesu Christi 46. Et forte erroris causa fuit similitudo nominis in M. Junio Silano consule. Nihil tamen affirmaverim, quum plurimæ ibi fuerint eruptiones, quales et postea fuere annis 726, 1427, 1573, et hoc quoque nostro sæculo anno 1707, quo inter Hieram et Thiam nova enata est insula. Brot. — Ut vero sibi constet Broterius, quum supra innuerit anno DLVII enatam esse Hieram insulam, necesse est inter utriusque ortum non CXXV aut CXXXII annos, sed CCXV intercessisse. Cæterum minime omnes harum insularum commotiones recensere voluit doctissimus vir, neque omnes scire fas est. Anno etiam 1607, Therasiam in duas divulsam esse partes meminit Ortelius a Gallico interprete citatus. Ed.

15. *Æolias insulas.* Æoliæ insulæ, nunc *les îles de Lipari* ante Siciliam. De iis vide cap. 110. Brot.

16. *MMD passuum.* Ita codices Reg. 2. Colb. 2. Tolet. etc. Editi, *M.D.* Hard. — Insulæ magnitudo, non distantia indicatur. Ed.

17. *CLXIII.* Ita laudati codd. Editi, præpostere, *CXLIII.* Hard.

18. *Proditurque.* Rem plane similem accidisse in Caria prope Lorima urbem Seneca refert, Nat. Quæst. lib. III, cap. 19. Hard.

19. *Pithecusas.* Consentit Strabo, lib. IV, pag. 258. Hard. — Pithecusæ, nunc *l'île d'Ischia.* Brot.

20. *Epopan.* Idem Strabo, lib. V, pag. 248, ex Timæo refert τὸν Ἐπωπέα λόφον motu terræ concussum, ignes evomuisse, et quidquid erat medium inter mare et ipsum, rursus ad mare perpulisse. Campestri æquatum planitie non dicit. H.

21. *Stagnum emersisse.* Dubitat Ortelius in Thes. Geog. num *Statina* pro *stagnum* rescribi oporteat, ob eum P. Statii Silv. III, 5, 104, versum: Æonriæque lacus modicos, Statinasque renatas.

XC. Namque et hoc modo insulas rerum natura fecit. 1
Avellit Siciliam[1] Italiæ, Cyprum Syriæ, Eubœam[2] Bœotiæ, Eubœæ[3] Atalanten et Macrin[4], Besbycum[5] Bithyniæ, Leucosiam[6] Sirenum promontorio.

XCI. (LXXXIX.) Rursus abstulit insulas mari, junxitque 1
terris : Antissam[1] Lesbo, Zephyrium[2] Halicarnasso,

Venere in camdem suspicionem ante eum Scaliger et Longolius, et *stativas* ii reponi malunt : sed nocet conjectoribus nimia quandoque eruditio. Ego ab exemplaribus MSS. Reg. 1. Colb. 2 etc. vetustisque libris, quos vidi, minime discedendum aio. Triplicem terræ motum a Plinio numerari in una eademque insula : oppidum hiatu haustum, primo; altero, stagnum emersisse; postremo, montes provolutos, Prochytamque natam. Nam a Pythecusis Prochytam fuisse avulsam, auctor est Strabo, lib. V, pag. 247 : νῆσος ἡ Προχύτα, Πιθηκουσῶν δ' ἐστιν ἀπόσπασμα. HARD.

22. *Prochytam.* Prochyta, nunc *l'ile Procida.* Vide not. sup. ED.

XC. 1. *Siciliam.* Hoc et Seneca credidit, Natur. Quæst. l. IV, c. 29. Ovidius, Metam. lib. XV, v. 290 :

Zancle quoque juncta fuisse
Dicitur Italiæ ; donec confinia pontus
Abstulit, et media tellurem reppulit unda. H.

2. *Eubœam.* « Eubœa et ipsa avulsa Bœotiæ, » inquit Plinius, IV, 21. H.

3. *Eubœæ Atalanten.* Quum antea Chersonesus esset, isthmo vi maris abrupto, ex peninsula factam esse insulam Atalanten, scribit etiam Diodorus, lib. XII, pag. 111, et Strabo, lib. I, pag. 60. Ait autem Thucydides, lib. III, pag. 233, Atalanten insulam, inundatione subita, quæ Olympiade LXXXVIII contigit, totam aquis fuisse superfusam; igitur ante id tempus insula fuit. Quod etiam repetit, lib. II, pag. 119, ubi in ea insula, νήσῳ, munimentum sit fuisse, præsidiumque Atheniensium. Seneca Thucydidem legerat, qui ex eo refert Natur. Quæst. lib. VI, cap. 24 : « circa belli Peloponnesiaci tempus Atalanten insulam aut totam, aut certe maxima ex parte superfusam. » H.

4. *Macrin.* Insula hoc nomine designata creditur, Sunio proxima, ab Eubœa vero distantior, hodie *Elena.* Parum ergo verisimile est, quod de illa narrat Plinius. Macris quoque videtur totius Eubœæ nomen aliquando fuisse; item Icari, apud ipsum Plinium, IV, 12; item Chii, ibidem, V, 31; et aliarum fortasse insularum quæ forma erant oblonga. Hoc enim græce ipsum nomen significat. ED.

5. *Besbycum.* Insula Bithyniæ, in Propontide, de qua Plinius lib. V, sub finem. ED.

6. *Leucosiam.* Ita Strabo, lib. VI, p. 258. HARD. — Leucosia Sirenusæque insulæ, nunc *Gallina* et *Galli*, ante insulam Capreas, *Capri*, in sinu Neapolitano. BROT.

XCI. 1. *Antissam.* Ovidius, Metam. lib. XV, v. 287 :

Fluctibus ambitæ fuerant Antissa, Pharosque,
Et Phœnissa Tyros, quarum nunc insula nulla est.

Æthusam[3] Myndo, Dromiscon et Pernen[4] Mileto, Narthecusam Parthenio[5] promontorio. Hybanda[6], quondam insula Ioniæ, ducentis nunc a mari abest stadiis. Syrien[7] Ephesus in mediterraneo[8] habet; Derasidas et Sophoniam vicina ei[9] Magnesia. Epidaurus et Oricum[10] insulæ esse desierunt.

1 XCII. (XC.) In totum abstulit terras: primum omnium, ubi Atlanticum mare est, si Platoni[1] credimus, immenso

Vide etiam Strabonem, lib. I, pag. 60, ubi hoc ipsnm ex Myrsili relatu probat. HARD.

2. *Zephyrium*. Unde, juneto terria Zephyrio, id nomen etiam Halicarnasso ipsi bæsit, cui annexum fuit: Ζεφύριον, ἡ Ἁλικαρνασσὸς τῆς Καρίας, inquit Steph. pag. 288. Straboni, lib. XI, pag. 656, est Ζεφύρα. H.

3. *Æthusam*. Id est, ardentem: eognomen aptum Vuleaniæ insulæ. Myndus, hodie *Mindes*, in isthmo Cariæ, non proeul Halicarnasso. E.

4. *Pernen*. Scribendnm *Prienem* ex Strabone, qui ait: Prienem urbem maritimam invectu Mæandri fluminis, inter ipsam Miletumque labentia, mediterraneam esse faetam. Nam Perne in Thracia erat Stephano, contra Thasnm insulam. HERMOL. — *Pernen*, codd. MSS. nec placet nobis *Prienen* hujus vocabuli viee reponi, sed Barbaro tamen placet. HARD.

5. *Narthecusam Parthenio*. In chersoneso Taurica Parthenium promontorium, nnnc *Eski - fouroun*. BROT. — Ortelius legendum pntabat *Artemisiam*: quod Narthecusa ait insula Rhodo vicina, Plin. V, 36. ED.

6. *Hybanda*. Loeus nune ignotns. Quod Pliniua ait, insulam olim Ægæi maris fuisse, quæ suo jam tempore cc stadiis, id est, oeto fere leueis nostratibus, in terras processisset, vix eredibile est. ED.

7. *Syrien*. De Syrie et Derasidis, rursum lib. V, cap. 31. HARD.

8. *In mediterraneo*. Sic vet. apud Dalec. Sie quoque Elzeviriana editio. Cæteri legunt *in mediterranea*, eodem sensu, id est in continente; sed Plinius alias quoque *in mediterraneo* scripsit, ut lib. III, cap. 3, et alias. ED.

9. *Vicina ei*. Nempe Epheso. Nam de Magnesia Mæandri hic agitur; non de altera Magnesia quam Hermus alluit, in eadem Asiæ parte, sed magis ad septemtrionem. ED.

10. *Epidaurus et Oricum*. Epidaurus, hodie *le vieux Raguse*, *Ragusi vecchio*; *Oricum*, hodie *Orso*: utraque in Hadriatici maris littore; vide infra lib. III, cap. 26. ED.

XCII. 1. *Si Platoni*. In Timæo, p. 25: ubi insulam ait ad columnas Herculis olim exstitisse, Atlanticam cognominatam, opibus, imperioque Europæ et Africæ præpotentem, ipsa Libya Asiaque majorem, ex qua ad alias insulas, mox ad continentem ex adverso hujus orbis nostri quem colimus, trajeetus facilis foret; eamdem porro post ingentes terræ motus, et eluviones

spatio. Mox interno[2], quæ[3] videmus hodie, mersam Acarnaniam Ambracio sinu, Achaiam Corinthio, Europam Asiamque Propontide et Ponto. Ad hoc perrupit mare Leucada[4], Antirrhium[5], Hellespontum[6], Bosphoros[7] duos.

aquarum, unius dici spatio haustam fluctibus insulam videri desiisse: nunc immenso ibi interfuso pelago haud facile perviam esse ad Antichthonas viam. Eadem Strabo refert de Atlantide ex Platone, lib. II, pag. 102. Sed hæc esse fabulis propiora, quam ut iis immorandum sit, nemo prudens non subodoratur. Meminit etiam Tertullianus hujus Platonicæ sententiæ in Apolog. cap. 40. Plinius autem non ex Timæo, sed ex opere Platonis quod intercidit, accepisse istud videtur, quod hic ex Platone refert: neque enim insulam, ut in Timæo dicitur, absorptam Plinius dicit, sed *terras*; hoc est, ut vocem eam intelligit cap. superiore, partem continentis. Hard. — In immenso Atlantici maris spatio, quod memoravit Plato in Timæo, cognoscere est veterem Americæ aut notitiam aut famam; sed omnia fabulis ita miscuit, ut et de America, et de Judæa vetereque Judææ statu, intelligi debeat. Brot. — Confer, si vacat, Kircheri Mundum Subterraneum, lib. II, cap. 12: is hodiernas insulas, *les Canaries et les Açores*, continentis Atlantici reliquias esse putat, speciosa quidem conjectura. Cellarius tamen, et post eum magna pars eruditorum, rectius, ut opinor, meras fabulas a Platone narrari crediderunt. Cæterorum et suas opiniones fusius exponunt Bailly in epistolis de Atlantide; La Martinière et Mentelle, in suo uterque dictionario. Ed.

2. *Interno.* Id est, Mediterraneo mari: Ed.

3. *Quæ.* Vet. apud Dalec. *quo.* Chiffletii cod. *hodieque videmus.* Ed.

4. *Leucada.* Ovidius, Metamorph. XV, v. 289: « Leucada continuam veteres habuere coloni, Nunc freta circumeunt. » Strabo quoque, lib. I, pag. 59, Leucadem ait factam insulam, Corinthiis isthmum exscindentibus. Adversarine igitur sibi Plinius, et Straboni, existimandus est, qui lib. IV, cap. 2, fateatur Leucadem, non mari irrumpente, sed opere accolarum abscissam esse a continente? Minime sane. Bis potius continenti redditam fateamur. Nam Livius, XXXIII, 17, diserte testatur, belli etiam Philippici tempore pæninsulam fuisse: quæ tamen Strabonis Liviique ipsius ævo insula fuit. Hard. — Hodie *l'île de sainte Maure*, in mari Ionio. Ed.

5. *Antirrhium.* A Rhio divisum quinque stadiorum freto, ut ait Strabo, lib. VIII, pag. 335. Vide quæ dicturi sumus lib. IV, cap. 3. Hard. — Hodie *le château de Romélie*, in anteriori parte Corinthiaci sinus. Brot.

6. *Hellespontum.* Stratonis physici ea sententia fuit, referente Strabone, lib. I, pag. 49: Euxinum mare non fuisse olim cum Ægæo conjunctum; sed viam vi aquarum factam. Hard. — Hodie, *le détroit des Dardanelles.* Ed.

7. *Bosphoros duos.* Quorum alter Thracius, *le canal de Constantinople;*

1 XCIII. (XCI.) Atque ut sinus et stagna prætercam, ipsa se comest[1] terra: devoravit Cybotum altissimum montem, cum oppido Curite[2]; Sipylum[3] in Magnesia, et prius in eodem loco clarissimam urbem, quæ Tantalis vocabatur; Galanis et Gamales[4] urbium in Phœnice agros cum ipsis; Phegium[5] Æthiopiæ jugum excelsissimum: tanquam non infida[6] grassarentur et littora.

1 XCIV. (XCII.) Pyrrham et Antissam[1] circa Mæotim pontus abstulit; Elicen[2] et Buram in sinu[3] Corinthio,

alterCimmerius, *le détroit de Caffa*, vulgo *le détroit de Zabache*. BROT.

XCIII. 1. *Ipsa se comest terra.* Sic Harduinus e Chifletii codice. Dal. et Elz. *ipsa se condens terra devoravit*, etc. Vet. apud Dalec. *ipsa quæ se comest terra.* ED.

2. *Oppido Curite.* Illo fortassis, quod Curopolim Cariæ Stephanus appellat, pag. 382. Sed Reg. 1, 2, Colb. 2, habent *Carite;* Chiffl. *Curice.* HARD.

3. *Sipylum.* Sipylum eversam terræ motu, regnante Tantalo, Strabo quoque prodidit, lib. I, pag. 58, et ante eum Arist. Meteorol. lib. II, cap. 8. HARD.

4. *Galanis et Gamales.* In Reg. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. etc., *Galenes et Galames:* quæ lectio fortassis est potior quam edita. Aut certe de alia Gamale accipiendum illud est, quam de qua agitur lib. V, cap. 14. Geminam Josephus agnoscit: prope Jordanem alteram, alteram haud procul Carmelo. HARD.

5. *Phegium Æthiopiæ.* Locus nunc ignotus. ED.

6. *Tanquam non infida*, etc. Perinde ac si damna tantum in medio terrarum sentirentur, atque non ipsa etiam grassarentur maris littora, terrasque sorberent. HARD. — Transitus est ad proximam sectionem, in qua de urbibus agetur vicino mari absorptis. ED.

XCIV. 1. *Pyrrham*, etc. Cave de Pyrrha et Antissa accipias, Lesbi insulæ oppidis, de quibus V, 39. H.

2. *Elicen et Buram.* De his urbibus rursum dicetur lib. IV, cap. 6. Ovid. Metam. lib. XV, vers. 293:

Si quæras Elicen, et Burin, Achaidos urbes, Invenies sub aquis: et adhuc ostendere nautæ Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis.

De harum urbium subversione scripsit libros integros Callisthenes ille, quem Alexander M. occidit, ut refert Seneca, Natur. quæst. lib. IX, cap. 23. Vide etiam Arist. lib. de Mundo, cap. 4, et Strabon. I, pag. 59. Contigit hæc clades biennio ante pugnam Leuctricam. HARD.

3. *In sinu Corinthio.* Chiffletii codex, *sinus Corinthius;* non male, primo aspectu: Elicen enim et Buram Pontus Euxinus non abstulit. Sed nec insulæ Ceæ littora sinus Corinthius. Quare potius quam aliquid innovetur, aut mendum mendo substituatur, nomen *pontus* generaliter pro *pelago* seu *mari* accipiendum est, raro tamen hujus vocabuli usu apud Plinium. ED.

quarum in alto vestigia apparent. Ex insula Cea[4] amplius triginta millia passuum abrupta subito cum plurimis mortalibus[5] rapuit. Et in Sicilia dimidiam Tyndarida[6] urbem, ac quidquid ab Italia[7] deest. Similiter in Bœotia[8] et Eleusina.

XCV. (CXIII.) Motus enim[1] terræ sileantur, et quid- 1
quid est[2], ubi saltem busta urbium[3] exstant : simul ut terræ miracula potius dicamus, quam scelera naturæ. Et hercule non cælestia enarratu difficiliora fuerint. Metallo- 2
rum opulentia tam varia, tam dives, tam fœcunda, tot

4. *Cea.* Hoc Plinius iterum lib. IV, cap. 10. Hinc fortasse Tertullianus fuerit emendandus, in Apologet. cap. 4, quum ait : « Legimus et Delon et Rhodon et Co insulas multis cum millibus hominum pessum abiisse. » Nam de Ceo insula non de Co, quæ patria Hippocratis est, relatum id ab historicis memini. HARD. — Insula Ceos nunc est *l'île de Zia, dans l'Archipel.* BROT.

5. *Mortalibus.* Ita Reg. 1, 2. Colb. 2, Chiffl. etc. Editores reposuerant, *mortalium.* HARD. — In Ms. Regio 5, *pluribus mortalibus.* BROT.

6. *Tyndarida.* Nam quum radices urbis, inquit Fazellus, decad. 1, lib. IX, cap. 7, maris fluctibus impeterentur, sæviente hieme, undisque supra solitum irruentibus, a cætera urbe ea pars divulsa, disjectaque, cum habitatoribus in pelagus repente prolapsa est: cujus vorago ingens ac horrenda adhuc cernitur. HARD.

7. *Ab Italia.* Spatium intelligit, fretumve, quo Sicilia nunc ab Italia dispescitur. Hinc Rhegio nomen, ut dicetur lib. III, cap. 14. Vide Strab. lib. I, p. 60. Seneca, Natur. quæst. lib. VI, cap. 29 : « Hac inundatione, quam poetarum maximi celebrant, ab Italia Sicilia rejecta est. » HARD.

8. *In Bœotia et Eleusina.* Hallucinatur Ammianus, lib. XVII, pag. 98, quum Eleusin Bœotiæ civitatem inter eas urbes enumerat, quæ terræ motu emerserunt : quum inter eas locum habeat, quæ diluvio pessum abierunt, ut præter Plinium auctor est Pausanias in Bœot. lib. IX, et Strabo, lib. IX, pag. 107. H. — Deest in Chiffl. vocula *et.* ED.

XCV. 1. *Enim.* Transitio est, referturque ad ultima verba penultimi capitis. Ibi enim, quum docuisset terræ motibus absorptas fuisse urbes plurimas, addidit non soli terræ imputandas esse hujusmodi clades, et mare etiam littora comedere. . . . Nam quid, inquit, terram incusemus rarius et minus nocentem, quum potius celebranda sint tot ejus miracula, etc. ! ED.

2. *Quidquid est.* Quidquid mali efficitur. ED.

3. *Busta urbium exstant.* Busta, id est, reliquiæ, ruinæ, quæ vulgo terræ motibus supersunt, quum ex urbibus inundatione deletis ne vestigia quidem remaneant. Post *exstant*, Vet. apud Dalec. addebat

sæculis suboriens[4], quum tantum quotidie orbe toto populentur ignes, ruinæ, naufragia, bella, fraudes, tantum vero luxuria, et tot mortales conterant : gemmarum pictura tam multiplex, lapidum tam discolores maculæ, interque eos, candor[5] alicujus, præter lucem omnia excludens: medicatorum fontium vis: ignium[6] tot locis emicantium perpetua tot sæculis incendia : spiritus letales alibi[7], aut scrobibus[8] emissi, aut ipso loci situ mortiferi, alibi[9] volucribus tantum, ut Soracte[10], vicino Urbi tractu; alibi, præter hominem[11], cæteris animantibus; non-

verbnm satis inutile, *sepultarum*. Ed.

4. *Suboriens*. Renascens. Ed.

5. *Candor alicujus*. De phengite lapide loquitur, de quo uberius, lib. XXXVI, cap. 46. Hard.

6. *Ignium tot*. Ætnæ, ac Vesuvii. Adde Heclam in Islandia, aliosque prope innumeros, quorum Maffeus, et alii rerum Indicarum scriptores meminerunt. Hard.

7. *Alibi*. Hic et infra non semel Chiffl. codex, *aliubi*. Ed.

8. *Scrobibus*. Aut quum terra fossis excavatur, ut in Pomptina palude; aut per naturales hiatus. Ed.

9. *Alibi volucribus*. Seneca, Natur. quæst. lib. VI, cap. 28 : « Quid quod pluribus Italiæ locis, per quædam foramina pestilens exhalatur vapor, quem non homini ducere, non feræ tutum est ? Aves quoque in illum inciderint . . . . . in ipso volatu cadunt, liventque corpora, et non aliter quam per vim elisæ fauces tument. » Hard.

10. *Ut Soracte*. Hodie, *Monte S. Oreste*, in provincia Patrimonii S. Petri. Ibi spelunca halitum pestiferum emittens, teste Servio in eum Virgilii locum, Æn. XI, 785 : « Summe Deum, sancti custos Soractis Apollo. » Hard.—Distat fere XXVIII millibus passuum ab urbe Roma. Br. — Factum minus credibile narrat Plinius, nec simile quidquam de Soracte referunt hodierni scriptores. Forte caverna ibi aliqua fuerit, unde recta quasi columna spiritus sulphureus ac pestilens in auras exibat, avibus, ut putabatur, si quæ supervolassent, letalis : quod et de Averno poetæ canunt, sed fabulose, ut experientia compertum est. Ed.

11. *Præter hominem*. Prope Neapolim spelunca est angusta, vulgo *Grotta del Cane* appellata, quod in eam conjecti canes omni motu sensuque destituantur illico, donec vicinæ aquæ immersi, quasi spiritum vitamque recuperent : nec quidquam homini tamen halitus nocet. De hujusmodi exspirationibus noxiis, multa erudite Cæsius lib. I, de mineral. cap. 7, sect. 12. Hard. — Id eo fit, quod e solo vapor gravis exsudetur, graviorque idem, quo terræ propior. Canibus igitur et humilibus bestiis nocet; homini propter altiorem staturam parcit, qui tamen prostratus, æque, ut cæteri animantes, afficeretur. Istud vero apertissime in hac, ut vocant,

nunquam et homini, ut in Sinuessano agro et Puteolano[12] spiracula vocant, alii Charoneas[13] scrobes, mortiferum spiritum exhalantes; item in Hirpinis Amsancti[14] ad Me- 3
phitis[15] ædem, locum, quem qui intravere, moriuntur; simili modo[16] Hierapoli in Asia, Matris tantum Magnæ sacerdoti[18] innoxium: alibi[19] fatidici specus, quorum exhalatione temulenti futura præcinunt, ut Delphis, nobilissimo oraculo. Quibus in rebus quid possit aliud causæ afferre[20] mortalium quispiam, quam diffusæ per omne naturæ subinde aliter atque aliter numen erumpens?

XCVI. (XCIV.) Quædam[1] vero terræ ad ingressus tre- 1

Canis Spelunca, manifestum est: faces enim, quæ sub fornice flagrabant, solo admotæ exstinguuntur; earumque vapor, inæqualiter densatus, sævum, halitum non uno pede altius exsurgere, oculis prodit. Ed.

12. *Puteolano.* Harduinus post id verbum sententiam clausit. Ed.

13. *Charoneas.* Χαρώνεια βάραθρα mortifero spiritu quem exhalant, vitam homini eripere scribit et Galenus, l. VII, de usu partium, c. 8. H.

14. *Amsancti.* Virgilius, Æneid. VII, vers. 563 et sqq.

Est locus Italiæ in medio, sub montibus altis,
Nobilis et fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus....
Hic specus horrendum, sævi spiracula Ditis
Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago, etc.

Meminit hujus pestiferæ terrarum partis Cicero, de Divin. lib. I. Hard.

15. *Ad Mephitis.* Ita codices Mss. omnes: etsi dubitet Hermolaus, num *Ditis* reponi oporteat. Mephitis ipsa Juno est, aeri corrupto præsidens, cui templum excitatum apud Cremonam auctor est Tacitus, Hist. III, cap. 33. Hodie locus ipse Amsancti, Mephitis retinet nomen, *Mufiti*. Ipsa vero Mephitis interdum pro putore sumitur, ut pro igne Vulcanus, Juppiter pro aere. Ita Virgilius, Æn. VII, vers. 84: « sævamque exhalat opaca mephitim. » Hard.

16. *Simili modo.* Hoc etiam refert Arist. vel quisquis est auctor libri de Mundo, cap. 4. Hard.

17. *Hierapoli.* Refert hoc pluribus Strabo, lib. XII, pag. 579, et lib. XIII, pag. 629. Hard.

18. *Sacerdoti.* Ita Apuleius, lib. de Mundo. Innoxium quoque cæteris exsectis ac semiviris esse, tradunt Dio in vita Trajani, Damascius apud Photium in Bibl. cod. 242, pag. 1053, et Ammianus, l. XXIII. Hard. — Mirum, nisi hunc superstitiosum timorem sacerdotes profanis incusserant, ne quis in arcana eorum penetraret. Ed.

19. *Alibi fatidici.* Hæc totidem verbis Arist. loc. cit. Hard.

20. *Afferre.* Dal. et Elz. *efferre*. E.

XCVI. 1. *Quædam vero.* Ad ingressum ambulantium, et equorum

munt, sicut in Gabiensi[2] agro, non procul urbe Roma, jugera ferme CC, equitantium cursu: similiter in Reatino[3].

2 (XCV.) Quædam insulæ[4] semper fluetuant[5], sicut in agro Cæcubo[6], et eodem Reatino, Mutinensi, Statoniensi[7]. In Vadimonis[8] lacu, et ad Cutilias[9] aquas, opaca silva[10],

cursus, terræ quoque tremere sentiuntur in Brabantino agro, quæ Belgii pars, et circa S. Audomari fanum. H. — Et sæpe alias in paludosis, fundum instabilem ac spongiosum habentibus. Ed.

2. *Gabiensi.* Gabii, oppidum Italiæ, inter Præneste et Romam. Mill. — Hodie non exstat; locus *Campo Gabio* appellatur. Ed.

3. *Reatino.* Reate, urbs quondam Sabinorum Italiæ, hodie ditionis Ecclesiæ, *Rieti* appellata. Miller.

4. *Quædam insulæ.* Seneca, Nat. quæst. lib. III, cap. 25: « Sunt multi, inquit, lapides pumicosi et leves, ex quibus quæ constant insulæ, in Lydia natant. Theophrastus est auctor. Ipse ad Cutilias natantem insulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur: alia in lacu Statonensi. Cutiliarum insula et arbores habet, et herbas nutrit: tamen aqua sustinetur, et in hanc atque illam partem non tantum vento impellitur, sed et aura; nec unquam illi per diem et noctem in uno loco statio est: adeo movetur levi flatu. Huic duplex causa est: aquæ gravitas medicatæ, et ob hoc ponderosæ; et ipsius insulæ materia vectabilis, quæ non est corporis solidi, etc. » Tales insulas, quæ arbores habeant, quæ contis impellantur quo lubet, et in quibus pecudes et armenta pascantur, ad Fanum S. Audomari in Belgio, magna cum voluptate ipse spectavi. Quas vero Seneca se vidisse testatur, et Plinius hoc loco refert, earum hodie nulla fluctuat. De fluitantibus in Orchomeno, et Ægypto, vide Theophr. hist. lib. IV, cap. 13. Hard.

5. *Fluctuant.* Vet. apud Dalec. *fluitant*. Ed.

6. *Cæcubo.* Mons et parva regio Latii in Campaniæ confinio ad Sinum Caietanum. Mill. — Locum palustrem esse Martialis docet, lib. XIII, ep. 115: « Cæcuba Fundanis generosa coquuntur Amyclis, Vitis et in media nata palude viret. » Ed.

7. *Statoniensi.* In cod. Reg. 1, 2, et Chiffl. *Stationensi.* At Varro, lib. III, de Re rust. cap. 12, *Statonensem*: Plinius, lib. III, cap. 8, *Statones* accolas vocat. Hard. — Statonia, urbs Etruriæ, inter Armenitam et Martam flumina, quæ hodie, ut docti homines coujiciunt, *Castro* dicitur. Miller.

8. *In Vadimonis.* De eo lacu Livius, lib. IX, 39 et XII, 4; sed multa eleganter Plinius junior, lib. VIII, Epist. 20. Hodie *lago di Bassanello*, in Etruriæ parte, quæ Patrimonium D. Petri dicitur, milliaribus a Tiberi vix tribus. Hard.

9. *Ad Cutilias.* De his lib. III, cap. 17. Vide et Varronem lib. IV, de ling. Lat. H. — Sabinorum lacus in agro Reatino, dictus a Cutilia urbe sub lacum posita. Mill. — Hodie *Cotila*, non procul a *Città reale*. Ed.

10. *Silva.* Insulæ herbidæ, arun-

quæ nunquam die ac nocte[11] eodem loco visitur. In Lydia[12], quæ vocantur Calaminæ[13], non ventis solum, sed etiam contis, quo libeat, impulsæ, multorum[14] civium Mithridatico bello salus. Sunt et in Nymphæo[15] parvæ, Sal- 3
tuares[16] dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum moventur. In Tarquiniensi[17] lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt, nunc triquetram figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus; quadratam nunquam.

XCVII. (XCVI.) Celebre fanum habet Veneris Paphos[1], 1

dine et junco tectæ, ut ait Plinius de Vadimonis lacu, poetice *silva* diei potuere; forsitan etiam arbores ibi accreverant. Ed.

11. *Nocte*. Sic Chiffletii codex. Dalec. et Elz. *noctu*. Ed.

12. *In Lydia*. Martianus, lib. IX, cap. 1: «Nonne, inquit, ipsius vetustatis persuasione compertum, in Lydia Nympharum insulas dici, quas etiam recentior asserentium Varro se vidisse testatur: quæ in medium stagnum a continenti procedentes cantu tibiarum, primo in circulum motæ, dehinc ad littora revertuntur.» Locus Varronis quem laudat, est lib. III, de Re rust. cap. 17, ubi Fulvius Ursinus in notis, Sotionis fragmentum affert, hoc ipsum de iis insulis quæ sunt in lacu qui Calamina dicebatur, commemorantis. Ut inde liquest Calaminæ paludis, λίμνης Καλαμίνης partem aliquam ac veluti sinum fuisse Nymphæum, de quo mox Plinius, in quo exiguæ illæ, cæterisque minores, ad ictum pedum, qui in symphoniæ cantu fieri solet, moverentur. Hard.

13. *Calaminæ*. Elzev. *Salaminæ*, typographi lapsu. Ed.

14. *Multorum civium*. An quum Mithridates tot Romanorum millia per Asiam dispersa, uno die interfici jussit, anno post U. C. DCLXVI? Auctores et interpretes silent. Ed.

15. *Nymphæo*. Fortasse stagni nomen fuit. Martianus quidem ad Lydiam retulit. Mill. — Plinius, XXXI, 19, stagnum quoddam nympharum in Lydia collocat. Sed insulæ parvæ in Lydia quomodo latinum nomen *saltuares* vel *saliares* habuere? In Latio parvus fluvius a Plinio III, 9, Nymphæus appellabitur, hodie *la Nimpa*. Nymphæum autem in agro Apolloniatium, circa Aoum fluvium in Illyride Græca, mox dicetur, II, 110. Aliud, unde Tigris fluvius emergit, VI, 31. Aliud in Cilicia, V, 22. Videturque hoc nomen commune pluribus stagnis fuisse, præsertim aliquo miraculo notabilibus, aut ad fluviorum capita positis. Ed.

16. *Saltuares*. Cl. Salmasius, *saliares*. Mss. Reg. 1, 2, 5, Broterio teste, *saltares*. Ed.

17. *Tarquiniensi*. *Lago di Bracciano;* ab oppido proximo nomen habet, in Etruria. Hard.

XCVII. 1. *Paphos*. Urbs Cypri

in cujus quamdam aram[2] non impluit. Item in[3] Nea, oppido Troadis, circa simulacrum Minervæ. In eodem et relicta sacrificia non putrescunt[4].

1 XCVIII. Juxta Harpasa[1], oppidum Asiæ, cautes stat horrenda, uno digito mobilis : eadem, si toto corpore impellatur, resistens[2]. In Taurorum[3] pæninsula in civitate Parasino[4] terra est, qua sanantur omnia vulnera. At circa Asson[5] Troadis lapis nascitur, quo consumuntur omnia corpora : sarcophagus[6] vocatur. Duo sunt montes juxta

insulæ, poetis sæpe decantata. Vide Tacit. Histor. II, 2 et 3. Ed.

2. *Aram*. In omnibus libris editis *aream* legitur et in utroque Reg. cod. At in Chiffl. *aram*, prave; etiamsi Tacitus histor., lib. II, templum Veneris Paphiæ describens: « Sanguinem aræ, inquit, offundere vetitum : precibus et igne puro altaria adolentur; nec ullis unquam imbribus, quanquam in aperto, madescunt. » Hard. — Non prava igitur Chiffletiani codicis lectio, quam ipse secutus est Harduinus in textu, singulari sane inconstantia. Ed.

3. *In Nea*. Steph. pag. 487 : Νέα, κώμη καὶ φρούριον Φρυγίας. Hard.

4. *Non putrescunt*. Id in pluribus locis observatum, qualitate soli vel aeris cadavera incorrupta servari : idque maxime notabile est Kioviæ, in subterraneis specubus templi, ubi sanctorum corporum inviolata multitudo asservatur. Conditiones putredinis sunt duæ præsertim, humor et calor, quæ ubicumque absunt, inarescunt potius cadavera quam dissolvuntur. Ed.

XCVIII. 1. *Harpasa*. De eo oppido, lib. V, cap. 29. Hard.

2. *Resistens*. Hoc ita ut intelligo, minus admirabile est. Potest enim quanticumque ponderis moles, si perfecto stet æquilibrio in cardine tenui suspensa, parvo motu impelli; sed eadem potest, statim ubi impulsa est, obstaculum offendere quod nulla vis vincere queat. Ed.

3. *In Taurorum peninsula*. In Taurica chersoneso. Brot.

4. *Parasino*. Ita omnes codices MSS. librique editi : quorum ab auctoritate desciscere vix ausim, etsi eruditi quidam *in civitate Characena*, scribendum putent. Ptolemæo, lib. III, cap. 6, Παρώστα urbs est Tauricæ Chersonesi, eadem forte cum Parasino. Hard. — Lege *Characena*, nec quidquam dubita. Characeni, gens Taurica, memorantur a Plinio, IV, 6. Ed.

5. *Asson Troadis*. De qua libro V, cap. 32. Hard.

6. *Sarcophagus*. Quoniam corpora comest. Σὰρξ enim *corpus* seu *carnem*, φαγεῖν *comesse* sonat. Σαρκοφάγος λίθος Stephano, pag. 126, verbo Ἄσσος. Vide quæ dicturi sumus lib. XXXVI, cap. 27. In littore Veraguæ in America septemtrionali eamdem vim inesse arenis observarunt Hispani, ut testatur Herrera, lib. VIII, Decad. 1. Hard. — Sar-

flumen Indum : alteri natura est, ut ferrum[7] omne teneat,
alteri, ut respuat. Itaque si sint clavi in calceamento, vesti-
gia avelli in altero non posse, in altero sisti. Locris[8] et Cro- 2
tone[9] pestilentiam nunquam fuisse, nec ullo terræ motu
laboratum, annotatum est. In Lycia vero semper a terræ
motu XL dies serenos[10] esse. In agro Arpano[11] frumentum
satum non nascitur. Ad aras Mucias[12] in Veiente, et apud
Tusculanum[15], et silva Ciminia[16], loca sunt, in quibus in

cophagus lapis iterum memorabitur, libro XXVIII, cap. 37. Tertium et explicatius libro XXXVI, cap. 27. Schistus fuisse videtur, alkalinis partibus prægnans. Ed.

7. *Ut ferrum omne teneat.* De hoc miraculo iterum dicetur, l. XXXVI, cap. 25. Hard. — Montes isti videntur originem dedisse fabulæ quæ in Arabicis Noctibus legitur, Noct. 53, de naufragio facto ad Montem Magneticum. Apud Nostrum paulo infra, *calciamento* legebatur; sed orthographiam quamvis haud insolentem mutavimus, quod cætera hujus familiæ vocabula vulgo per *e*, non per *i*, apud Harduinum et nos efferantur. Ed.

8. *Locris.* Epizephyriis nempe, in Brutio. Vide lib. III, cap. 10. In tertia Italiæ regione cum Crotone recensetur hæc civitas, lib. III, c. 10. Ed.

9. *Crotone.* Unde nata parœmia, cujus Strabo meminit, lib. VI, p. 262, ob salubritatem aeris, ὑγιέστερον Κρότωνος. Scribit etiam Scaliger Exerc. 32, in Cardan. pag. 140, oram illam occidentalis Æthiopiæ, quæ Nigir fluvium accolit, etsi calidissima sit, pestilentiæ quoque omnis expertem esse. Hard.

10. *XL dies serenos.* Difficile hoc conciliari potest cum loco superiore cap. 84, ubi dicuntur tunc demum desinere tremores, *quum ventus emersit*, id est, quum e terra in auras erupit. Ed.

11. *Arpano.* Id est, circa Argyripam vel Arpos sito. De Arpis, Apuliæ urbe, hodie *gli Arpi*, vide lib. III, 16. Dalec. et Elzev. cum vetustioribus, *Arduno*, male. Ed.

12. *Ad aras Mucias.* Ita Reg. 1, 2, et Colb. 2, atque editiones veteres, quod et Rhodiginus probat, lib. XVIII, cap. 12. In honorem forte Q. Mutii Scævolæ, vel ab eo erectæ aræ illæ fuerunt, ut Sestianæ a Sestio, lib. IV, cap. 34. Prius *Murtias* legebatur. Hard. — Celeberrima gens Mutia, quum Murcia ignoretur; itaque Harduino facile assentior, etsi Q. Mutium Scævolam quemnam potissimum innuat ille, haud satis scio. Ed.

15. *Tusculanum.* Subaudi *agrum.* Hodie *Frascati*, in Latio. Veiens autem ager in Etruria, nunc sine oppido. Ed.

16. *Ciminia.* Saltus Ciminius prope Viterbium in Etruria, unde nomen, *Monte Viterbo :* adjacet ei lacus cognominis, *Lago di Ronciglione.* De utroque Virgilius, Æneid, lib. VII, vs. 697 : «Et Cimini cum

terram depacta[17] non detrahuntur. In Crustumino[18] natum fœnum ibi[19] noxium, extra salubre est.

1 XCIX. (XCVII.) Et de aquarum natura complura dicta sunt; sed æstus maris accedere et reciprocare, maxime mirum: pluribus quidem modis; verum causa in Sole[1], Lunaque. Bis inter duos exortus Lunæ affluunt, bisque remeant, vicenis quaternisque semper[2] horis. Et primum attollente se cum ea mundo[3], intumescentes; mox a meridiano cæli fastigio vergente in occasum, residentes: rursusque ab occasu subter cæli ima et meridiano contraria accedente, inun-

monte lacum. » De silva Ciminia, Livius, lib. IX, cap. 35. Hard.

17. *Depacta*. Viscoso et tenaci solo infixa, ita ut ægre detrahi possint; nam omnino detrahi non posse, ridiculum est. Ed.

18. *Crustumino*. Crustumerium oppidum Sabinorum supra Fidenas, prope Tiberim fluvium; nunc vicus *Marcigliono vecchio*. Idem aliquando dicebatur *Crustuminum*, unde *Crustuminus ager*. Mill.

19. *Ibi*. Si ipso in loco recens depascatur. Demessum vero et siccum, innocens est: videlicet quod herbæ quædam pecoribus noxiæ, lenta vaporatione noxios amittant succos; ut sæpe observatum est, siccatas in officinis plantas plerumque virtute medica defraudari. Ed.

XCIX. 1. *In Sole, Lunaque*. Plures e veteribus cum Plinio ad utrumque; Pytheas Massiliensis ad Solem unum retulit, teste Plutarcho, lib. III, de placitis Philos. cap. 17. Merito tamen Luna videtur in hac scena vel omnes una per se, vel certe præcipuas partes agere; quando tam admirabilis est hujus cum Lunæ motu connexio, ut cæcum esse necesse sit qui non animadvertat. Hard. — Verissime Solem et Lunam in causa facit Plinius: quorum attractionibus sese invicem nunc adjuvantibus, nunc minuentibus, plus minusve attolluntur maria: ut maximus sit æstus, quum ambo sidera in conjunctione sunt; nec tamen extemplo, sed aliquanto post sentiatur, propter necessariam in motu aquarum propagando moram, nec omnibus locis eodem tempore, propter varias littorum curvaturas, aliasque causas, quibus longum esset immorari. De his omnibus confer, si libet, inter alios astronomos clarissimum Laplace, *mécanique céleste*, tom. II. Ed.

2. *Semper horis*. Πλατικῶς loquitur, et ad vulgi sensum. Alias enim vicenis quaternis horis cum dodrante, seu minutis horæ octo et quadraginta, dicere debuisset: quum Luna tantumdem insumat spatii, ut ad idem Meridiani punctum remeet; quod ubi est assecuta, affluxus maris est maximus. Hard.

3. *Mundo*. Cælum intellige, quod videtur quotidiano motu cum Stellis affixis volvi, Lunamque ipsam et cæteros Planetas secum in orbem trahere. Ed.

dantes; hinc donec iterum exoriatur, se resorbentes[4]: nec 2
unquam[5] eodem tempore, quo pridie, reflui[6]; ut ancillante[7]
sidere, trahenteque secum avido haustu maria, et assidue
aliunde, quam pridie, exoriente : paribus tamen inter-
vallis reciproci, senisque semper horis, non[8] cujusque
diei aut noctis, aut loci[9], sed æquinoctialibus[10]; ideoque
inæquales vulgarium horarum spatio, utcumque plures
in eos[11] aut diei aut noctis illarum mensuræ cadunt; et
æquinoctio tantum pares[12] ubique. Ingens argumentum, 3
plerumque lucis ac vocis etiam divinæ[13] : hebetes esse,
qui negent subterneare sidera, ac rursus eadem resur-
gere; similemque terris[14], immo vero universæ naturæ,

4. *Resorbentes.* Sic e Toletano codice Harduinus. Dalec. et Elzev. *sorbentes.* Ed.

5. *Nec unquam.* Elzev. *nec unam*, typographico lapsu. Ed.

6. *Reflui.* Refluentes. Ed.

7. *Ut ancillante.* Credas ancillari sidus, et indulgere mari, ut non ab eadem parte, qua pridie, pastum ex Oceano hauriat. Hæc vero poetis venditanda ratio, non physicis. H. — Hoc sensu, si veram Plinii mentem assequitur Harduinus, nobis quidem legendum videtur *exhauriente*, pro *exoriente*. Chiffletii codex : *ut ancillantes sideri avido, trahentique secum haustu maria, et assidue aliunde quam pridie exorienti.* Ed.

8. *Non cujusque diei aut noctis.* Non vulgaribus illis Romanorum horis, pro anni tempestate brevioribus longioribusve. Ed.

9. *Aut loci.* Neque eum loci latitudine variantibus. Ed.

10. *Æquinoctialibus.* Quales jam diximus esse nostras. Ed.

11. *In eos.* In æstus scilicet. Proposuerat Dalecampius hanc lectionem : legunt tamen omnes *in eas*, intricato sensu, et eodem qui jam antea expressus est; quum talis pleonasmus a Plinii sit ingenio alienissimus. Ed.

12. *Pares ubique.* Quod tunc senæ noctis horæ senas diei adæquent, quemcumque numerandi ac dividendi modum sequaris, et in quocumque latitudinis gradu. Ed.

13. *Divinæ.* Sic Vet. apud Dalec. At edd. omnes *diurnæ*, sine sensu. Eadem profecto apud Plinium figura est, quam apud Sacrosanctum vatem, psalm. XIII : «Dies, inquit, diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam, etc.» Plinius item Naturæ vocem audire sibi videtur mysteria sua revelantis. Et alias quoque *divinitatis* epitheton Naturæ impositurus est; ut lib. XXII, 56 : «Parens, inquit, illa et divina rerum artifex.» Nec mirum; quum in totius operis decursu, nullum fere alium Deum agnoscat, quam Cælum aut Mundum, id est universam rerum naturam. Ed.

14. *Similemque terris.... exinde*

exinde faciem, in iisdem[15] ortus occasusque operibus: non aliter sub terra manifesto sideris cursu, aliove effectu, quam quum præter oculos nostros feratur.

4 Multiplex etiamnum lunaris differentia, primumque septenis diebus. Quippe modici[1] a nova ad dividuam æstus, pleniores ab ea exundant, plenaque maxime fervent: inde mitescunt, pares[2] ad septimam primis: iterumque[3] alio latere dividua augentur, in coitu[4] Solis pares plenæ. Eadem aquilonia[5], et a terris longius recedente, mitiores, quam quum[6], in austros digressa, propiore nisu vim suam
5 exercet. Per octonos[7] quoque annos ad principia motus et paria incrementa centesimo Lunæ revocantur ambitu: augentibus[8] ea cuncta Solis annuis causis: duobus æqui-

faciem. Vide supra, cap. 65, quæ de antipodibus dixit. Ed.

15. *In iisdem.* Eodem modo utrinque orientibus occidentibusque sideribus. Ed.

1. *A nova.* Dalec. et Elz. *nova*, sine præpositione. Nos cum Harduino Chiffl. codicem sequimur. Ed.

2. *Pares ad septimam primis.* A plenilunio ad diem inde septimum pares sunt æstus prioribus a nova luna scilicet ad dividuam. Hard.

3. *Iterumque.* Rursum quum alio latere dividua est (alterum vocant lunæ quadrantem) augeri æstus incipiunt. Hard.

4. *In coitu.* In conjunctione cum Sole, seu novilunio, æstus sunt pares iis qui plena Luna fiunt. Secuti sumus codices Reg. 1, 2, Chiffl. etc., id ipsa loci exigente sententia. Prius legebatur: *in coitu Solis pares. Plane eadem.* etc. Salmasius conjiciebat, pag. 1007, *in coitu Solis paret et plenæ*; satis infeliciter. Hard. — Vetus apud Dalec. *In coitu Solis pares plane. Eadem*, etc. Ed.

5. *Eadem aquilonia.* Ex vicinitate Lunæ ad terras æstum augeri fatetur etiam Franc. Resta, in Meteorol. tract. 1, de mari, cap. 15, ex Alberto Magno. Hard. — Nec Luna, nec Sol, quum ad septemtrionem progredi, eoque altiores esse nobis videntur, a Terra tamen ideo magis distant. Mutua enim orbitarum inclinatio cum elliptica singularum figura nullam rationem habet. Ed.

6. *Quum.* Deest in Chiffl. Ed.

7. *Per octonos.* Cur vero non potius annis undeviginti redeunt hæ vices, quum Sol Lunaque tunc ad eosdem ferme situs revertuntur? aut cur non aliis lunaribus periodis? Id fieri Plinius existimat, quod octo annorum spatio centum Lunæ circuitiones numerentur. Hard.

8. *Augentibus.* Sic Vet. apud Dal. optimo quidem sensu, et elegante ac vere Pliniana structura. Contra editores omnes legerunt *augente* retuleruntque ad priora verba *centesimo Lunæ ambitu*; Plinio repugnante, qui simul dicere non potuit

noctiis maxime tumentes, et autumnali amplius, quam verno; inanes vero[9] bruma, et magis solstitio. Nec tamen in ipsis, quos dixi, temporum articulis, sed paucis[10] post diebus; sicuti neque in plena aut novissima, sed postea: nec statim ut Lunam[11] mundus ostendat occultetve, aut media plaga declinet; verum duabus fere[12] horis æquinoctialibus serius: tardiore semper ad terras omnium, quæ geruntur in cælo, effectu cadente, quam visu sicuti fulguris[13], et tonitrus, et fulminum.

6 Omnes autem æstus in Oceano majora integunt spatia inundantque, quam in reliquo mari: sive quia totum in universitate animosius est, quam in parte; sive quia magnitudo aperta[1] sideris vim laxe grassantis[2] efficacius sentit, eamdem angustiis arcentibus. Qua de causa nec lacus, nec amnes similiter moventur. Octogenis[3] cubitis

paria tunc esse incrementa et majora. Nos autem intelligimus, addendas esse ad ea cuncta, quæ dicta sunt, Solis annuas causas. Ed.

9. *Inanes vero.* Depressiores ac minus tumentes. Hard.

10. *Paucis post diebus.* Altero nempe post die: non igitur ipso interlunii, plenilunii ve, aut Lunæ διχοτόμου, sed altero tantum post ea temporum momenta die. Hard. — Uno die et dimidio altero, 36 circiter horis, in Gallia. Ed.

11. *Ut Lunam.* Nec in eo præcise puncto quo Lunam terris cælum ostendit, subducitve, aut in meridiana cæli plaga sistit (cælum enim secum rapere ac torquere sidera novimus), sed aliquanto post. H.

12. *Duabus fere horis.* Variat pro locis hoc intervallum a nullo fere temporis momento ad undecim horas et amplius; sed Gadibus, ubi sæpius Oceanum observarunt Veteres, duæ circiter horæ et una dimidia intersunt, maximum inter maris affluxum, et transitum Lunæ plenæ vel novæ per meridianam lineam. Ed.

13. *Fulguris.* Supra, cap. 55. Ed.

1. *Magnitudo aperta.* Late patentis Oceani spatia. Ed.

2. *Laxe grassantis.* Non in uno puncto, neque in angusto spatio nitentis, sed quasi vim suam diffundentis. Ed.

3. *Octogenis.* Vix Pytheæ hac in parte habenda fides. Tamesis, certe, ubi æstus maximus, mare vix recipit ad cubitos XIV. Inter Norvegiam et Daniam vix sentitur æstus. At in ora Galliæ San-Macloviana, quæ Anglicæ opponitur, usque ad LXX pedes æstus attolluntur, et quandoque ad XC, ut aiunt Fournerius, lib. IX, Hydrogr. cap. 21; Fr. Resta, tract. 2, de mari, cap. 15; et alii. Hard.

supra Britanniam intumescere æstus Pytheas[4] Massiliensis auctor est. Interiora autem maria terris clauduntur, ut portu. Quibusdam tamen in locis spatiosior laxitas ditioni[5] paret: utpote quum plura exempla sint, in tranquillo mari, nulloque velorum impulsu, tertio die[6] ex Italia provecto-
7 rum[7] Uticam, æstu fervente. Circa littora autem magis quam in alto deprehenduntur hi motus: quoniam et in corpore extrema pulsum venarum, id est, spiritus[8] magis sentiunt. In plerisque tamen æstuariis propter dispares siderum in quoque tractu exortus, diversi exsistunt æstus, tempore, non ratione, discordes, sicut in Syrtibus[9].

1 C. Et quorumdam tamen privata natura est, velut Tauromenitani[1] euripi[2], sæpius, et in Eubœa[3], septies die

4. *Pytheas*. Vide cap. 77, et conf. Auctorum Catalogum. Ed.

5. *Ditioni*. Lunæ Solisque efficientiæ, quæ ciet æstum. Hard.

6. *Tertio die*. Africana littora, ad Uticam, Tunetum, Hipponem, aliasque quasdam oras, sentiunt quidem aliquem æstum, sed levem: et Melita certe multo majorem. Quare quod tertio die ex Italia Uticam descensus sit factus, id non tam æstui, quam prono aquarum Ponti, Propontidis, et Ægæi maris lapsui in mare internum, atque inde in oras Africanas, adjuvante tamen nonnihil, si ita videtur, ipso æstu, tribuendum est. Hard.

7. *Provectorum*. Supple, navigatorum. Ed.

8. *Spiritus*. Non spiritus, sed sanguinis. At Plinius fœdissimo errore, arterias sanguine carere, et earum quasdam tantum vitalem continere spiritum affirmabit, lib. XI, cap. 89, quo, si vacat, respice. Ibidem, cap. 88: «Arteriarum pulsus, inquit, in cacumine maxime membrorum evidens.» Vides illum sibi saltem optime constare. Ed.

9. *In Syrtibus*. De his Solinus, cap. 27: «Syrtes inaccessas undosum ac reciprocum mare efficit, cujus sali defectus, vel incrementa haud promptum est deprehendere; ita incertis motibus nunc in brevia crescit dorsuosa, nunc æstibus inundatur inquietis: et auctor est Varro, perflabilem ibi terram ventis penetrantibus, subitam vim spiritus citissimi aut evomere maria, aut resorbere.» Hard.

C. 1. *Tauromenitani*. Dalec. *Taurominitani*. Tauromenium, hodie *Taormina*, Messanam inter et Catanam, in orientali Siciliæ plaga. Vide lib. III, cap. 14. Ed.

2. *Euripi*. Euripon vocant, inquit Mela, lib. II, cap. 7, agens de Chalcidico, «rapidum mare, et alterno cursu septies die ac septies nocte fluctibus invicem versis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur.» H.

3. *Eubœa*. Lib. IV, c. 21. Ed.

ac nocte[4], reciprocantis. Æstus idem[5] triduo in mense consistit, septima, octava, nonaque Luna. Gadibus[6], qui est delubro Herculis proximus, fons inclusus ad putei modum, alias simul cum Oceano augetur minuiturque, alias vero utrumque contrariis temporibus. Eodem in loco alter Oceani motibus consentit. In ripa Bætis[7] oppidum est, cujus putei crescente æstu minuuntur, augescunt decedente, mediis temporum immobiles. Eadem natura in Hispali[8] oppido uni puteo, cæteris vulgaris. Et Pontus[9] sem-

4. *Septies die ac nocte.* Ita Strab. lib. I, p. 55; Cic. de Nat. Deor. aliique. At Gillius, qui ea loca vestigavit, ut narrat Fr. Resta in Meteorol. didicisse se ex incolis ait, bis tantum fluere, bisque refluere, non septies æstuare: aliquando tamen has vices minime observare. Ita etiam Gassendus in lib. X Laërtii, pag. 1091. Hard.

5. *Æstus idem.* Consistentia, sive mediocritas aquarum non solum septima die sentitur, sed et octava, ac nona durat. Hoc Veneti proverbio Italo signant: *Dalli otto alli nove L'acqua no' si muove*, hoc est, ab octava die ad nonam, aqua non se movet: idemque aiunt accidere ultima quadratura: *Dalli venti uno alli ventidue La no' va ne in sù ne in zue*, hoc est, a vicesimo primo ad vicesimum secundum, neque crescit, neque decrescit. Hard.

6. *Gadibus.* Ita Polybius apud Strabonem, lib. III, pag. 172. Et in Petrocoriis Galliæ oppido fons est omnino similis, qui simul cum Oceano augetur minuiturque, quanquam ipse a mari dissitus leucis circiter xl, hoc est, passuum millibus fere centum. H. — Gades, hodie *Cadiz*, in Hispania, templum habuit Herculis, qui, quum maris Mediterranei littora peragrasset, ibi constitit, duosque montes Calpen et Abilam, hunc in Africa, illum in Europa, tanquam expeditionis suæ monumenta et triumphales columnas, nomine suo sacravit. Ed.

7. *Bætis.* Fluvius hic est notissimus Hispaniæ meridionalis, cui etiam nomen dederat; hodie, *le Guadalquivir*. Ed.

8. *Hispali.* Hodie *Séville*, in eodem, fluvio Bæti. Unde quum prius oppidum minime nuncupetur a Plinio, credibile est, idem prodigium his a Nostro memorari, e duobus forsitan auctoribus desumptum. Ed.

9. *Et Pontus.* Arist. Meteor. II, cap. 1; Strabo, lib. I, pag. 503; Seneca, Natur. quæst. lib. IV, cap. 2; aliique. Est illud sane admirabilitatis maximæ, Ponti aquas et Ægæi maris in internum seu mediterraneum mare labi; nihil vicissim ex eo in Pontum refluere; adeoque parum in Atlanticum Oceanum per Gaditanum fretum, ut quum sex horis in Oceanum illud effluat, Oceanus ipse, quasi victor in mediterraneum pelagus ingrediatur per horas duodeviginti, uti observatum est a Furnerio, lib. IX, hydrogr.

per extra meat in Propontidem, introrsus in Pontum nunquam refluo mari.

1 CI. (XCVIII.) Omnia[1] plenilunio maria purgantur: quædam et stato[2] tempore. Circa Messanam[3] et Mylas[4] fimo similia[5] exspuuntur in littus purgamenta: unde fabula, Solis boves[6] ibi stabulari. His addit (ut nihil, quod equidem noverim, prætereani) Aristoteles, nullum animal nisi[7] æstu recedente exspirare. Observatum id multum in[8] Gallico Oceano, et duntaxat in homine repertum.

cap. 6; nec tamen tanta aquarum copia terras inundari. HARD.

CI. 1. *Omnia plenilunio.* Ita et Seneca, Nat. quæst. lib. III, c. 26, ubi etiam addit quibusdam hoc fontibus simili ratione contingere. Strabo quoque, lib. I, pag. 53. HARD. — Id est, quo aquarum fluxus amplior atque vehementior, eo plus algarum saxis abripit, atque in littus ejicit. ED.

2. *Stato tempore.* Procellosis præsertim temporibus: quod probe norunt Aremoricæ miserrimi incolæ, qui maximam fucorum copiam ab hibernis mensibus exspectant. ED.

3. *Circa Messanam.* Hæc totidem verbis Seneca loc. cit. Id experimento comprobatum a se visumque olim testatur Fazellus, decad. I. lib. IX, de rebus Siculis, cap. 8. H.

4. *Mylæ.* Hodie *Milazzo*, septem fere leucis nostratibus a Messana distans oppidum, in boreali Siciliæ parte. ED.

5. *Fimo similia.* Algarum molles quædam species intelligendæ sunt, quæ convolutæ et marcidæ in littus ejiciuntur. ED.

6. *Solis boves.* Seneca, loc. cit. Apollonii Schol. ad lib. IV, v. 965, aliique. Hanc tamen fabulam confictam a Veteribus, ob eximiam in locis illis pascuorum felicitatem, auctor est Theophrastus, Hist. Plant. lib. VIII, cap. 3. HARD.

7. *Nisi æstu.* Deprehensum usu est in maritimo Belgii tractu, eos qui obesiore paulo corpore essent, æstu accedente periclitari: qui graciliore et sicco, eodem recedente. HARD. — Vide not. seq. ED.

8. *In Gallico.* Et in Atlantico juxta Gades, ut refert Philostratus, de vita Apoll. lib. V, cap. 1. H. — Fertur id experientia constare Gadibus, *Cadiz*. Contrarium vero innotuit in portu nostro *Brest*, teste DESLANDES. BROT.—Notus ingenio multiformi, et audaciori philosophia, DESLANDES, quum in Oceani portubus *Rochefort* et *Brest*, rei maritimæ præpositus ageret, nosocomiis harum urbium comparatis, superstitiosam, de qua nunc agitur, opinionem profligavit, monente ad h. l. doctissimo BOUGUER. Qui tamen plura eupierit, adeat egregiam disputationem astronomi celeberrimi ejusdemque optimi medici OLBERS, triennio abhinc gallice editam in opusculo quotannis de scientia bene merenti: *Annuaire du bureau des longitudes*, an. 1823. ED.

CII. (XCIX.) Quo vera conjectatio exsistit, haud fru- 1
stra spiritus sidus[1] Lunam existimari. Hoc esse quod ter-
ras saturet[2], accedensque corpora impleat, abscedens ina-
niat. Ideo cum incremento ejus augeri conchylia[3]; et
maxime spiritum sentire, quibus sanguis non sit. Sed et 2
sanguinem hominum[4] etiam cum lumine ejus augeri ac
minui : frondes quoque ac pabula (ut suo[5] loco dicetur)
sentire, in omnia eadem penetrante vi.

CIII. (C.) Itaque[1] Solis ardore siccatur[2] liquor : et hoc 1
esse masculum sidus accepimus, torrens cuncta sorbens-
que.

CIV. Sic mari late patenti saporem incoqui[1] salis, aut 1
quia[2] exhausto inde dulci tenuique, quod facillime trahat

CII. 1. *Spiritus sidus.* Hoc est, vitæ sidus, quod vitalem humorem ac spiritus in corporibus rebusque omnibus varie temperet. Ita rescripsimus ex Reg. cod. 1, quum prius legeretur, *spiritum sidus Lunæ.* In Chiffl. *spirituosum.* HARD. — Legit POINSINET DE SIVRY, *haud frustra spiritus sidus Lunæ* (sub. *sidus*) *existimari;* pariterque, ac Harduinus, locum interpretatur. ED.

2. *Saturet.* Succo impleat. ED.

3. *Conchylia.* Horat. lib. II, Sat. 4, v. 30 : « Lubrica nascentes implent conchylia Lunæ. » Vide quæ diximus cap. 41. HARD. — Dixerat idem ante Horatium Lucilius : « Luna alit ostrea et implet echinos, muribu' fibras Et pecui addit. » Quam opinionem et Cicero amplexus est, de Divinat. lib. II, et D. Augustinus, de Civit. Dei, lib. V. Hodie tamen, ut diximus, a plerisque doctorum exploditur. ED.

4. *Sanguinem hominum.* Ita R. 1, 2, Chiffl. Tolet. etc. non *sanguine hominem*, ut editi. Egregie in eam sententiam Julius Firmicus, lib. IV, Mathes. in præfat. pag. 84 : « Nam et crescentis Lunæ, inquit, augmenta in corporibus nostris, et deficientis luminis damna sentimus. Medullæ enim humani corporis cum Luna crescunt; quum vero inanis cœperit luminibus destitui, tenuati corporis fatigatione languescunt : etc. » HARD.

5. *Ut suo loco.* Libro præsertim XVIII, cap. 75. HARD.

CIII. 1. *Itaque.* Transitioni servit et priorem sectionem cum Dalecampii capite 101 conjungit; nam post *Solis* subaudiendum est *quidem*, ut tota hæc sectio et subsequentis prima pars usque ad verba *e contrario* parenthesin efficiant. ED.

2. *Siccatur liquor.* Ita mare magis magisque exsiccari a Sole in dies, futurumque aliquando ut totum absumatur, affirmat Aristoteles, Meteorol. lib. II, cap. 1. HARD.

CIV. 1. *Incoqui.* Suppl. *accipimus.*

2. *Aut quia.* Tergeminam in medio causam proponit, cur salsum

vis ignea, omne asperius crassiusque linquatur (ideo[3] summa æquorum aqua dulciorem profundam : hanc esse veriorem causam asperi saporis, quam quod mare terræ sudor[4] sit æternus) ; aut quia[5] plurimum ex arido miscea-

mare sit. Hanc priorem affert etiam Hippocrates, lib. de Aere, locis, et aqnis, cap. 4, et Arist. lib. II, pag. 552. Eam porro fuisse et Anaximandri sententiam, auctor est Plut. de Plac. Philos. lib. III, cap. 16. H.

3. *Ideo summa æquorum aqua dulciorem profundam.* Sunt critici, qui sincernm vas amant incrustare; quique corrigere malunt, quam intelligere, dum hnnc locum ita perturbata sententia mutant: *Ideo summam æquorum aquam dulciorem esse profunda* : vel, *summam æquorum aquam dulciorem profundit.* Sed et a Plinii mente discedere, et a codicum prorsus omnium auctoritate deficere emendationem hujuscemodi, certissimum est. Ait enim ille summam aquam ideo esse salsam, quia Solis attractu exhausto tenui dulcique, linquitur id quod est asperius, idque esse qnod gustu tractatur. Scio recentiores plurimos in ea esse hæresi, quæ marinas aqnas in imo salsiores esse pertendit, quam in superficie : quoniam, aqua salsa, quam dulcis, nt Arist. ait, multo est gravior. Sed quid Plinius senserit scripseritve, id vero prius investigandum nobis incumbit, quam quid scribere eum ac sentire oportuerit. Aristoteles certe, Problem. 30, cap. 23 : Διὰ τί τῆς θαλάσσης τὰ ἄνω τοῦ ἐν τῷ βάθει ἁλμυρώτερα : ὁμοίως δὲ καὶ ἐν τοῖς φρέασι τοῖς ποτίμοις τὸ ἐπιπολῆς ἁλμυρώτερον τοῦ εἰς βάθος · καίτοι ἔδει τὸ κατωτέρω· βαθύτερον γὰρ τὸ ἁλμυρόν. Ἢ διότι ὁ ἥλιος καὶ ὁ ἀὴρ ἀνάγει ἀεὶ τὸ ἐλαφρότατον ἀπὸ τῶν ὑγρῶν; Gaza interprete : « Cur superius mare salsius et calidius est, quam inferius? et in puteis qnoque potu idoneis pars superna salsior quam ima ? quanquam esse e contrario debuit : gravius enim quod salsum est. An qnia Sol et aer partem bnmoris levissimam assidue detrahunt? » Et vero scimns urinatores in vitreis vasculis e maris profundo aquam dulcem extulisse. Hard.

4. *Terræ sudor.* Id quod existimavit Empedocles, ut refert Plut. loc. cit. aliique veteres apud Arist. Meteorol. lib. II, cap. 1; quorum ipse opinionem ridet. Hard.

5. *Aut quia plurimum.* Altera ratio, quam pro salsugine maris explicanda proponit: Qnia aqua maris ab exhalationibns terræ siccioribus calorem habet admixtum, sibique ingenitum. Quod autem calidum est, salsius est, quam quod dnlce, τὸ γὰρ ἁλμυρὸν θερμότερον τοῦ ποτίμου, inquit Arist. sect. 23, Probl. 30. Gronoviana editio, *Aut quia plurimum ex arido misceatur illi sine vapore* : quæ dictio *sine* præpostere addita, contra fidem omnium librorum, palam facit nescisse, qui sic edi curavit, quæ vis snbesset apud Plinium, optimosque latinitatis auctores, huic voci *vapor*. Calorem enim significat, nti monuimus ad cap. 40, et alias sæpe: non halitum illum frigidum humidnmque, quem vulgo vaporem dicimus, ex aquis exhalantem; sed

tur illi vapore : aut quia[6] terræ natura sicut[7] medicatas
aquas inficiat. Est in exemplis, Dionysio Siciliæ tyranno, 2
quum pulsus est[8] ea potentia, accidisse prodigium, ut uno
die in portu dulcesceret[9] mare.

(CI.) E contrario ferunt Lunæ femineum ac molle sidus 3
atque nocturnum[10], solvere humorem, et trahere, non
auferre. Id manifestum esse, quod ferarum occisa corpora in tabem visu suo resolvat[11]; somnoque sopitis[12] tor-

vel ipsum calorem siderum, vel terrenum halitum (exhalationem vocant) eorumdem vi in sublime tractum. Haud porro multum abludit, quod Plinius hoc loco affert, a Platonicorum sententia, existimantium genus aquæ elementaris esse omnino geminum: alterum ex aere coactum vi frigoris, dulce; aliud, quod e terra ardoris et incendii vehementia exhalasset, salsum. Ita enim Plutarch. de Placitis Philos. lib. IV, cap. 16: Οἱ ἀπὸ Πλάτωνος· τοῦ στοιχειώδους ὕδατος, τὸ καὶ ἐξ ἀέρος κατὰ περίψυξιν συνιστάμενον, γλυκὺ γίνεται· τὸ δ' ἀπὸ γῆς κατὰ περίκαυσιν καὶ ἐκπύρωσιν ἀναθυμιώμενον, ἁλμυρόν. Hard. — Chiffl. et Salmant. codices, *aut quia plurimus ex arido misceatur illi vapor*. Ed.

6. *Aut quia terræ*. Tertia ratio. Forte id evenit, inquit, quia terræ, quæ marinis aquis substernitur, natura est hujuscemodi, ut medicata sua vi seu amarore aquas inficiat. Multos esse in maris alveo salinos montes, et veluti fodinas, quæ subinde renascantur, haud improbabile recentioribus physicis videtur: quum tota pæne insula, quæ *Ormuz* appellatur, nihil sit præter durum candidumque salem, ex quo ædes ipsæ exstrui in eo tractu solent. Sed hoc urinatorum experientiæ adversatur, qui dulcem aquam ex imo mari in vitreis vasculis attulerunt. Hard.

7. *Sicut*. Hoc verbum deest apud Dalec. Elzev. et antiquiores, sic locum legentes: *aut quia terræ natura medicatas aquas inficiat*: Harduinus ex MSS. emendavit. Ed.

8. *Quum pulsus est*. Ac litteras deinde puerulos Corinthi docuit, magister ludi factus ex tyranno, ut ait Valerius Max. lib. VI, cap. 9: usque eo imperio carere non poterat, inquit Cic. Tusc. lib. III, pag. 379. Hard.

9. *Dulcesceret mare*. Vel hoc prodigium tot aliis annumerandum est quæ viri politici comminiscuntur deludendæ plebis causa, quoties aliquid in republica innovant; vel nescio quo casu, motu forte subterraneo, Alpheus fons in portu Syracusano copiosior eruperat. Vide infra cap. 105, not. 11. Ed.

10. *Atque nocturnum*. An hæc redundant, e glossemate forsitan profecta? an molliora noctis tempora, quasi languidum aliquid ac femineum habere, Noster innuit? Ed.

11. *Resolvat*. Omnino falsum. Sed humor, qui plerumque noctu magis abundat, putredinem accelerare potest. Ed.

12. *Somnoque sopitis*. Elegans Ma-

porem contractum in caput revocet; glaciem refundat[13];
4 cunctaque humifico spiritu laxet. Ita pensari[14] naturæ vices, semperque sufficere, aliis siderum elementa cogentibus, aliis vero fundentibus. Sed in dulcibus aquis[15] Lunæ alimentum esse, sicut in marinis Solis.

1 CV. (CII.) Altissimum mare XV stadiorum[1] Fabianus tradit. Alii[2] in Ponto ex adverso Coraxorum gentis (vocant Βαθέα[3] Ponti) trecentis fere a continenti stadiis immensam altitudinem maris tradunt, vadis nunquam repertis.

crobii in eam rem locus, Saturn. lib. VII, cap. 16: «Non est ergo mirum, si ratione proprietatis quæ singulis inest, calor Solis arefacit, lunaris humectat. Hinc et nutrices pueros alentes operimentis obtegunt, quum sub Luna prætereunt: ne plenos per ætatem naturalis humoris, amplius lunare lumen humectet .... Hoc quoque notum est, quia si quis diu sub Luna somno se dederit, ægre excitatur, et proximus fit insano, pondere pressus humoris, qui in omne ejus corpus diffusus atque dispersus est proprietate lunari, quæ ut corpus infundat, omnes ejus aperit et laxat meatus, etc.» Hard. — Hoc vero non propter Lunam accidit, sed ex humidi aeris frigore spiracula corporis supprimente, unde fluxiones humorum per membra passim, ac præcipue circa caput fieri solent. Cl. Olbers supra jam laudata disputatione, merito refutat eruditum Reil, nescio qua occasione memorantem, nautas, qui ad Lunam dormiissent, affectos ita fuisse, ut Solis deinde lucem sustinere non possent. Ed.

13. *Refundat.* Solvat. Certum est in plenilunio non esse nocturna frigora tam efficacia, quam alio tempore: idque a Lunæ lumine, in quo videtur aliquid inesse caloris. Hard. — De calore Lunæ multa incassum disputavit ingeniosus Bernardin de St. Pierre, *Etudes de la Nat. t. III*, et passim. Ed.

14. *Pensari.* Vide ad cap. 38. Ed.

15. *Sed in dulcibus.* Ita Zeno, Chrysippus, Posidonius, alii, apud Laert. in Zenon. lib. VII: Τρέφεσθαι δὲ τὰ ἔμπυρα ταῦτα καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα, τὸν μὲν ἥλιον, ἐκ τῆς μεγάλης θαλάττης· τὴν δὲ σελήνην, ἐκ ποτίμων ὑδάτων. Hard.

CV. 1. *XV Stadiorum.* Scribit quoque Priscianus, Julii Cæsaris cura emensis maribus, missis per orbem, qui eorum profunditatem explorarent, eam XV stadiorum altitudinem repertam esse. Multo breviore mensura rem Scaliger definit, Exerc. 38, ubi ait: «Aquæ profunditatem raro excedere passus LXX; pluribus locis non accedere ad vicenos; paucissimis ad centenos; paucioribus hunc numerum superare.» Vide Ricciolum, l. I, pag. 728. H.

2. *Alii in Ponto.* Sic etiam Aristoteles, Meteorol. lib. I, cap. 13: Κατὰ Κοράξους περὶ τὰ καλούμενα Βαθέα τοῦ Πόντου (ταῦτα δ' ἐστὶν ἄπειρόν τι τῆς θαλάττης βάθος) οὐδεὶς

CVI. (CIII.) Mirabilius id faciunt aquæ dulces, juxta mare[1] ut fistulis emicantes. Nam nec aquarum natura a miraculis cessat. Dulces mari invehuntur, leviores[2] haud dubie. Ideo[3] et marinæ, quarum natura gravior, magis invecta sustinent. Quædam vero et dulces inter se supermeant alias: ut in Fucino lacu[4] invectus amnis[5], in Lario 1 2

γοῦν πώποτε καθιεὶς ἠδυνήθη πέρας εὑρεῖν· ταύτῃ δὴ πόῤῥω τῆς γῆς σχεδὸν περὶ τριακόσια στάδια, etc. Hard.

3. Βαθέα. Hoc est, maris immensa profunditas. Eadem porro altitudo esse dicitur in mari Caspio, in freto Britanniæ et Hiberniæ, et prope Umam Sueciæ. Mare juxta Taprobanen, Plinius, lib. VI, cap. 24, profunditate tanta esse ait, nullæ ut ancoræ sidant. De stagnis etiam Seneca, Natur. quæst. lib. III, cap. 19: « Jam quis ignorat, inquit, esse quædam stagna sine fundo? » H.

CVI. 1. *Juxta mare.* Qualis est ille qui juxta Aradum, de quo [paulo infra, et] lib. V, cap. 34. In insula S. Jacobi, novo orbe, mille passibus a littore fons in alto emicat suavissimi saporis, tanta vi emergens, ut supra mare exsiliat ad cubiti altitudinem. Hard. — Nescio an hoc exemplum bene ad Plinii locum pertineat, dulcis aquæ fontes non in mari, sed juxta mare exoriri scribentis; quod inter ipsas arenas quæ recedente fluctu deteguntur, frequenter adeo observatur, ut vix annotari necesse sit. In ipso autem mari dulces aquas scaturire posse nec dubium est, nec valde mirum. Vide infra not. 11. Ed.

2. *Leviores haud dubie.* Aquæ marinæ pondus specificum a dulcis aquæ gravitate idem differt, quod 73 a 70, propter sales muriateos aliasque diversi generis substantias, quibus inficitur mare. Ed.

3. *Ideo*, etc. Vet. apud Dalec. et Tolet. cod. *Ideo et marina natura gravior magis invecta sustinet.* Ed.

4. *Ut in Fucino lacu.* Fucinus lacus, hodie *Lago di Celano.* Larius, *lago di Como.* Verbanus, *lago Maggiore.* Benacus, *lago di Guarda.* Sevinus, *lago di Seo*, vel *d'Iseo.* Lemanuus, *le lac de Genève.* Amnium nomina dicemus, l. III, c. 23. H.

5. *Invectus amnis.* Sic R. 2, cæterique codices Mss. Mirari porro hoc loco subit, cur hujus amnis nomen prætereat silentio, qui cæteros suo quemque proprio nomine indigitat: sed quod modo nomen dissimulat, id alibi ipse aperit, nempe lib. XXXI, cap. 24, ubi Piconum vel Pitonium vocat. Vibius Sequester, pag. 335, *Pitornium* appellat, « qui per medium lacum Fucinum Marsorum ita decurrit, ut aquæ ejus non misceantur stagno. » Hard.—Rezzonicus ad h. l. ingeniosa conjectura legendum censet: *ut in Eupilio lacu invectus Lamber.* De ipsa re observandum est in omnium fere lacuum fundo, qui solutis præsertim nivibus aluntur, communem temperiem esse quatuor fere centesimorum caloris graduum, quæ temperies densissimam aquam efficit, ideoque gravissimam: nec mirum, si, æstate præsertim, cali-

Addua, in Verbano Ticinus, in Benaco Mincius, in Sevino Ollius, in Lemanno Rhodanus, (hic[6] trans Alpes, superiores in Italia), multorum millium transitu hospitales[7], suas tantum, nec largiores, quam intulere, aquas evehentes. Proditum hoc et in Oronte[8] amne Syriæ, multisque[9] aliis.

3 Quidam vero odio maris[10] subeunt vada, sicut Arethusa[11] fons Syracusanus, in quo redduntur jacta in Alpheum, qui per Olympiam fluens, Peloponnesiaco littori infunditur. Subeunt terras[12], rursusque redduntur, Lycus in Asia[13], Erasinus in Argolica, Tigris in Mesopotamia. Et quæ in Æsculapii[14] fonte Athenis immersa sunt, in

dior unda fluviorum illis invectorum supernatat. Ed.

6. *Hic*. Rhodanus. *Superiores* autem, Addua, Ticinus, etc. Ed.

7. *Hospitales*. Hospitio lacuum non abutentes, nec illorum aquas in transitu rapientes. Ed.

8. *In Oronte*. Ita Strabo, libro VI, 275. De Oronte dicemus, lib. V, cap. 18. Hard.

9. *Multisque aliis*. Singulare est in eo genere, quod de Tigri et Arethusa Armeniæ narratur, lib. VI, cap. 31. Hard.

10. *Odio maris*. Elzev. *odio maris ipsa subeunt vada*. Ed.

11. *Arethusa*. Fons ille olim nobilissimus, nunc ignobile est lavacrum, cujus aqua marino sapore inficitur. In magno autem portu Syracusano exsilit e mari fons aquæ dulcis, quæ usque ad æquoris summum mari non miscetur. Hic est Alpheus vana fabula jactatus. Tales fontes aquæ dulcis e mari exsilientes videre est Tarenti, *Taranto*, in angusto sinu qui dicitur *Mare Piccolo*; alterum in sinu Neapolitano; et prope Baias, haud procul monte Miseno; et in portu Lunensi, *le golfe de la Spezia*. Brot. — Sola nominis similitudo, Alpheum ex Elide in Siciliam fluere, poetis in animum induxit. Arethusam vero subter aquas cum Alpheo coire cecinerunt, unde Virgilius Eclog. x, 1 seqq.: «Extremum hunc, Arethusa, mihi concede laborem.... Sic tibi, quum fluctus subterlabere Sicanos Doris amara suam non intermisceat undam.» Ed.

12. *Terras*. Chiffl. *terræ*. Ed.

13. *Lycus in Asia*. Ovid. Metam. lib. XV, v. 273:

Sic ubi terreno Lycus est epotus hiatu,
Existit procul hinc, alioque renascitur ore:
Sic modo combibitur, tacito modo gurgite lapsus
Redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis.

Citat hos versus etiam Seneca loc. cit. subjungitque porro: «Idem et in Oriente Tigrin facere: absorberi, et desideratum diu, tandem longe remoto loco, non tamen dubium an idem sit, emergere.» Vide quæ dicenda sunt lib. VI, cap. 31, et quæ scribit de Tigri, Oronte, aliisque Strabo, lib. VI, p. 275. H.

14. *Æsculapii fonte*. De hoc fonte Pausanias in Atticis. Hard.

Phalerico[15] redduntur. Et in Atinate[16] campo fluvius mersus post xx. M. pass. exit: et in Aquileiensi Timavus[17].

Nihil in Asphaltite[1] Judææ lacu, qui bitumen gignit, 4
mergi[2] potest; nec in Armeniæ majoris Arethusa[3]: is quidem nitrosus pisces alit[4]. In Salentino juxta oppidum Manduriam[5] lacus ad margines plenus, neque exhaustis aquis minuitur[6], neque infusis augetur. In Ciconum flu- 5

15. *Phalerico.* Fonte, cui nomen a Phalera Atheniensium portu, de quo lib. VI, cap. 11. HARD.

16. *Et in Atinate.* Tanagrum intelligit [hodie *Negro*], Principatus Citerioris in Italia amnem, qui in Silarum, *Selo* [aut *Silaro*] defluit. Is infra Atinum, *Ateno*, ad diversorium publicum, *la Polla*, in specum magno sese cum murmure montis condens, post quatuor circiter passuum millia, haud procul oppido *Auletta* iterum emergit, ad diversorium, cui ex ea re facta appellatio, *l'Osteria del Pertuso*, hoc est, Diversorium foraminis. HARD. — Legendum suspicatur Broterius: *Et in Atinate campo fluvius IV. M. pass. mersus; post XX. M. pass. exit et in Aquileiensi Timavus*: quo magis, quæ de Tanagro narrantur, cum veritate consteut. At inde phrasis contorta deformisque evadit. ED.

17. *Timavus.* Hunc voragine absorptum per cxxx stadia sub terras decurrere, ac rursum emergere, scribit Posidonius apud Strabonem, lib. V, pag. 215. His adde Persidis amnem Elæum, de quo lib. VI, cap. 31. HARD. — Stadia cxxx passuum circiter xvi millia conficiunt. Quare nec Broterii correctio (vide notam priorem) cum Posidonii mensura convenit; et omnia in integro manere debent. ED.

1. *Asphaltite.* De Asphaltite lacu, *la Mer Morte*, plura congessit Tacitus, hist. V, 6, ubi consule notas editionis nostræ. ED.

2. *Mergi potest.* Vide ipsum Plinium, V, 15, minus audacter id asserentem. Nihil enim hoc lacu mergi, persbsurdum est; sed aquæ bituminosæ et graves corpora sustinent pro portione graviors quam quæ vulgo cæteris aquis supernatant. E.

3. *Arethusa.* De qua Plinius, loco jam laudato, VI, 31. ED.

4. *Pisces alit.* Quod quidem de Asphaltite lacu negatur etiam nunc a plerisque, licet conchylia in ejus littore colligi non disputetur, et de piscibus dubitari possit. ED.

5. *Manduriam.* In Chiffl. cod. *Anduriam.* Livius, lib. XXVII, cap. 15, Mandurium in Salentinis agnoscit. Stephano, Μανδύριον, πόλις Ἰαπυγίας. Lacus qui hic describitur, *Andoria* hodieque appellatur, VII circiter pass. mill. ultra Tarentum, ad oppidum *Casalnuovo*, ut ait Leander. HARD.

6. *Neque exhaustis aquis minuitur.* Id specie tenus fieri potest, si lacus ille quamvis parvus cum receptaculis ingentibus per occulta spiramenta communicet, undarum æquilibrio statim e majoribus stagnis supplente quod eximitur, aut in illa statim diffundente quod additur. ED.

mine [7], et in Piceno [8] lacu Velino, lignum dejectum lapideo cortice obducitur : et in Surio [9] Colchidis flumine, adeo ut lapidem plerumque durans adhuc integat cortex. Similiter in Silaro [10], ultra Surrentum, non virgulta modo immersa, verum et folia lapidescunt, alias salubri potu ejus aquæ. In exitu paludis Reatinæ [11] saxum crescit [12]. Et in Rubro mari oleæ [13], virentesque frutices enascuntur.

7. *In Ciconum flumine.* Seneca, Nat. quæst. lib. III, c. 20 : « Interest utrum per loca sulphure, an nitro, an bitumine plena aquæ transeant. Hac ratione corruptæ, cum vitæ periculo bibuntur. Hinc illud de quo Ovidius ait :

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit
Viscera, quod tactis inducit marmora rebus. »

Metam. lib. XV, v. 313. Ac paulo post : « Inde est quod res abjectæ in eumdem lacum lapideæ extrahuntur. Quod in Italia quibusdam locis evenit : sive virgam, sive frondem demerseris, lapidem post paucos dies extrahis, etc. » De Ciconum regione dicetur lib. IV, cap. 18. H.

8. *In Piceno.* Hoc est, ut ego quidem interpretandum benigne censeo, in ea Sabinorum regione, ex qua orti sunt Picentes, ut dicetur, lib. III, c. 18. Nam in mediis Sabinis, quæ quarta Italiæ regio est, lacus est Velinus, *lago di Pie di Luco* : non in vero Piceno, quo quinta Italiæ regio continetur. Hard.

9. *Surio.* Rursus de eo Plinius, lib. VI, cap. 4. Ed.

10. *In Silaro.* De eo lib. III, cap. 9. Eadem refert Strabo, lib. V, pag. 251. Silius Italicus, lib. VIII, 580.

Nunc Silarus quos nutrit aquis, quo gurgite tradunt
Duritiem lapidum mersis inolescere ramis. II.

—Lapidescentem hanc Silari, nunc quoque *Silaro*, vim prædicant Aristoteles, Strabo et Silius Italicus. Hodie indigenis est ignota. Vide cl. Major, *les Ruines de Pæstum*, p. 22. Pro *et folia*, Mss. Reg. 5, 6, habent *et volatilia.* Brot. — Pro *in Silaro*, Dalec. et Elzev. contra codicum fidem, *in flumine Silaro* ediderunt. Quod ad rem attinet, nulla est fere regio quæ non hujusmodi fontes habeat, quibus demersa ligna, pro aquarum varietate, nunc obducta indurantur crusta, lapideis circumsidentibus particulis; nunc in silicem quasi vertuntur, penetrante porosam materiem soluta in aquis silice, et in locum discedentium ligni partium subeunte. Ed.

11. *Paludis Reatinæ.* Reate in Sabinis, de quo lib. III, cap. 17. De hac palude rursum lib. XXXI, cap. 8. Hard.

12. *Saxum crescit.* Subsidente circum solo, vel aquis pluvialibus ablato, quod circa silices molares, apud se frequentissimas, sæpe observatum referunt, qui vicinam Meldis civitatem accolunt, *La Ferté sous Jouarre.* Simile quid in nonnullis Aremoricæ locis notaverunt incolæ, et nobis indicaverunt. Ed.

13. *Et in Rubro mari oleæ, virentesque frutices enascuntur.* Tota hæc clausula, de oleis fruticibus-

Sed et fontium plurimorum natura mira est fervore. 6
Idque etiam in jugis Alpium[1], ipsoque in mari inter Italiam et Ænariam[2], ut in Baiano sinu, et in Liri fluvio, multisque aliis. Nam dulcis[3] haustus in mari plurimis locis, ut ad Chelidonias[4] insulas, et Aradum[5], et in Gaditano[6]

que Rubri maris, expungenda est, ceu spuria : quum nulli eam libri manu scripti habeant; atque huc translata temere ex lib. XIII, cap. 48, videatur. Hard. — Corallia, quibus Rubrum præsertim abundat mare, plantarum arborumque species ita fallaces exhibent, ut ante felicissimas Caroli Peyssonel investigationes, id est aute annum 1725, pro vegetabilibus habita sint; credideritque observator alioquin egregius, cl. Marsigli, eorum se flores deprehendisse; et in primis editionibus Car. Linnæi Generum Plantarum, inter cryptogama recenseantur. Nunc animalia esse polypis affinia omnes sciunt. Nec vero alienum erat a Plinii instituto post crescentes lapides lithophyta commemorare : quæ in tantum exuberant, ut totas interdum constituant rupes; novosque scopulos et, si Deo placet, insulas novas, in Indico oceano memoria patrum nostrorum creaverint. Frequens sui iterator est Plinius; quare nolim cum Harduino totum hunc locum audaci nimis conjectura reprobare. Pintianus quidem in Tolet. et Salm. codd. hæc verba desiderari monet; sed a cæteris exsulare non animadvertit Dalecampius, qui Theophrasti auctoritatem ad h. l. adducit. Ed.

1. *In jugis Alpium.* In radicibus Alpium aut in subalpinis montibus, intelligo. Nullæ enim, quantum equidem sciam, summis in Alpibus repertæ sunt aquæ thermales. Ed.

2. *Inter Italiam et Ænariam.* Nota plerumque e Vulcanio solo fontes calidos enasci. Tota meridionalis Italiæ plaga vicinumque mare subterraneis ignibus laborat, ut jam dictum est. Baianus sinus, fluvius Liris, insula Ænaria, eodem pertinent. Ed.

3. *Nam dulcis.* De mari certe quod Aradum alluit, id Strabo diserte affirmat, lib. XVI, pag. 754; modumque idem aperit, quo ex ipso maris fundo dulcis aqua peti ibi soleat : qui modus hodieque in usu frequenti est ad Ormuziam insulam, ut Furnerius refert Hydr. lib. IX, cap. 26. De Gaditano fonte seu puteo diximus, cap. 100. H.

4. *Chelidonias insulas.* Luciano teste, Pamphylium mare a Lycio separant; scopuli sunt potius quam insulæ, hodie *le Correnti*, ante Chelidonium sive Sacrum promontorium, quod Taurus mons in mare prominens efficit. Rursus de illis Plinius, V, 35, et IX, 85. Ed.

5. *Aradum.* Aradus, Phœnicum insula, ponte apud Orthosiam urbem continenti juncta. Miller. — Plura de illa Plinius habet, libro V, cap. 17. Ed.

6. *Gaditano oceano.* Intellige partem Atlantici oceani Gadibus proximam. Ed

7 Oceano. Patavinorum[7] aquis calidis herbæ virentes innascuntur : Pisanorum[8], ranæ : ad Vetulonios[9] in Etruria non procul a mari, pisces. In Casinate[10] fluvius appellatur Scatebra[11], frigidus, abundantior æstate : in eo, ut in Arcadiæ Stymphali[12], enascuntur aquatiles musculi[13]. In Dodone[14] Jovis fons, quum sit gelidus, et immersas faces

7. *Patavinorum.* Aquas Aponenses dictas significat, a Patavio quinto lapide dissitas : quarum e rivulis virides se florentesque plantas excerpsisse scribit Fallopius, lib. de Aquis thermal. cap. 17, quum aquas illas non calidas modo, ut Plinius ait, sed et ferventissimas esse idem Fallopius asseveret. Claudianus item, carmine XLIX, 2 et sqq. cujus lemma, *Aponus*:

> Fataque vicinis noxia pellis aquis. etc.
> Ardentis fecundus aquæ, quacumque cavernas
> Perforat, offenso truditur igne latex ...
> Quis sterilem non credat humum? fumantia vernant
> Pascua : luxuriat gramine cocta silex. etc.

Eximia est hujus fontis descriptio apud Cassiodorum, lib. II, Variar. ep. 39, quæ est Theodorici Regis ad Aloisium architectum. Hard.

8. *Pisanorum.* Tertio fere a Pisis lapide, qua Lucam iter. Hard.

9. *Vetulonios.* Vetulonii oppidi rudera *Vetuglia*, juxta silvam *Vetletta* visuntur etiamnum in Etruria. Similis huic Vetuloniorum fonti fons ille, de quo Busbequius αὐτόπτης, Epist. I, pag. 10 : « Illud quoque, inquit, dum eram Budæ (in Hungaria) videre juvit, fontem, qui est extra portam, qua iter est Constantinopolim, in summo ferventem, cujus tamen in fundo natantes despicias pisces : quos inde nisi coctos eximi posse non putes. » H.

10. *In Casinate.* Casinum, extremum in Volscis et septemtrionali Latio trans Lirim oppidum, unde *Casinas ager.* Miller. — Ibi celeberrimum totius Occidentis monasterium, *le Mont cassin*, vel *Montecasino.* Ed.

11. *Scatebra.* Præterfluit oppidum S. Germani prope Cassinum; influit in Vinium, cujus Varro meminit : ambo deinde in Lirim, quem vocant *il Garigliane.* Hard.

12. *Stymphali.* Arcadiæ is lacus est, Στυμφαλίς Herodoto, Erato, seu lib. VI, pag. 358. Hard.

13. *Aquatiles musculi.* Mures aquatici : non mituli pisces, ut visum est nonnemini. Vide lib. XXXI, cap. 10. Hard.

14. *In Dodone.* Meminere hujus fontis, ac miraculi, Lucretius, lib. VI; Mela, lib. II, cap. 3; Solinus, cap. VII, p. 22; Augustin. de Civit. lib. XXI, cap. 5; Isidorus, lib. XIII, cap. 13; aliique. Hard. — Urbs est Epiri, Jovis oraculo notissima. Observat Doctissimus Bouguer ad h. loc. multa de fontibus fabulosa narrari, quæ cominus inspecta ad nihilum recidant : nec mirum esse, si in regione aspera, ubi montes nonnulli toto anno nives et glaciem ferant, rivi et fontes certis quibusdam horis intumescant et decrescant : Solis enim radiis liquescere nives; neque id perpetuo fieri, montium

exstinguat, si exstinctæ admoveantur, accendit. Idem meridie semper deficit (qua de causa Ἀναπαυόμενον[15] vocant); mox increscens ad medium noctis exuberat; ab eo rursus sensim deficit. In Illyriis supra frontem frigidum expansæ 8
vestes accenduntur. Jovis Hammonis[16] stagnum interdiu frigidum, noctibus fervet. In Troglodytis[17] fons[18] Solis appellatur, dulcis, circa diem maxime frigidus: mox pau-

sæpe jugis mutuo se obumbrantibus, nec nisi vicissim calorem sentientibus: regiones autem etiam remotas a montibus sentire, quamvis serius, has varietates, ita ut sæpe interdiu liquefactæ nives non ante mediam noctem longinquos incipiant augere rivos. Ed.

15. Ἀναπαυόμενον. Quasi alternis requiescens, ac meridians: diem diffindens, ut Varro loquitur, insititia quiete. Similem plane fontem in Provincia, quæ Galliæ pars est, Collis-Martiensem appellatum, describit eleganti oratione Gassendus in Laërtii lib. X, pag. 1060. H.

16. *Hammonis stagnum*. Ingentes tenebras offudere rei chorographicæ, qui neglecta omnium codicum, Reg. 1, 2, Chifflet. etc. vetere ac sincera scriptura, edi curaverunt, *Hammonis fons*, pro voce *Stagnum*. Inde nata eruditorum conquestio, abire a cæteris scriptoribus Plinium qui geminum fontem inducat, ubi cæteri unum agnoscant. — Hæc est πικρὰ καλουμένη λίμνη, amarum stagnum, apud Diodorum, lib. VII, pag. 527, centum fere stadiis dissitum ab oppidulis, quæ nomine Jovis Hammonis censentur: quod nomen et stagno hæsit. H. — Vibius Sequester idem quoque memorat, notante Poinsinet de Sivry: «Hammonis, inquit, lacus in Africa, qui ortu Solis et occasu incaudescit, reliquo tempore frigidus est.» Ed.

17. *In Troglodytis*. Æthiopibus scilicet, de quibus, lib. V, cap. 5 et 8. Horum in confinio positam ædem Jovis Hammonis ad septemtrionem, Curtius auctor est, lib. IV, num. 29. Hard. — Harduini nota eo pertinet, ut Troglodytas Hammonis templo confines fuisse monstret, quod hunc Solis fontem, quem apud eos ponit Plinius, vicinum fuisse Hammonis stagno narret Solinus. Troglodytarum patria nullis bene certis limitibus definitur; nec enim solum (observante Millero) ad Ægyptum et sinum Arabicum, sed et variis in regionibus, et in medis Æthiopia, et in Scythia fuerunt: commune videlicet nomen cavatas sub terra speluncas habitantibus barbaris. Hammonis tamen templum in oasi situm inter arenas fuit, in queis non videntur habitabilia fuisse antra, ideoque nec Troglodytæ. Ed.

18. *Fons Solis*. De eo Herodot. Melpom. lib. IV, n. 181; Diodorus, lib. XVII, pag. 528; Mela, lib. I, cap. 8; Curtius, loc. cit. aliique. Neque mirum debet videri, Garamantico fonti alteri, de quo lib. V, cap. 5, easdem prope mutationes adjudicari, vicesque caloris ac frigoris: quum tota hæc regio, etiam

latim tepescens, ad noctis media, fervore et amaritudine[19] infestatur.

9 Padi fons[1] mediis diebus æstivis velut interquiescens[2] semper aret. In Tenedo[3] insula fons semper tertia[4] noctis hora in sextam ab æstivo solstitio exundat. Et in Delo insula Inopus[5] fons eodem, quo Nilus, modo, ac pariter cum eo, decrescit augeturque. Contra Timavum amnem insula[6] parva in mari est cum fontibus calidis, qui pa-

mediis in arenis, multis manet fontibus, et dulcibus aquis, ut Curtius monet loco citato. Hard.

19. *Amaritudine.* Hoc in eo fonte singulare, nec cum Garamantico, aliisve, sed cum stagno tamen, de quo proxime dictum est, ei commune. Hard.

1. *Padi fons.* Padus aut Eridanus, ille fluviorum rex, originem ex Alpium torrentibus capit, qui ad limum siccari solent, ubi aut nives aut imbres defuere. Ed.

2. *Interquiescens.* Vera hæc interpretatio verbi ἀναπαυόμενον, quod supra scriptum invenimus. Ed.

3. *Tenedo.* Notissima fama insula, ut ait Virgilius, Phrygiæ littoribus propinqua. De hac Plinius, lib. V, cap. 39. Fontem ibi intermittentem frustra quæsivit cl. le Chevalier, *Voyage de la Troade*, tom. I, p. 219. Ed.

4. *Tertia noctis hora in sextam.* Solstitii quidem tempore, nos more nostro diceremus: a nona vesperæ hora ad noctem mediam. Ed.

5. *Inopus fons.* Prodigiosa commenta augent, inquit Strabo, lib. VI, pag. 271, qui Inopum e Nilo in Delum derivant: Ἐπιτείνουσι δὲ τὴν τοιαύτην τερατολογίαν, εἰ τὸν Ἰνωπὸν εἰς Δῆλον ἐκ τοῦ Νείλου περαιοῦντες. Idem habet et Pausanias. Strabo, lib. X, pag. 458, fluviolum ait esse. Hodie nec hujus fontis ullum, nec fluvii ibi vestigium est. H. — Inopus fons, est quidam in insula Delo puteus, cujus diameter est XII passuum circiter. Mense octobri altitudinem aquæ esse pedum XXIV reperit cl. Tournefort; mensibus Januario et Februario amplius pedum XXX. Fabula est fontem illum cum Nilo, aut ut aiunt indigenæ, cum Jordane crescere aut decrescere. Vide cl. Tournefort, *Voyage du Levant*, tom. I, pag. 347, edit. in 8°. Brot.

6. *Insula parva.* Pæninsula est, cujus latus meridionale clauditur mari; orientale, Timavo amne; septemtrionale, fluviolo in Timavum defluente, cui cognomen a D. Antonii nomine inditum. Fontes calidi, *i bagni di Monte Falcone*, ab oppido cognomine proximo appellantur, iidemque *i bagni di S. Antonio*, ab ædicula huic Divo sacra. Distant a mari uno atque altero teli jactu; a Timavi fontibus, passibus fere mille. Hinc idem cum maris æstu incrementum detrimentumque patiuntur. Vide Senecam, Natur. quæst. lib. III, c. 16: « Sed quare quidam fontes senis horis pleni, senisque

riter cum æstu maris crescunt, minuunturque. In agro Pitinate[7] trans Apenninum fluvius Novanus[8] omnibus solstitiis torrens, bruma siccatur.

In Falisco[1] omnis aqua[2] pota candidos boves facit: in Bœotia[3] amnis Melas oves nigras: Cephissus, ex eodem

sicci sunt? » Causam afferre conatur Plinius junior, lib. IV, Epist. ultim. et Licetus, de Quæsitis per epist. lib. V, pag. 277. Hard. — Negat hoc esse mirum doctissim. Bouguer ad h. l. præsertim in tanta maris vicinitate, cum quo per obscuros meatus aqua fontis aut putei communicare potest; additque in Aremoricæ littoribus, circa *Plougastel*, non procul a portu clarissimo *Brest*, talem observari puteum, de quo plura disseri monet in Memor. Acad. Scient. an. 1717. Cæterum Plinius ipse, supra, cap. 10, similia omnino de fontibus aliis narraverat. Ed.

7. *Pitinate.* Pitinum civitas Episcopalis fuit, ut apparet ex Concilio Rom. sub Symmacho. Exstare ejus vestigia ait Holstenius in Geograp. tribus circiter millibus passuum ab Aquilana civitate: loco nomen, *Torre di Pitino.* Hard.

8. *Novanus.* Forte *Vomanus* legi satius fuerit. Nam de Vomano flumine trans Apenninum in Piceno mentio lib. III, cap. 18. Exempla plurima fontium, amniumque, qui arescant hieme, æstate redundent, vide apud Fr. Restam, in Meteor. tract. 2, de flum. et font. p. 735. H.

1. *In Falisco.* De Falisco Plinius, lib. III, cap. 8. Hard.

2. *Omnis aqua pota candidos boves acit.* Ita Reg. 1, 2, etc. Labem inulere huic loco eruditi, qui quum apud Virgilium legissent: « Hinc albi, Clitumne, greges, etc. » vocem hanc *omnis aqua* in *Clitumni aquam*, neglecta librorum MSS. auctoritate, mutare ausi sunt: sic enim in editione Parmensi, aliisque vetustioribus legitur. Quis tam ignarum locorum Latio confinium Plinium putaverit, ut nesciret Clitumnum amnem esse in Umbria, Faliscum vero agrum in Etruria, ut notat ipse lib. III, cap. 8. Etiamnum hodie totus hic Faliscorum tractus, inter Ciminium montem, *Montagna di Viterbo*, et Tiberim amnem, circa Soractem montem, boves albas habet. Hard. — Non in peculiari tantum circa Clitumnum agro, nec in Falisco tantum, sed in omni pæne Etruria ac maxima parte Italiæ, boum armenta album præcipue colorem affectant. Ed.

3. *In Bœotia.* Hoc de utroque Bœotiæ amne, tacito tamen nomine, refert ex Varrone Solinus, cap. VII, p. 23. Seneca miraculum explicat, vel etiam auget, Natur. quæstion. lib. III, cap. 25: « Quibusdam fluminibus vis inest mira. Alia enim sunt, quæ pota inficiunt greges ovium: intraque breve tempus, quæ fuere nigræ, albam ferunt lanam; quæ albæ venerant, nigræ abeunt. Hoc etiam in Bœotia amnes duo efficiunt: quorum alteri ab effectu Melas nomen est; uterque ex eodem lacu exeunt, diversa facturi. » Hard.

lacu profluens, albas : rursus nigras Peneus[4] : rufasque juxta Ilium Xanthus[5], unde et nomen amni. In Ponto fluvius Astaces[6] rigat campos, in quibus[7] pastæ nigro lacte equæ gentem alunt. In Reatino[8] fons Neminia[9] appellatus, alio atque alio loco exoritur, annonæ mutationem significans. Brundisii[10] in portu fons incorruptas[11] præstat
11 aquas navigautibus. Lyncestis[12] aqua, quæ vocatur aci-

4. *Peneus.* Seneca eleganter loco citato : « Si lana opus fuerit nigra, puellis paratus gratuitus infector est : ad Peneum gregem appellunt. » Sic enim prius legebatur, quam Muretus *ad Ceronem* scriberet. HARD. — Harduinus et omnes fere libri *Penius;* quam nos scripturam Latinis inusitatam in verbo præsertim notissimo non esse admittendam putavimus, eo certiores quod ipse Plinius, lib. IV, cap. 15, *Peneum* vocet, qui Græcis Πηνειὸς est. ED.

5. *Rufasque juxta Ilium Xanthus.* Sic Aristoteles Histor. animal. lib. III, cap. 10, ubi ξανθὰ πρόβατα, ex Scamandri potu, qui deinde Xanthus ab ea re dictus est, provenire scribit. Vitruvius pariter, lib. VIII, cap. 3, ξανθὰ πρόβατα, *armenta rufa* transtulit. Alii *fulva* malunt. Refert hoc ipsum Ælianus, hist. animal. lib. VIII, cap. 21. HARD.

6. *Astaces.* Vel Astacenos, hoc est Astacenæ regionis. HARD. — Cave credas. Astaces fluvius est, etsi nunc ignotus, qui regioni fortasse nomen dederat. De Astaco oppido, et Astaceno sinu, vide lib. V, cap. 43. ED.

7. *In quibus pastæ*, etc. Vet. apud Dalec. *in quibus oves pastæ nigro lacte, et equæ*, etc. ED.

8. *In Reatino.* Jam de illo dictum ad cap. 96 : plura Plinius et nos ad lib. III, cap. 17, sub finem. ED.

9. *Neminia.* Sic Dalec. et Elz. veteresque. Harduinus *Neminie;* male, ut opinor : nominis enim Sabini Græcam terminationem quis non miretur? ED.

10. *Brundisii*, hodie *Brindisi*, gallice *Brindes*, in Calabria, olim Salentinorum. ED.

11. *Incorruptas præstat.* Ita Reg. 2. At Reg. 1, et Chiffl. *incorruptas in spira præstat :* forte, pro *incorruptas semper præstat.* HARD.

12. *Lyncestis.* Nomen habet a Lynco oppido, de quo lib. IV, cap. 17. Ἔστι δὲ καὶ περὶ Λύγκον κρήνη τις ὕδατος ὀξέος, inquit Arist. Meteorolog. lib. II, cap. 3. Vitruvius, lib. VIII, cap. 3 : « Sunt nonnullæ, inquit, acidæ venæ fontium, uti Lyncesto, etc. » Seneca, Quæst. Nat. lib. III, cap. 20 : « Hoc habet mali et Lyncestius amnis,

Quem quicumque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter turbat, quam si mera vina bibisset. »

Ovidiani sunt versus, ex lib. XV, Metam. v. 329. Vide D. DE BOISSIEU, lib. de septem miraculis Delphinatus, pag. 123, in Oenirrhoe, seu fonte vinoso, agri Vapincensis. Plinius a Theopompo hæc accepisse se profitetur, lib. XXXI, cap. 13. De aqua Lyncestide Theopompum laudat auctorem et Sotion, in Ex-

dula, vini modo temulentos facit. Item in[13] Paphlagonia, et in agro[14] Caleno. In Andro[15] insula, templo Liberi patris, fontem Nonis Januariis semper vini sapore fluere Mucianus[16] ter Consul credit : Διὸς Θεοδοσία[17] vocatur. Juxta Nonacrin[18] in Arcadia[19] Styx, nec odore differens, nec colore, epota illico necat. Item in Libroso[20] Taurorum colle tres fontes, sine remedio, sine dolore, mortiferi. In Carrinensi[21] Hispaniæ agro duo fontes juxta fluunt, alter

cerptis de fluminibus ac fontibus, pag. 140. Hard.

13. *In Paphlagonia.* Vitruvius loc. cit. pag. 164, et Athenæus, lib. II, pag. 42. Hard.

14. *Agro Caleno.* In Campania. Valerius Max. lib. I, cap. 8 : « Vel quare alteram in Macedonia, alteram in Caleno agro aquam, proprietatem vini, qua homines inebrientur, possidere natura voluerit. » Hard.

15. *In Andro.* De hoc miraculo dicetur, lib. XXXI, cap. 13. Hard. — Insula Ægæi maris, Eubœæ et Atticæ littoribus opposita. Miller. — Hodie *Andro*. Vide Plinium, lib. IV, cap. 23. Ed.

16. *Mucianus.* Auctor ille est Vespasianorum fortunæ, consul suffectus annis DCCCV, DCCCXXIII, et DCCCXXVIII, de quo plura in Indice Auctorum. Ed.

17. Διὸς Θεοδοσία. Ita codices Reg. 1, 2, tresque alii, et Pintiani duo : tanquam si dixeris, divinum Jovis munus hunc fontem esse. Ea lectio potior videtur, quam quæ hactenus recepta est in libris editis, Διὸς τεκνωσία, perinde ac si Jovis partus, (quia Jovis femore Liberum genitum fabulæ ferunt) ad hunc fontem quidquam attineat. Hard.

18. *Juxta Nonacrin*, etc. Vitruvius loc. cit. Plinius ipse, lib. XXXI, cap. 19, aliique. Magnifice, ut solet, Seneca, Natural. quæstion. lib. III, cap. 25 : « Circa Nonacrin in Arcadia Styx appellata ab incolis, advenas fallit, quia non facie, non odore suspecta est : qualia sunt magnorum artificum venena, quæ deprehendi nisi morte non possunt. » Vide et Strabon. lib. VIII, pag. 389. Hoc refert ex Varrone Solinus cap. VII. Hard. — Hinc Stygis infernæ fabula, cujus nomen græce odium et mœrorem significat. Ed.

19. *In Arcadia.* Sic Chiffl. codex et alii. Dalecamp. et Elz. *Arcadiæ*, omisso τῷ *in*. Ed.

20. *In Libroso.* Ita Reg. 1. At Reg. 2, *Liberoso*. Editi deterius, *Beroso*. De Tauris Scythiæ populis, lib. IV, cap. 26. Hard.

21. *Carrinensi.* Pagus est tenuis, quatuor fere a Conimbrica leucis, quod etiamnunc incolæ appellant *Carromeu*, ut forte *Carrimensi* scribi in Pliniano contextu oporteat. Ibi tres ii fontes visuntur, quos Plinius hoc loco commemorat. Alterum ex iis omnia absorbentem, *Fervenças* vocant, quod perenni aquarum et arenarum ebullitione fervet. Vide Vasconcellium in descriptione regni Lusit. et Andr. Sesendium, lib. II, Antiq. Lusit. Hard.

omnia respuens, alter absorbens. In eadem gente alius, aurei coloris omnes ostendit pisces, nihil extra illam aquam
12 cæteris differentes. In Comensi, juxta Larium lacum, fons largus [22] horis singulis semper intumescit ac residet. In Cydonea [23] insula ante Lesbon, fons calidus vere tantum fluit. Lacus Sinnaus [24] in Asia circumnascente absinthio inficitur [25]. Colophone [26] in Apollinis Clarii specu lacuna est, cujus potu [27] mira redduntur oracula, bibentium breviore [28] vita. Amnes retro fluere [29] et nostra vidit ætas, Neronis principis annis, supremis sicut in rebus ejus retulimus [30].

13 Jam omnes fontes æstate quam hieme gelidiores [1] esse, quem fallit? Sicut illa permira naturæ opera: æs et plumbum in massa mergi, dilatata fluitare [2]; ejusdemque fon-

22. *Fons largus.* Hunc fontem describit eximie Plinius junior, lib. IV, epist. ult. Est ad orientalem Larii lacus plagam, *Lago di Como*, x mill. pass. a Como. HARD.

23 *Cydonea.* Vide lib. V, cap. 39. HARD.—Dalec. et Elz. *Sydonia*, male. ED.

24. *Lacus Sinnaus.* In Reg. 2, *Sannaus*, Reg. 1, et Colb. 1, *Annaus.* Chiffl. *Inaus.* Alii, *Amaus.* Συναὸς urbs est magnæ Phrygiæ Ptolemæo, lib. V, cap. 2. HARD.

25. *Inficitur.* Amarescit. HARD.

26. *Colophone.* Urbs Ioniæ maritima. De hac et de Apollinis Clarii templo, Plinius, lib. V, cap. 31. ED.

27. *Cujus potu.* Tacitus, Annal. lib. II. cap. 54, de Germanico: « Appellit Colophona, ut Clarii Apollinis oraculo uteretur. Non femina illic, ut apud Delphos: sed certis e familiis, et ferme Mileto, accitus sacerdos, numerum modo consultantium et nomina audit: tum in specum degressus, hausta fontis arcani aqua, ignarus plerumque litterarum et carminum, edit responsa, etc. » HARD.

28. *Bibentium breviore vita.* Annorum quoque jactura Delphicæ pythiæ constabat vaticinandi munus. Lucan. lib. V, vers. 116. ED.

29. *Retro fluere.* Id plerumque fit terræ motu aut vehementiore maris influxu. Hujusmodi prodigiis pleni sunt poetæ. ED.

30. *Retulimus.* In libris historiarum, quos a fine Aufidii Bassi composuit, ut dictum est in Præfatione ad Vespas. HARD.

1. *Gelidiores.* Comparatos scilicet cum aeris externi temperie. Nam ipsi e profundis terræ visceribus æqualem prope quovis anni mense temperiem afferunt. ED.

2. *Dilatato fluitare.* Aurum et alia metalla in lamellas tenuissimas dilatata, si aquis imponantur, fluitant, nec statim, licet graviora, mer-

deris[3] alia sidere, alia invehi. Onera in aqua[4] facilius moveri. Scyrium lapidem[5], quamvis grandem innatare, eumdemque comminutum mergi. Recentia cadavera ad vadum labi, intumescentia[6] attolli. Inania vasa haud[7] facilius, quam plena, extrahi. Pluvias[8] salinis aquas utiliores esse, 14

guntur ad imum : quod parva cum aquis affinitate prædita, haud facile tota superficie liquori adhæreant ; at plerumque aeris aliqua parte circumdentur, levioris aqua, ideoque gravitatem ipsorum quasi compensantis, ut observat Cl. BOUGUER, ad h. l. ED.

3. *Ejusdemque ponderis.* Non enim absolutum pondus, sed, ut physici nostri loquuntur, specificum, in ea re considerari oportet. ED.

4. *Onera in aqua.* Quod tunc, ex illorum pondere, paris aquæ voluminis pondus detrahatur. ED.

5. *Scyrium lapidem.* Quum in libris editis omnibus legatur *Thyrreum;* in Reg. 1, 2, Colb. 2, etc., *Tyreum :* nos ex certissima conjectura *Scyrium* rescripsimus. Illud enim naturæ miraculum a Plinio nunc refertur, cujus est iterum mentio, lib. XXXVI, cap. 26, statim initio his verbis : « Lapidem e Scyro insula integrum fluctuare tradunt, eumdem comminutum mergi » H. — Ad pumices pertinet. BROT. — Species quoque silicis, *le quarz nectique.* Germanis *schwimmstein*, passim et apud nos invenitur, levior aquis et paulisper innatans : sed mox humorem combibit, ac demergitur. Scyrium lapidem rectius ad pumices retulit Broterius, quorum origo vulcania est, natura vero tam levis, ut innumerabiles sæpe circa insulas Archipelagi fluitent. ED.

6. *Intumescentia.* Post duos vel tres dies, inquit Cardanus : post septem, Levinus Lemn. lib. de Occultis nat. Causam hujus emersionis cadaverum ex aqua, refundunt physici in spiritus, quibus pulmo et meatus omnes implentur, quum putrescit corpus et intabescit. Vide Fr. Restam, tract. 1; de Mari, pag. 706; Furnerium, Hydrograph. lib. III, c. 28, p. 117. HARD. — Putredo quippe humores corporis in sua quosque elementa, id est, in gaza aeriformia dissolvere contendit, quæ quidem omnia sunt aquis leviora. De putredinis effectibus, conferre licet chimicos fere ad unum scriptores. ED.

7. *Haud facilius.* Falso dictum. Sed constat, etiam inanibus vasis, dum extrahuntur, pondus ac difficultatem addi, quum aquarum superfusarum resistente vi, quandiu demersa sunt, tum adhærente aquis ipsorum superficie, ubi ultima fit separatio, propter illam, quam antea jam indigitavimus, affinem phænomenis capillaribus attractionem. ED.

8. *Pluvias salinis.* Hoc illud est, quod rursum ait, lib. XXXI, cap. 39 : « Sal vulgaris, plurimusque in salinis, mari affuso, non sine aquæ dulcis riguis, sed imbre maxime juvante. » H. — Imbre maxime, quod rivorum et fontium aquæ particulas semper calcareas aut siliceas secum

quam reliquas : nec fieri salem[9], nisi admixtis dulcibus. Marinas tardius gelare[10], celerius accendi[11]. Hieme mare calidius esse[12], autumno salsius[13]. Omne oleo tranquillari[14]:

trahant, quibus sal infici et corrumpi potest. Ed.

9. *Nec fieri salem.* Falsum plane; sufficit enim colligendo sali, si aqua marina in vapores quocumque modo resoluta salinas particulas, quibus erat infecta, nudas reliquerit. Ed.

10. *Tardius gelare.* Quia aquæ salsæ calidiores sunt, ut ex Aristot. diximus, cap. 104. Hard.—Compertum est aquam, dum congelatur, sales admixtos deserere, quos chimica vi liquori adhærentes necesse est non sine aliqua difficultate separari: hinc retardatur gelu; salsiorque semper est in aquis marinis pars quæ ultima congelascit, ut marium septemtrionalium accolæ probe norunt, qui glaciatæ aquæ residuum liquorem conficiendo sali adhibent. Ed.

11. *Celerius accendi.* Ita Aristot. sect. 23, Problem. 15; et Plutarc. Sympos. lib. I, quæst. 9: Αὐτή τε ἡ θάλαττα προσραινομένη ταῖς φλοξὶ συνεκλάμπει, καὶ καίεται μάλιστα τῶν ὑδάτων τὸ θαλάττιον· ὡς δ' ἐγ' ᾤμαι, διὰ τοῦτο καὶ θερμότατόν ἐστιν. « Injecta, inquit, in flammam aqua marina simul exardescit; neque ulla alia est aqua quæ perinde incendatur : utque mea fert sententia, idcirco etiam est calidissima. » H. — Aqua marina pro varia portione mixtas continet res facile flammescentes, vel flammam adjuvantes, chlorum, sulphur, etc., sed ita mixtas, ut simul exardescere vix possint. Omnis autem aqua, nimis parce flammis inspersa, dilatatione subita aerem impellit, et magis alit quam compescit incendium. Ed.

12. *Hieme mare calidius.* Aristot. section. 26, Problem. 60. Hard.—Intellige maris calorem tardius decrescere quam terræ, quod scilicet in immensa aquarum mole sub variis latitudinibus porrecta, ventis et fluentis perpetuo agitata atque commixta, media quasi temperies ideoque æquabilior efficiatur : sed eamdem ob causam, redeunte vere tardius intepescunt maris aquæ, et per æstatem semper frigidiores sunt quam circumfusus aer, exceptis duntaxat locis sub torrida zona jacentibus. Ed.

13. *Autumno salsius.* Forte a pluviis primo autumno decidentibus, quas esse tum salsiusculas docet Aristot. Meteorol. lib. II, cap. 3. Hard.—Immo potius, quod, æstate fervente et fluvios exsiccante, minus aquæ dulcis per aliquot menses mari ingestum fuerit. Ed.

14. *Tranquillari.* Vide Plutarch. loco citato : Διὰ τί τῆς θαλάττης ἐλαίῳ καταῤῥαινομένης γίνεται καταφάνεια καὶ γαλήνη ; « Cur mare oleo conspersum, perlucidum fit et tranquillum? » Hard.—Pauca illa verba *mare oleo tranquillari*, ut et multa alia similia, nuperis experimentis illustrata, miram Plinii intelligentiam, ejusque operis utilitatem comprobant. Cl. Franklin hæc experimenta, a Batavis aliisque gentibus, quæ maria adeunt, feliciter renovata, instituit; recteque monuit plurimum errare, qui antiquos par-

et ob id[15] urinantes ore spargere; quoniam mitiget naturam asperam, lucemque deportet. Nives in alto mari non[16] cadere. Quum omnis aqua deorsum[17] feratur, exsilire[18] fontes: atque etiam in Ætnæ[19] radicibus, flagrantis in tantum, ut quinquagena et centena millia passuum arenas flammarum globus[20] eructet.

vi pendant, et antiquitus nota perspectaque negligant. Brot.—Magna Franklini auctoritas, sed non tanta ut parvam illam olei copiam, quæ ex navibus defundi potest, adversus immensi maris furores quidquam valere credamus. Videndus ipse Franklinus, ep. ad Soc. Reg. Lond. et ad doctorem Brownrigg. Ed.

15. *Et ob id.* Plutarch. loco cit. p. 915. H. — In mari quidem Mediterraneo, spongias oleo imbutas, secum deferunt urinatores, quibus inclusum aera, ubi respiratione opus sit, ore exprimant. Item in India, oleo palmarum os sibi implent ac distendunt, cujus partem interdum eructare dicuntur, levandæ respirationis causa. Confer Encyclopæd. verbo *Plongeur*. Sed quicumque demum sit istius olei usus, non sane compescendo maris æstui comparatur, qui vulgo in hac profunditate nullus est, et si quando ibi quoque sentitur, profecto non ita facile sisti potest, tota circum undarum mole impulsa. Ed.

16. *Non cadere.* Ob calidos halitus e mari exhalantes, quibus nix ante solvitur, quam decidat. Hinc etiam in locis maritimis est hiems mitior. Hard.—Reclamant hic, et Plinium erroris arguunt, qui septemtrionalia perlustrarunt æquora: sed antiqui raro extra Mediterraneum mare navigabant. Ed.

17. *Deorsum feratur.* Haud plane verum: neque enim libentius, quam aliud quidvis, deorsum fertur aqua; sed æquilibrium quærit: cujus parandi causa, in tantam altitudinem conscendere potest unda fontium, quanta est montium ipsorum proceritas, unde per occultos meatus originem ducit. Ed.

18. *Exsilire.* Nasci, e terra scaturire, etiamsi non aquas suas in altum jaculentur. Ed.

19. *In Ætnæ.* Miratur Plinius fontes nasci ex monte ignivomo; sed immensam ejus latitudinem non respicit, crescentem semper a summo ad imum, quum interim versus radices decrescat latitudo crateris, infundibulo formam referens. Ed.

20. *Arenas flammarum globus eructet.* Scrib. *flammarum globo.* Cl. Recupero, qui diligentissime Ætnam speculatus est, observavit eum igneorum saxorum moles tanta vi sonituque tonitru terribiliore sursum eructare, ut a momento, quo in maximam altitudinem erectæ, ad momentum, quo in terram deciderunt, numeraverit in eorum descensu 21 minuta secundi temporis, 21 *secondes*; et quum spatia sint, ut quadrata temporum, evidens est igneas illas moles percurrisse 7000 et amplius pedes. In Vesuvio numerantur tantum 9 minuta secunda, 9 *secondes*, quod adhuc 1000 et

1 CVII. Jamque[1] et ignium, quod est naturæ quartum elementum, reddamus aliqua miracula. Sed primum ex aquis.

1 CVIII. (CIV.) In Commagenes[1] urbe Samosatis stagnum est, emittens limum (maltham[2] vocant) flagrantem. Quum quid attigit[3] solidi, adhæret: præterea tactu[4] sequitur fugientes. Sic defendere muros oppugnante Lucullo; flagrabatque miles armis suis. Aquis etiam[5] accenditur. Terra tantum restingui docuere experimenta.

1 CIX. (CV.) Similis est natura naphthæ[1]: ita appellatur

paulo amplius pedes demonstrat. Vide Cl. BRYDONE, *Voyage en Sicile*, tom. I, pag. 190. BROT. — Veter. apud Dalec. *cineres et flammarum globos eructet*. Chiffl. *flammarum globo*, quem et Broterius secutus est. Nescio an vetus lectio præstabat, *et flammarum globos*, quam e Virgilio forte mutuatus sit Plinius. Cæterum dubitari potest, utrum in altitudinem, an in spatium numeranda sint hæc CL millia passuum, quæ nostrates leucas novem et dimidiam circiter efficiunt. De spatio multa incredibiliora fatentur hodierni physici: haud tamen assentior iis, qui cineres e Vesuvio erumpentes, anno 472, mense novembri, etiam Constantinopoli cecidisse, Procopio et Zonaræ concedunt. ED.

CVII. 1. *Jamque*. Chif. *namque*. E.

CVIII. 1. *Commagenes*. Pars est Syriæ septemtrionalis, cujus caput Samosata ad Euphratem. ED.

2. *Maltham*. Malthæ nomine duo notantur a Plinio: primum quidem, mixtura quædam ex calce recenti, adipe suillo, et fico, ut l. XXXVI, cap. 58. Deinde limus flagrans, ut hoc capite in quo versamur. Naphtham vocat Xiphilinus ex Dione in gestis Pompeii, p. 1, ed. Henr. Steph. ubi Luculli milites ait, dum Tigranocerta is obsideret, eo limo flagrante pessime fuisse vexatos: esse illud genus bituminis, quod rebus omnibus adhærescat, nec humidis exstingui possit: Τὰ Τιγρανόκερτα ἐπολιόρκει καὶ αὐτὸν οἱ βάρβαροι τῇ τε τοξείᾳ, καὶ τῇ νάφθᾳ κατὰ τῶν μηχανῶν χεομένῃ δεινῶς ἐκάκωσαν· ἀσφαλτῶδες δὲ τὸ φάρμακον τοῦτο, καὶ διάπυρον οὕτως ὥσθ' ὅσοις ἂν προσμίξῃ, πάντως αὐτὰ κατακαίειν· οὐδ' ἀποσβέννυται ὑπ' οὐδενὸς ὑγροῦ ῥαδίως. Simile quiddam accidisse Severi Imperat. principatu, idem Dio refert, lib. LXXV, p. 855, apud Xiphilinum. HARD. — Maltha, *la Malthe*, *la poix fossile*; cujus originem, ut et bituminum, ex obrutis subterraneoque igne incensis silvis merito repetebat Cl. ROUELLE. BROT.

3. *Attigit*. Vet. ap. Dal. *attingit*. E.

4. *Tactu*. Sic Harduin. ex Chiffl. Antea legebatur *tactus*. ED.

5. *Etiam*. In Chiffl. deest. ED.

CIX. 1. *Naphthæ*. Naphtha, *la naphthe*, bitumen est, et ejusdem originis ac maltha. BROT. — Maltha et naphtha non differunt; nisi quod maltha solidior est, picis instar, unde et

circa Babylonem[2], et in Astacenis[3] Parthiæ, profluens, bituminis liquidi modo. Huic magna cognatio ignium, transiliuntque[4] protinus in eam undecumque visam. Ita ferunt a Medea pellicem crematam, postquam sacrificatura ad aras accesserat, corona[5] igne rapta.

CX. (CVI.) Verum in montium miraculis, ardet Ætna[1] noctibus semper, tantoque ævo ignium materia[1] sufficit, nivalis hibernis temporibus, egestumque cinerem pruinis operiens. Nec in illo tantum natura sævit, exustionem[2]

pissasphaltha cognominatur; naphtha liquidior, instar olei, gallice *huile de pétrole*. Hinc chimici et geologi utramque speciem sæpe confundunt. Rectissime autem observat Cl. Bouguer ad h. loc. nondum, quum hæc scriberet Plinius, innotuisse celeberrimum naphtæ fontem, qui prope Mutinam in Italia cernitur, detectus, ut aiunt, anno 1640, a Fr. Ariosto, medico; nec alterum illum in Gallia, prope Gabianum, circa Biterras: quorum si alterutrum novissent antiqui, non sane reticuisset Noster. Ed.

2. *Babylonem*. Dal. *Babyloniam*. E.

3. *Astacenis Parthiæ*. Quoniam Astacenos Ponti, cap. 103, nominarat, hos alterius juris, Parthici nimirum imperii esse significat: Ἀστακηνὴ regio nominatur ab Isidoro Characeno, ἐν σταθμοῖς Παρθικοῖς. Hard.—Chifflet. *Austacenis*. Dalec. *Austagenis*. Elzev. *Astacene*. Ed.

4. *Transiliuntque*. Naphtha concipit ignem illico, et arripit. Vid. Dioscorid. lib. I, c. 101, et Strab. lib. XV, pag. 743. Ii et aphtham vocant. Hard.

5. *Corona igne*. Nota historia: Medeam iratam, veneno infectam pallam misisse ad pellicem Jasonis; ex qua palla ignis exsiliens, regiam cum Creonte socero et nova nupta deussit. Horatius in lib. Epod. de venenis Medeæ, Carm. 5:

> Quibus superba fugit ulta pellicem
> Magni Creontis filiam;
> Quum palla, tabo munus infectum, novam
> Incendio nuptam abstulit.

Coronam fuisse, non pallam, auctor est Plinius. Adstipulatur Apuleius, Asin. aur. lib. I, pag. 64: « Et ut illa Medea, unius dieculæ a Creonte impetratis induciis, totam ejus domum, filiamque, cum ipso sene, flammis coronalibus deusserat. » H.

CX. 1. *Materia*. Sic Harduin. ex Chiffl. Contra Dalec. et Elz. *materiæ*, in dandi casu. Ed.

2. *Exustionem*. Ignes subterraneos magis magisque crescere in dies, Veteres opinabantur, ex quo rerum omnium consecuturam aliquando conflagrationem, τὴν ἐκπύρωσιν putabant. Vide quæ dicturi sumus in eam rem, lib. VII, cap. 16. Hard. — Omnino contraria est hodie plerorumque physicorum opinio: qui, quum variis argumentis demonstrent vulcanios montes e liquidis adhuc et ignitis terræ visceribus materiam trahere, iidem ex ingenti numero locorum olim vul-

terris denuncians. Flagrat in Phaselide[3] mons Chimæra, et quidem immortali diebus ac noctibus flamma. Ignem ejus accendi aqua, exstingui vero terra, aut fœno[4], Gnidius Ctesias tradit. Eadem in Lycia Hephæstii[5] montes, tæda flammante tacti, flagrant[6] adeo, ut lapides quoque rivorum, et arenæ, in ipsis aquis ardeant: aliturque ignis ille
2 pluviis. Baculo si quis ex iis accenso traxerit sulcos, rivos ignium sequi narrant. Flagrat in Bactris[7] Cophanti noctibus vertex. Flagrat in Medis, et Sittacene[8], confinio

taniorum, nunc restinctorum, qui toto orbe passim occurrunt, non immerito colligere videntur, quo magis crassior fit terræ refrigescentis cortex, eo per ætates singulas rarescere magis hæc phænomena. Vide BUFFON, *Théorie de la terre*, et omnes de geologia scriptores. ED.

3. *In Phaselide*. De hac Lyciæ parte, sive, ut alii volunt, Pamphyliæ, quia in utriusque confinio sita, dicetur lib. V, cap. 26. Ctesiæ Cnidii verba recitat Photius in Bibl. cod. 73, pag. 146: Ὅτι πῦρ ἐστὶν ἐγγὺς Φασήλιδος ἐν Λυκίᾳ ἀθάνατον, καὶ ὅτι ἀεὶ καίεται ἐπὶ πέτρας καὶ νύκτα καὶ ἡμέραν, καὶ ὕδατι μὲν οὐ σβέννυται, ἀλλὰ ἀναφλέγει· φορυτῷ δὲ σβέννυται. Veteres codices legunt, *in Phaselitis*, quemadmodum Antigonus in Mirab. historiar. cap. 181: περὶ τὴν τῶν Φασηλιτῶν χώραν. H.— Menagio magis placebat *Phaselite*, quod et in MS. legi docet Dal. ED.

4. *Aut fœno*. Ctesias φορυτῷ dixit, quæ vox congesta stramenta significat: cujusmodi sunt fœni strues ex stabulis egeri solitæ. Quæ causa fortassis fuit, cur *fimo* mallet legi Longolius quam *fœno*. HARD.

5. *Hephæstii*. De iis dicetur lib. V, cap. 28. HARD.

6. *Flagrant adeo*. Chiffl. *flagrant, et adeo*. De ipso phænomeno, licet paulum fortasse verbis exaggerato, non est dubitandum. Simile quid in Apennino evenit, non procul a via Bononiam inter et Florentiam, loco qui dicitur italice *Monte fuoco* aut *Pietra mala*. Illic spatium terræ non ita magnum ejicit assidue fumos, interdum et flammam, noctu præsertim ac pluvioso cælo. Similes sunt alii loci, ut qui prope Neapolim invisitur *la Solfatara*, et unus aut alter in Arverniæ nostræ montibus. ED.

7. *Bactris*. Asiæ regio est, ad flumen Oxum sive *Gihon*; hodie *le pays de Balk*, in Tataria libera. Olim Persis paruit. Passim de illa Plinius, libro VI. ED.

8. *Et Sittacene*. In libris editis hactenus, *et Cestia gente*. In codic. Reg. 1, *et in cutigente*. Reg. 2, *in contingente*. Dum nobis felicior aliquis conjector suggerat quid reponi oporteat, edi curavimus, *Sittacene*: adducti auctoritate scriptoris de mirabil. Auscult. pag. 1153, cujus verba reddidisse fere Plinius creditur: Ἔστι δὲ καὶ ἐν Μηδίᾳ, καὶ ἐν Ψιττακήνῃ τῆς Περσίδος πυρὰ καιόμενα· τὰ δὲ ἐν Μηδίᾳ, ὀλίγον· τὰ δὲ ἐν

Persidis : Susis[9] quidem ad Turrim albam, e xv caminis, maximo eorum et interdiu. Campus Babyloniæ[10] flagrat, 3
quadam veluti piscina, jugeri magnitudine. Item Æthiopum juxta Hesperium[11] montem, stellarum modo campi noctu nitent. Similiter in Megalopolitanorum[12] agro : tametsi internus[13] sit ille[14], jucundus, frondemque densi supra se nemoris non adurens. Et juxta[15] gelidum fontem semper ardens Nymphæi[16] crater dira Apolloniatis suis portendit[17], ut Theopompus tradidit. Augetur[18] im-

Ψιτταχηνῆ, πολύ. Ex Psittacene, sive Sittacene, de qua lib. VI, cap. 31, *Psitiagene* primum : mox *Cestia gente* potuit a librariis confingi. Hard.

9. *Susis.* Notissima urbs, olim regia Persarum, hodie *Souster*, ignobilis locus, in provincia olim *Susiana*, nunc le *Chusistan*. Adi Plinium VI, 31, et ibi notas. Ed.

10. *Campus Babyloniæ flagrat.* Sulphurei aut bituminosi lacus plerumque locos designant, ubi vulcanius olim crater exarsit : inde in Campania et in Latio plures occurrunt. Ed.

11. *Hesperium montem.* Sive Ἑσπέριον κέρας, de quo lib. VI, cap. 35. Hard. — Intelligitur a multis promontorium *Sierra - Liona* in Africa occidentali situm, apud Æthiopas Hesperios, *sur la Côte de Guinée*. Sed is esset potius Θεῶν ὄχημα. Hesperium cornu quatridui navigatione distat; fortasse *le Cap verd.* Quod de flammis noctu per agros collucentibus hic narratur, unde ortum sit, dubito, nisi forte accensi ab incolis ignes navigantium oculos fefellerunt. Ed.

12. *Megalopolitanorum.* In Arcadia; Plin. IV, 10. Ed.

13. *Internus.* In interiore nemore abditus. Hard.

14. *Ille.* Mons ille, flammas noctu stellarum similes ejiciens; quæ tamen non ignes veri, sed phosphoreæ quædam exhalationes habendæ sunt, siquidem obvias frondes non adurunt. Ed.

15. *Et juxta.* Mutavit Harduinus vitiosam interpunctionem veterum edd. in quibus hæ duæ et quatuor proximæ voces priori sententiæ affingebantur. Ed.

16. *Nymphæi crater.* Sic petram vocabant flammas eructantem, cui fontes suberant, unde bitumen manaret, in finibus Apolloniatarum positam. Strabo, lib. VII, pag. 310: Ἐν δὲ τῇ χώρᾳ τῶν Ἀπολλωνιατῶν καλεῖταί τι Νυμφαῖον· πέτρα δ' ἐστὶ πῦρ ἀναδιδοῦσα, etc. De hoc Nymphæo rursum lib III, cap. 26. H. — Vide supra, cap. 96, quæ de Nymphæis diximus. Ed.

17. *Portendit.* Quum dies noctesque ardere perseveret, intermisisse semel fama est apud Apolloniatas, inquit Ælianus, lib. XIII, Var. hist. cap. 16, quo tempore cum Illyriis bellum gesserunt. Ita desinendo magis, quam ardendo, Apolloniatis dira portendit. Hard.

18. *Augetur imbribus.* Ita Dio, lib. XLI, pag. 174. Sed Dionis locum interpres ejus haud sane satis

bribus, egeritque bitumen temperandum[19] fonte illo in-
4 gustabili, alias omni bitumine dilutius[20]. Sed quis hæc miretur? In medio mari Hiera insula Æolia[21] juxta Italiam cum ipso mari[22] arsit per aliquot dies sociali bello[23], donec legatio Senatus[24] piavit. Maximo tamen ardet incendio Theon Ochema[25] dictum, Æthiopum jugum, torrentesque[26] Solis ardoribus flammas egerit. Tot[27] locis, tot incendiis rerum natura terras cremat.

1 CXI. (CVII.) Præterea quum sit hujus unius[1] elementi

fideliter reddidit: qui imbribus superfusis adolescere herbas scripsit, perinde quasi id singulare quiddam ac prodigii simile sit: quum imbribus augeri ignem Græcus auctor dixerit. HARD.

19. *Temperandum.* Diluendum. H.

20. *Dilutius.* Vet. apud Dalec. *dulcius.* ED.

11. *Æolia.* Una ex Æoliis, de quibus lib. III, cap. 14. HARD. — Distinguenda ab Hiera Cyclade, de qua supra cap. 89, et infra lib. IV, cap. 23. ED.

22. *Cum ipso mari.* Refert hoc ostentum Posidonius apud Strabonem, lib. VI, pag. 277, multo uberius, accurstiusque. HARD.

23. *Sociali bello.* De quo diximus cap. 85. HARD. — Cœpit anno U. C. DCLXIII, ante Christum 91. BROT.

24. *Legatio Senatus.* De re tota certior factus Senatus a T. Flaminio, Siciliæ prætore, missis legatis Hieram Liparamque, rem sacram fecerunt Diis manibus marinisque, inquit Posidonius loc. cit. τοῖς τε καταχθονίοις θεοῖς, καὶ τοῖς θαλαττίοις. HARD.

25. Θεῶν ὄχημα. Currum Deorum latine licet interpretari. De eo dicemus lib. VI, cap. 35. HARD. — Currus Deorum, nunc *Sierra-Liona*, *sur la Côte de Guinée.* BROT. — Vide snpra, not. 11. ED.

26. *Torrentesque solis ardoribus.* Quasi accendentibus hunc ignem viciuioris astri radiis, si tamen lectio sans est. ED.

27. *Tot locis*, etc. Toto terrarum orbe natura terras cremat, succutit, et renovat, fertilesque facit. Optimeque in Phlegræis suis campis Cl. HAMILTON, incendia illa terræque motus esse magnum naturæ aratrum. Quomodo vero novis semper incendiis natura materiem præparet docuit terræ motus Canadensis, quo silvæ eversæ, convulsæ terræ, anno MDCLXIII, intra spatium trecentarum lencarum ab oriente in occidentem, et centum quinquaginta amplius lencarum a meridie ad septemtrionem. Vid. P. CHARLEVOIX, *Histoire de la Nouvelle France*, tom. 1, pag. 365, et seqq. BROT.

CXI. 1. *Unius.* Solus ex se ignis fœcundus est, ac reliqua fœcundat omnia. Manifestus ille, quum sensibus humanis percipitur, aut vivum aliquid esse videtur aut ipsa vita; latens vero et inclusus, mirabiliora efficit, præcipuam vel solam expansionis causam in se habens: sine quo nec liquor esset, nec vapor, nec mutatio, nec motus; sed constricta

ratio fœcunda, seque ipsa[2] pariat, et minimis crescat scintillis, quid fore putandum est in tot rogis[3] terræ? Quæ est illa natura, quæ voracitatem in toto[4] mundo avidissimam sine damno sui pascit? Addantur iis sidera innumera, ingensque[5] Sol. Addantur humani[6] ignes, et lapidum quoque insiti naturæ; attrita[7] inter se ligna; jam nubium et origines fulminum. Excedit profecto omnia miracula[8] ullum[9] diem fuisse, quo non cuncta conflagrarent : quum specula[10] quoque concava, adversa Solis radiis, facilius etiam accendant[11], quam ullus alius ignis. Quid quod innumerabiles parvi, sed naturales scatent? In Nymphæo[12] exit e petra flamma, quæ pluviis accenditur. Exit et ad aquas[13] Scantias. Hæc quidem[14] invalida, quum

omnia, inertiaque, et tanquam mortua rigerent. Unde parens rerum non a poetis modo, sed a philosophis quoque nuncupatur. Ed.

2. *Ipsa*. Dalec et Elz. *ipse*. Harduinus ex MSS. *ipsa* restituit. Ed.

3. *Rogis*. Metaphora e funeribus ducta, ut supra : « Natura terras cremat. » Ed.

4. *In toto*. Vet. ap. Dal. *in isto*. E.

5. *Ingensque sol*. Emphatice dictum. *Ingens* est quasi immensus, *qui augeri non potest*. Ed.

6. *Humani ignes*. Hi nostri ignes, quos vitæ usus requirit, ut Tullius ait de Nat. Deor. lib. II, pag. 67. H.

7. *Attrita*. Ea de re dicemus lib. XVI, cap. 77. Hard. — Attritis inter se lignis ignem adhuc excitant barbari. Brot.

8. *Omnia miracula*. Chiffl. *miracula omnia*. Ed.

9. *Ullum*. Chiffl. *unum*. Ed.

10. *Quum specula*. Specula, inquit, concava, solis opposita radiis facilius accendunt, quam quivis alius ignis. Annon igitur excedit omnia miracula, ullum diem esse, quo non cuncta conflagrent et ab ipso sole, qui ingens est, et a sideribus innumerabilibus, quum tanta vis insit radiis hujus unius, vel speculo exceptis? Hard.

11. *Accendant*. Sic e Chiffletii codice bene restituit Laetius in Elz. quum antea, et apud Dalecamp. recepta lectio esset, *accendantur*. Ed.

12. *In Nymphæo*. Singulari negligentia, sed non insolita sibi, rursus huc adducit Plinius id quod capite superiore dixerat.

13. *Aquas Scantias* in Campania. Meminit silvæ Scantiæ non semel Cicero, Orat. 1 de Lege Agrar. H. — Locus hodie prorsus ignoratur. Miller. — Circa Falernum in Campania, ut recte cum Ortelio conjicit Gallicus interpres, quod Varro Scantianam vocaverit, teste Plinio XIV, 5, vitem Ammineam in ista regione celeberrimam. Ed.

14. *Hæc quidem*. Imbecilla, inquit, ea flamma est, quum a vena pabuli sui discessit, hoc est, a suo

3 transit, nec longe in alia materia durans. Viret æterno[15] hunc fontem igneum contegens fraxinus. Exit in Mutinensi agro statis Vulcano[16] diebus. Reperitur apud auctores, subjectis Ariciæ[17] arvis, si carbo deciderit, ardere terram[18]. In agro Sabino et Sidicino[19] unctum flagrare lapidem. In Salentino oppido Egnatia[20], imposito ligno in saxum quoddam ibi sacrum, protinus flammam exsistere.

fonte. Mirabilius est quod de fonte Gratianopolitano semper Ardente, (id enim ei nomen est) narrat August. de Civit. Dei, et oculatus testis Nic. CHORIER, lib. I de Hist. Delph. pag. 47. Luculentius vero elegantiusque quam cæteri, Præses DE BOISSIEU, lib. de Septem mirac. Delphin. pag. 1: « Fons, inquit, ille celebratus in agro Vocontiorum, ad radices Alpium Maritimarum, tertii lapidis a Gratianopoli diverticulo, qui jugi flammarum exhalatione post hominum memoriam, noctu quidem violentius, interdiu segnius inæstuat, ea liquoris et ignis seu fidelitate, seu pervicacia, ut neque liquorem ignis calefaciat, neque ignem liquor exstinguat, etc. » Hoc miraculum concinno admodum carmine idem exornavit. HARD. — Consimilia narrantur de fonte Bosley, in Anglia: confr. VALMONT DE BOMARE, verbo *Volcan*. Simile quid mirari est in Apennino, ad locum jam antea dictum a nobis *Pietra mala*; fons ibi, vulgo vocatus *Aqua Buja*, admota face, flammis cæruleis corripitur, cæteroqui frigidus, sed vaporem sulphureum exhalans. ED.

15. *Æterno*. Vet. apud Dalec. *ex æterno*. Alii *superne*. Proponebat Menagius *æternum*. De flamma non minus innocua apud Megalopolitanos, dictum est, cap. sup. ED.

16. *Vulcano*. Mense Augusto celebrata Vulcanalia scimus ex Columella, lib. XI, cap. 3. HARD. — In calendario Herwartiano, x kal. Septembris. BROT.

17. *Ariciæ*. In Latio. Vide lib. III, cap. 9. HARD.

18. *Ardere terram*. Sulphurei quiddam aut bituminosi inesse huic terræ necesse est. HARD. — Totum hunc terrarum tractum olim vulcanium fuisse, jam diximus. ED.

19. *Et Sidicino*. Teani Sidicini agro in Campania, de quo lib. III, cap. 9. HARD. — Nunc *Tiano* ad fontes fluvii Savonis. MILLER.

20. *Egnatia*. Ridet hoc miraculum Horatius, lib. I, Satir. 5, v. 97:

Dehinc Gnatia lymphis
Iratis exstructa dedit risusque, jocosque,
Dum, flamma sine, thura liquescere limine sacro
Persuadere cupit: credat Judæus Apella,
Non ego. HARD.

— Ridere licet. Verum in locis quibusdam vulcaniis, exit e terræ foraminibus vapor tam calidus, ut impositam aridi ligni struem accendere possit. Crebra quidem hujus rei exempla viatoribus, qui Vesuvium invisunt, monstrant indigenæ. Egnatia, nunc *Torre d'Adanazzo*, in provincia regni Neapolitani, vulgo

In Laciniæ[21] Junonis ara sub dio sita, cinerem immobilem esse, perflantibus undique procellis.

Quin et repentinos exsistere[22] ignes, et in aquis, et in corporibus etiam humanis. Trasymenum lacum[23] arsisse totum. 4
Servio Tullio[24] dormienti in pueritia, ex capite flammam emicuisse. L. Marcio[25] in Hispania interemptis Scipionibus concionanti, et milites ad ultionem exhortanti, arsisse simili modo, Valerius Antias[26] narrat. Plura mox[27] et distinctius: nunc enim quadam mixtura rerum omnium exhibentur miracula. Verum egressa mens interpretatio-

dicta *la Torre de Bari*, ubi vulcanium solum, ut in tota meridionali parte Italiæ. Ed.

21. *In Laciniæ.* Valer. Max. lib. I, cap. 8: « Quapropter Crotone in templo Junonis Laciniæ aram ad omnes ventos immobili cinere donaverit potissimum natura. » Fuisse hanc aram Crotone, scribit etiam Dionys. Perieg. v. 371. Hard. — Hoc vero ad vulcania phænomena minime pertinet, inter sacerdotum ethnicorum commenta referendum, ut videtur. Forsan et Plinii instituto aliena erat hujus modi superstitionis mentio. Ed.

22. *Exsist. ignes.* Chiffl. *ignes exsistere.* Hard. omisit *et in aquis.* Ed.

23. *Trasymenum lacum.* Visi sunt interdum hydrogenei vapores, (quorum e genere sunt ignes fatui,) per totam paludis aut stagni alicujus superficiem diffusi, simul exardescere. Cæterum in tanto aquarum spatio (nam Trasymenus lacus, si subalpinos illos omittas, tota Italia maximus est), pulcherrimum esse debuit hoc incendium, modo ullum fuerit. Ed.

24. *Servio Tullio.* Valer. Max. lib. I, cap. 6, n. 1: «Servio Tullio etiam tum puerulo dormienti, circa caput flammam emicuisse, domestici oculi adnotaverunt. Quod prodigium Prisci Tarquinii regis uxor Tanaquil admirata, Servium serva natum in modum filii educavit, et ad regium fastigium evexit. » Vide pariter Livium, lib. I. Dionys. Halic. lib. IV, ipsumque adeo Plinium, lib. XXXVI, cap. ult. Hard. — Ex capite et aliis artubus humanis flamma micat vi electrica, *l'électricité*, de qua jam dixi supra, ad cap. 37. Brot. — Sed ex capite præsertim, quod in corpore humano summum est, et ex capillis, qui natura sunt acuti. Materia enim electrica, trahente nube superposita, eo facilius corporum fastigiis erumpit, quo acutiora sunt, et illorum sæpe mucrones cristis pulcherrimis adornat. Hinc notissimum in physicis experimentum, quod nomine *beatificationis*, insignivit doctissimus Nollet. Eodem referendi sunt Castoris et Pollucis Helenæque ignes supra memorati, cap. 37. Ed.

25. *L. Marcio.* Vide Valer. Max. loc. cit., n. 2. Hard.

26. *Valerius Antias.* Ex quo eamdem historiam recitat et Livius, lib. XXV. Hard.

27. *Mox.* Promisso non stetit, immemor, ut sæpe, Plinius. Ed.

nem naturæ, festinat legentium animos per totum orbem velut manu ducere.

1 CXII. (CVIII.) Pars nostra[1] terrarum, de qua memoro, ambienti (ut dictum[2] est) Oceano velut innatans, longissime ab ortu ad occasum patet, hoc est, ab India ad Herculis columnas Gadibus sacratas, octuagies[3] quinquies centena, sexaginta octo mill. pass. ut Artemidoro[4] auctori placet. Ut vero Isidoro, nonagies octies[5] centena, et

CXII. 1. *Pars nostra.* Exscripsit hæc Martianus a Plinio, totidem fere verbis, usque ad eum locum, *Alia via quæ certior*, etc. lib. VI, cap. de longitudine terræ. Exscripsere et Theodosii Missi, sed vitiosissime. Hard.

2. *Ut dictum est.* Cap. 66. Hard.

3. *Octuagies quinquies centena sexaginta octo mill.* Ita Martianus, lib. VI, pag. 198, hunc locum ad verbum transcribens: cujus auctoritas, Sabellici et aliorum conjecturas explodit, qui legi volunt, *octoginta quinque millia stadiorum*, etc. Sed Martianum ipsum jam tum in depravatos Plinii codices incidisse deprehendimus, quum scripsit « octuagies quinquies centena, septuaginta octo millia, » quemadmodum in Plinii libris ad hunc diem est editum. Nos *octuagies quinquies centena sexaginta octo* reposuimus, sive LXXXV. LXVIII, (sic enim scribebant Veteres) pro LXXVII, detracta unica, quæ redundabat, denarii nota. Emendationis auctor fuit Artemidorus, cujus epitomen Agathemerus fecit, caputque integrum exscripsit, capite quarto libri primi operis geographici cui titulus, ut Pliniano, Περὶ μήκους καὶ πλάτους τῆς οἰκουμένης. Sic igitur ille: Μῆκος δὲ τῆς οἰκουμένης ἀπὸ Γάγγου εἰς τὰ Γάδειρα, σταδίων μυριάδων ϛ' καὶ ͵ηφμθ'. Hoc est, stadiorum 68549, quæ omnino efficiunt millia passuum quot diximus, LXXXV. LXVIII, præter fere quingentos. Et vero huic emendationi favent etiam codices Reg. 1, 2, Colb. 2, Chiffl. et alii, quum paulo infra ubi totius spatii rursum mensura summaque colligitur, ea esse statuitur, quam diximus. Favet et Parmensis editio, aliæque veteres, in quibus LXVIII legitur. H. — Hæc 8568 millia passuum efficiunt 2840 leucas geographicas, quales 25 uno æquatoris gradu continentur, paulo plus 2280 hexapedis constantes: qua ratio multum a veritate differt, nisi attendas ad diverticula viarum quæ modo indicabuntur. Nam ab ostio Gangis fluminis ad Gaditanum fretum distantia recta esset leucarum circiter 2100. Ed.

4. *Artemidoro.* De hoc, et de cæteris qui mox citabuntur auctoribus, supra vide Indicem. Ed.

5. *Nonagies octies*, etc. Hæc Isidori mensura 9818 milliaria complectens, 3268 leucas geographicas efficit, multo nimia; auget etiam aliquot milliariis Chiffletii codex, ubi pro XVIII, legitur LXVIII. Ed.

XVIII mill. Artemidorus adjicit amplius, a Gadibus circuitu sacri promontorii ad promontorium Artabrum, quo longissime frons procurrit Hispaniæ, CCCCXCI.[6] Id men- 2
suræ duplici currit via. A Gange amne ostioque ejus, quo se in Eoum Oceanum effundit, per Indiam Parthyenenque, ad Myriandrum[7] urbem Syriæ in Issico sinu positam, quinquagies[8] bis centena, XV. mill. pass. Inde proxima navigatione Cyprum insulam, Pataram Lyciæ, Rhodum, Astypalæam in Carpathio mari insulas, Laconicæ Tænarum, Lilybæum Siciliæ, Calarim Sardiniæ; vicies et semel[9] centena, tria mill. pass. Deinde Gades,

6. *CCCCXCI.* Hactenus editum est DCCCXCI. Martianus etiam deterius DCCCCXCI. Nos ex Artemidoro, reponimus CCCCXCI, restituta priore nota centenarii, quam in quingenarium librarii transformarunt. Artemidori verba sunt loco cit. pag. 9: Ἀπὸ Γαδείρων δὲ διὰ Ἱεροῦ ἀκρωτηρίου, καὶ Ἀρτάβρων λιμένος, στάδιοι ,γπλβ'. « A Gadibus præter Sacrum promontorium, et Artabrorum portum, stadia sunt 3932. » Efficiunt ea porro CCCCXCI, hoc est, quadraginta et unum supra nonaginta millia pas. cum quingentis passibus, qui pro nihilo haberi solent in rotundis numeris. HARD. — Ita quidem emendavit eruditus Harduinus ex Agathemero, I, 4; at MSS. Reg. habent DCCCXCI. Quod satis concordat cum locorum situ. Nam a Gadibus, *Cadiz*, circuitu Sacri promontorii, *le cap Saint-Vincent*, ad promontorium Artabrum, *le cap Finistère*, sunt stadia multo plura, quam 491; et si spectentur oræ Hispanicæ sinus ac anfractus non pauciora sunt, quam 891. Nihil tamen mutavi ob Agathemeri auctoritatem. BROT.

7. *Myriandrum.... in Issico sinu.* Issicus sinus, *le golfe de l'Aiasse*; Myriandrus, urbs Syriæ, fuit inter oppida *Alexandrette* et *Rosós*. BROT. — Hodie *Candelona*. MILLER.

8. *Quinquagies bis centena, XV mill. pass.* Iterum hoc loco Sabellicus movet, legitque *quinquaginta quinque millia stadiorum*. Satis audacter id quidem. At Plinium Martianus est secutus; vel Artemidorum, cujus verba refert Agathemerus, loc. cit. Ἀπὸ μὲν Γάγγου ποταμοῦ ἕως Μυριάνδρου τῆς ἐν Ἰσσικῷ κόλπῳ, σταδίων μυριάδων δ' καὶ, αψκε'. Stadia sunt 41725, sive millia passuum 5215, quinquagies et bis centena, quindecim millia passuum. HARD.

9. *Vicies et semel*, etc. Nihil esse uspiam arbitror, toto Pliniano opere, fœdius depravatum, quam hi numeri sunt. In editis legebatur, *tricies quater centena quinquaginta mill. Deinde Gades. quatuordecies centena quinquaginta mill.* In Reg. 1, 2; Colb. 3, Chiffl. XXXII. L; hoc est, *trigesies bis centena, quinquaginta mill. pass.* Sed duas videlicet sum-

duodecies[10] centena, et quinquaginta mill. pass. Quæ mensura universa ab eo mari efficit octogies quinquies centena, LXVIII[11] mill. pass.

3 Alia via, quæ certior[1], itinere terreno maxime patet, a Gange ad Euphratem amnem quinquagies[2] et semel cen-

mas in unam conflarunt eorum codicum exaratores : omisere enim hæc verba, *deinde Gades*, etc. ac subseqnentem numerum cum priore, qui *vicies* erat, junxerunt. Nos Artemidorum secuti sumus, apud quem particulares summæ consentiunt mirifice cum totali, quam idem Artemidorus sæpe proposuit, et Plinius ipse paulo ante protulit, moxque iterum colliget. Artemidorus igitur loco citato, a Myriandro intervallum ad Gades ait esse, σταδίων δισμυρίων ϛ' καὶ ,ωκ', stadiorum 26820. A Calari vero ad Gades, σταδίων μυρίων, stadiorum 10000. Igitur a Myriandro Calarim, stadia sunt 16820, quæ efficiunt XXI. MMIX. pass. hoc est, vicies semel centena, et tria passuum millia, præter quingentos. HARD.

10. *Gades duodecies centena et quinquaginta mill. pass.* In libris editis perperam legitur *quatuordecies.* Artemidorus, ut diximus, habet decem millia stadiorum : quæ efficiunt duodecies centena, et quinquaginta millia pass. Adde Parmensem editionem, et Venetam 1479, in quibus legitur *duodecim*, haud dubie pro *duodecies.* Martianum nihil moror, apud quem corrupte admodum, *quadragies*, pro *quatuordecies*, si corrupto usus ille est codice, ut videtur. HARD.

11. *LXVIII mill.* In editis post Hermolaum, *septuaginta octo* : at Parmensis editio, Veneta 1479, aliæque, *LXVIII.* Regius uterque codex, Colb. 1, 2, et Chiffl. *LXVIII*; idque cum superiore Artemidori numero congruit, ut diximus. Iterum hic Sabellicus omnia susdeque vertit. HARD.

1. *Quæ certior.* Certissima terrarum mensura est, quæ mathematicis astronomiæ rationibus geographiam fulciens, nec viarum vaga sequitur divortia, nec navigationis dies computat. Hac potius uti debuissent Artemidorus, et post illum aut sine illo Plinius. Cæterum terras, insulas, amnes, maria, quæ recenset hic Noster, non semel in geographicis libris idem commemorabit, ubi notas editionis hujus consulere licebit; quanquam satius erit mappam orbis antiqui geographicam, ac maxime planisphærium ob oculos habere, ubi duas de quibus agitur, vias, ab ortu ad occasum recta pæne linea tendentes, facillime quisque vel parum versatus in Geographia sequetur. ED.

2. *Quinquagies et semel.* In editis et apud Martianum ipsum, desunt amplius centena millia : sic enim habent *quinquagies centena M. pass. et XXI.* In Regio codic. 1, 2, et Colb. 2, 1, *LI. XIX.* Corrigo, *LI. LXIX*, hoc est, quinquagies et semel centena, et LXIX mill. pass. Totidem enim passus efficiunt stadia, quæ a Gange ad Euphratem

tena mill. pass. et LXIX. Inde Cappadociæ Mazaca[3], CCCXIX mill. Inde per Phrygiam, Cariam, Ephesum[4], CCCCXV mill. Ab Epheso per Ægæum pelagus Delum[5], CC. Isthmum[6], CCXII, quingenti. Inde terra, et Lechaïco 4
mari[7], et Corinthiaco sinu, Patras Peloponnesi, XC mill.[8]

Artemidorus statuit, loc. cit. Καὶ ἄλλως, inquit, ἀπὸ Γάγγου ἕως Εὐφράτου ποταμοῦ, μυριάδων δ' καὶ ,ατν'. Alia via, a Gange ad Euphratem amnem, stadia 41350. Miror Sabellicum, qui stadiorum millia quinquaginta hoc loco reponit. HARD. — Numeros illos et sequentes eruditus Harduinus ex Agathemero, loco citato, emendavit, quod non sibi constent MSS. Plinii codices; et recte quidem emendavit. Nondum tamen omnia cum ipso locorum situ plane concordant, qualis nobis compertus est astronomicis observationibus, quæ certissimum sunt geographiæ monumentum. BROT.

3. *Inde Cappadociæ Mazaca, CCCXIX millib.* Libri omnes scribunt *CCXLIV*, quos ex Artemidoro fidenter emendamus. Ἀπὸ Εὐφράτου, inquit, εἰς Μάζακα Καππαδόκων, στάδια ,βφν'. Stadia 2550 efficiunt passus 318750, perfecto autem absolutoque numero, CCCXIX millia. Mazaca porro, Cæsarea Cappadociæ est. HARD.

4. *Ephesum, CCCCXV mill.* Prius legebatur *CCCCXCVIII*, Verum Artemidorus, loco citato, Ἀπὸ δὲ Μαζάκων διὰ Φρυγίας τῆς παρορίας, καὶ μεγάλης Καρίας ἕως Ἐφέσου στάδιοι ,γτκ'. « A Mazacis vero per Phrygiam montanam, et magnam Cariam, usque Ephesum, stadia 3320, » quæ totidem, quot dixi, passus omnino efficiunt. HARD.

5. *Delum ducenta.* Consentit plane hic numerus, et cum libris omnibus, et, quod caput est, cum Artemidoro, qui stadia numerat 1600. Ἀπὸ δὲ Ἐφέσου εἰς Δῆλον διὰ τοῦ Αἰγαίου, στάδια ,αχ'. HARD.

6. *Isthmum CCXII, quingenti.* Editores Pliniani, quum in MSS. codicibus legerent, *CCXII. M. D. Inde terra, etc.* (sic enim habent Reg. 1 et 2, aliique): edi curaverunt, *CCXII. M. Deinde terra:* quum eo loci littera D quingenarii nota esset; quam nos restituimus, tum ex MS. tum vero inprimis ex Artemidoro, qui spatium illud definit stadiis 1700: ἐπ' Ἰσθμὸν στάδια ,αψ'· quæ efficiunt CCXII mill. cum quingentis pass. HARD.

7. *Et Lechaïco mari et Corinthiaco sinu.* Ita correximus hunc locum, Pintianum secuti, ubi prius *Laconico* legebatur. Abest sane ab hoc itinere longissime Laconicum mare; sed vicinum est Isthmo Lechaïcum, a Lechæo Corinthiaci sinus oppido cognominatum, de quo Plinius, l. IV, cap. 5. Emendationi quidem nostræ plane suffragatur Chiffletianus codex. HARD.

8. *XC mill.* Prodigiosum hoc loco intervallum posuere Plinii editores ab Isthmi orientali parte usque Patras, *ducenta duo millia quingenti:* ipso Plinio repugnante, qui libro IV, cap. 5, Isthmi longitudinem ait esse passuum quinque millium; sinus deinde Corinthiaci usque Pa-

Leucadem[9], LXXXVII millia, quingenti[10] : Corcyram, totidem[11] : Acroceraunia[12], CXXXII millia, quingenti : Brundisium[13], LXXXVII millia, quingenti : Romam[14], CCCLX millia. Alpes usque ad Scingomagum[15] vicum, DXIX[16]. Per Galliam ad Pyrenæos montes Illiberim[17], DCCCCXXVII. Ad

tras, LXXXV, quæ summa efficit millia passuum XC. Atque hic numerus est, quem nos restituimus, quod eum non solum situs locorum, et Plinius ipse, sed et Artemidorus statuit loco toties appellato, quum ait : Ἀπὸ Ἰσθμοῦ διὰ Κορινθίου κόλπου εἰς Πάτρας, στάδια ψκ', stadia 720, sive, quod idem est, passus 9000. HARD.

9. *Leucadem LXXVII.* Ita Chiffl. cod. Ita Plinius ipse lib. IV, cap. 5. Ita demum Artemidorus toties appellatus : Λευκάδα, στάδια ψ'. Stadia 700 sunt passus omnino LXXXVII mill. D. Male igitur in editis, LXXXVI. HARD.

10. *Quingenti.* Hæc vox in Chiffl. deest. ED.

11. *Corcyram totidem.* Artemidorus, ἐπὶ Κέρκυραν, στάδια ψ', stadia 700, sive LXXXVII mill. D. pass. H.

12. *Acroceraunia.* Consentit plane Artemidorus : ἐπὶ Ἀκροκεραύνια ὄρη, στάδια ,αξ'. Stadia 1060, sunt passuum CXXXII mill. cum quingentis. HARD.

13. *Brundisium LXXXVII.* Deest in libris milliare unum. Artemidorus enim ἐπὶ Βρεντήσιον, στάδια ψ'. Stadia 700, ut diximus, passus efficiunt LXXXVII. mill. D. HARD.

14. *Romam CCCLX.* Artemidorus adstipulatur, qui stadia numerat ,βωπ', 2880. HARD.

15. *Scingomagum.* Male hactenus *Cingomagum.* Strabo, lib. IV, pag. 179: Ἐπὶ Ἐβρόδουνον κώμην, εἶτ' ἄλλοι τοσοῦτοι διὰ Βριγαντίου κώμης, ἐκ Σκιγγομάγου, καὶ τῆς τῶν Ἄλπεων ὑπερθέσεως · ἐπὶ Ὤκελον τὸ τέρας τῆς Κοττίου γῆς · καὶ ἡ ἀπὸ Σκιγγομάγου δὲ ἤδη Ἰταλία λέγεται. « Ad Ebrodunum vicum : inde totidem per Brigantium vicum, a Scingomago, et Alpium altos transitus, usque ad Ocelum, qui est terræ Cottiæ finis : nam a Scingomago jam Italia dicitur. » Quibus ex verbis, aliisque idoneis argumentis, egregie probat Honor. BOUCHE, histor. Provinc. lib. III, pag. 145, Scingomagum, illud oppidum esse, quod postea Latinis Segusium dictum est, vulgo *Suze*, Marchionatus titulo nobile, in Diœcesi Taurinensi : neque audiendum esse vulgus Geographorum, qui *Sezanne* interpretantur. Straboni, de Italiæ capite, quod a Scingomago petit, adstipulatur Itinerarium Hierosolymit. « Segusione, inquit, inde incipit Italia. » HARD. — Scingomagus vicus, nunc *Chamlat de Siguin*, inter Brigantionem, *Briançon*, et Ocellum, *Uxeau*, *dans la vallée de Pragelas.* Ibi fuit finis Italiæ, et initium Galliæ. BROT.

16. *DXIX.* In libris omnibus, *DXVIII*, h. e. uno milliari minus. Verum Artemidorus, loco citato, verum definit spatium : Ἀπὸ Ῥώμης ἐπὶ τὰς Ἄλπεις ἕως Σκιγγομάγου κώμης, ὑπὸ ταῖς Ἄλπεσιν οὔσης, στάδια ,δρνβ'. Stadia 4152, quibus æquivalent passuum millia DXIX. HARD.

17. *Illiberim DCCCCXXVII.*

Oceanum et Hispaniæ oram, CCCXXXI[18]. Trajectu[19] Gadis, VII millia, quingenti. Quæ mensura Artemidori[20] ratione efficit octuagies[21] novies centena, XLV.

Latitudo[1] autem terræ a meridiano situ ad septemtrionem, dimidio fere[2] minor colligitur, quadragies[3] qua-

Hic rursum aberrant a vero longissime codices Pliniani, quos vidi, omnes: iidemque nec satis sibi constant. Editi quidem exhibent DLVI mill. Reg. 1, 2, CCCCLVI. Colb. 2, CCCCLXVI, quum scribi oporteat, DCCCCXXVII. Apud Agathemerum quidem in lacuna est hoc loco numerus stadiorum, quæ integra esse valde e re nostra foret. Verum quum ex singularibus summis omnibus totalem colligat stadiorum 71560, et ad eas quæ diserte expressæ sunt, si addantur 7417 stadia, illa ipsa exstitura sit; jam nullus dubio locus relinquitur, quin eam ipsam hoc loco reponi oporteat. Sunt autem ea stadia, DCCCCXXVII mil. passuum, cum stadio uno, quod est in rotundo numero prætermissum. HARD. — Ita quidem eruditus Harduinus, ex conjectura. Nempe quum locus hic mancus sit et mutilus in Agathemero, ipse singulas summas collegit, et quod deerat toti summæ in hanc quæ Illiberim, nunc *Elne*, spectat, contulit. Sed sane perperam. Quantacumque supponantur viarum divortia, fieri nunquam potest ut inter Scingomagum vicum et Illiberim numerentur DCCCCXXVII millia passuum. Multo potior est scriptura MSS. Reg. 1 et 2, in quibus legitur DLVI. In MS. Reg. 5, et editione principe, *quingenta LVI millia*. Hæc enim abunde sufficiunt ad utriusque loci distantiam. BROT.

18. *CCCXXXI*. Pliniani libri unum milliare addunt, CCCXXXII. Artemidorus, ἕως Γαδείρων, στάδια ,ϐχνα', stadia 2651, quæ passus efficiunt CCCXXXI mill. cum passibus fere CCC, quæ minor summa negligi plerumque solet. HARD.

19. *Trajectu Gadis*. Favet Artemidorus, qui trajectum Gadis esse stadiorum LX ait. HARD.

20. *Artemidori ratione*. Vet. apud Dalec. *Artemidoro attestante*. ED.

21. *Octuagies novies centena XLV*. Mire hoc loco discrepant inter se codices. Editi quidem, *octuagies sexies centena* LXXXV. Parmensis editio, *nonaginta* (pro *nonagies*) LXIX. Martianus, l. VI, p. 199, *octuagies quinquies* LXXVIII. At Reg. codex 1, 2, et Colbert. 2, aliique, LXXXIX. LXXXX, hoc est, octuagies novies centena, nonaginta millia. Ad hæc sinceræ scripturæ vestigia accedit proxime nostra emendatio, LXXXIX. XLV. Stabilitur autem in primis Artemidori auctoritate ac ratione. Is enim summam omnium stadiorum colligens, ὁμοῦ ἀπὸ Γάγγου εἰς Γάδειρα σταδίων μυριάδων ζ' καὶ ,αφξ', stadia numerat 71560, quibus respondent omnino 8945000 pass. ac præterea 175, quorum in tanta mensura ratio vix haberi solet. H.

1. *Latitudo autem*. Hæc totidem verbis Martianus, l. VI, p. 199. H.

2. *Fere*. Chiffl. *ferme*. ED.

3. *Quadragies*. Pliniani codices

ter centena, xc millia. Quo palam fit, quantum et hinc vapor[4] abstulerit, et illinc rigor. Neque enim deesse arbitror terris, aut non esse globi formam; sed inhabitabilia utrinque incomperta esse. Hæc mensura currit a littore Æthiopici Oceani, qua modo habitatur, ad Meroën, decies[5] centena millia. Inde Alexandriam[6], duodecies centena millia quinquaginta. Rhodum[7], DLXIII. Gnidum[8], LXXXVII millia, quingenti. Con[9], XXV millia. Samum, C millia. Chium[10], XCIV millia. Mitylenen[11], LXV millia. Tenedon[12], XCIV millia. Sigeum promonto-

multi, LIV. LXII: perperam haud dubie, pro XLIV. XC. M. hoc est, quadragies quater centena, et nonaginta millia, ut Guill. Pellicerii manu in ora librorum ejus scriptum animadverti, ex propriis codicibus: quæ summa respoudet stadiis 35920, quo intervallo littus Æthiopici Oceani distare ab ostio Tanais scripsit Artemidorus. Id vero planius multo fiet, collatis in unam singulsribus, quæ mox ponentur, mensuris. Martiani cum Plinii libris consensus, jam tum ætate ejus depravatos fuisse codices probat, quod alias sæpe animadvertemus. HARD.

4. *Hinc vapor*. Hinc calor, et illinc frigus. HARD.

5. *Decies centena*, Hic mirum in modum variant codices omnes. Libri editi, *quingenta quinquaginta millia*. Reg. 1, Colb. et Chiffl. DCCV. Nos *decies centena*, ex Artemidoro. Πλάτος δὲ τῆς οἰκουμένης, inquit, ἀπὸ τῆς Αἰθιοπικῆς θαλάσσης ἐπὶ Μερόην, σταδίων η'. Stadia 8000 efficiunt passus 1000000. HARD.

6. *Alexandriam*. Vide supra cap. 75, not. 2 et 16, ubi sane bis quinque mill. stad. efficiunt passuum MCCL millia. ED.

7. *Rhodum*, *DLXIII*. Artemidorus habet tantum stadia ,δφ', 4500, seu passus DLXII cum quingentis. Pliniani libri, DLXXXIII. HARD. — Dalecamp. et Elz. *octoginta tria*; at Chiffl. *octoginta quatuor*. ED.

8. *Gnidum LXXXVII*. In libris editis, LXXXIV. In Chiffl. LXXXV. In Colb. 2, LXXXVI. M. D. pass. HARD.

9. *Con... Samum*. Sic Artemidorus, de intervallo utrinsque insulæ: εἰς Κῶ, στάδια σ'· εἰς Σάμον, στάδια ω'. HARD.

10. *Chium XCIV*. Ita plane Reg. 1, 2; Colb. 2, aliique, quibus suffragatur Artemidorus: εἰς Χῖον, στάδια χν'. Stadia DCCL sunt passuum millia XCIII, cum DCCL. Rotundo expletoque numero, XCIV. In libris editis, et MSS. quibusdam, excidit denarii nota, dum legunt tantum LXXXIV, pro LXXXXIV. HARD. — Chiffl. XLIV. ED.

11. *Mitylenen*, *LXV*. Eodem recidunt Artemidori stadia DXX, εἰς Μιτυλήνην, στάδια φκ'. HARD.

12. *Tenedon*, *XCIV*. Perturbatas hoc loco numerorum notas agnoscere promptum est, quum in Chif. cod. hoc intervallum a Samo ad Chium attribuitur, quod sane huc

rium[13], XII millia, quingenti. Os Ponti[14], CCCXII millia, 6
quingenti. Carambim[15] promontorium, CCCL. Os Mæotidis[16], CCCXII millia, quingenti. Ostium[17] Tanais, CCLXXV mill. qui cursus compendiis maris brevior fieri potest, LXXXIX[18] mill. Ab ostio Tanais nihil modicum[19] diligentissimi auctores fecere. Artemidorus[20] ulteriora incomperta existimavit, quum circa Tanaim Sarmatarum gentes degere fateretur ad septemtriones versas. Isidorus[21] adjecit duo- 7

revocari oportet, expuncto numero XXVIII, quem editi omnes retinent, vel CXIX, quem maun scripti. Artemidorus enim, εἰς Τένεδον, inquit, στάδια τν', stadia 350, quæ efficiunt passuum XLIII millia, cum DCCL, numero absoluto, XLIV mill. HARD.

13. *Sigeum.* De intervallo locorum consentit Artemidorus, εἰς Σίγειον, ρ'. Stadiis ceutum respoudent ex æquo XII millia passuum, cum quingentis. De Ponti item, Carambis, Mæotidisque distantia : ἐπὶ τὸ στόμα Πόντου, ,β φ'. Stadia 2500. Ἐπὶ Κάραμβιν, στάδια ,β ω'. Stadia 2800. Εἰς στόμα Μαιώτιδος, ,β φ'. Stadia 2500. Quæ omnia cum Plinianis numeris plane congruunt. H.

14. *Os Ponti.* Nunc *le canal de Constantinople.* BROT. — Olim Bosphorus Thracius. ED.

15. *Carambim promontorium.* In ora Paphlagoniæ, Carambis promontorium, nunc *le cap de Kerempi.* Inde autem patet mensuram illam latitudinis terræ non accurate esse sumptam a meridie ad septemtrionem. Hic enim multum deflectit ad orientem. BROT.

16. *Os Mæotidis.* Nunc *le détroit de Zabache.* BROT.—Sæpius dictum *le détroit de Caffa ;* olim Bosphorus Cimmerius. ED.

17. *Ostium Tanais, CCLXXV.* Sic Artemidorus, quem secuti sumns, ut par fuit. Ἐπὶ Τάναϊν ποταμὸν, ,β σ'. Stadia 2200 efficinnt passus CCLXXV. mill. In libris omnibus excidit librariornm culpa denarii nota; nam CCLXV. tantnm exhibent. H. — Chiffl. CCLXII. ED.

18. *LXXXIX mill.* Ita libri omnes. Ex Artemidoro tamen colligi duntaxat possunt stadia 564. Hoc est, passuum millia LXX. Martianus aberrat ab eo numero quam lougissime, quum ait lib. VI, pag. 200: « Qui quidem cursus si per maria transeatur, in compendium ducit millia DCLXXVIII. HARD.

19. *Nihil modicum fecere.* Fecerunt ut immodica terrarum magnitudo conjectari posset. ED.

20. *Artemidorus.* Apud Agathemerum, loc. cit. Τὰ γὰρ ἄνω τῶν ἐκβολῶν τοῦ Ταναΐδος ἀγνοεῖται εἰς Βοῤῥᾶν. HARD.

21. *Isidorus adjecit*, etc. Ita codices omnes MSS. et Martianus : « Sed Isidorus adjecit duodecies centena quinquaginta millia usque ad Thulen : quæ quidem opinatio mihi videtur incerta. » Frustra igitur Sabellicus emendabat, *duodecim millia studiorum et quinquaginta.* H.— Isidori 1250 millia passuum leucas

decies centena millia quinquaginta, usque ad [22] Thulen: quæ conjectura divinationis est. Ego non minore, quam proxime dicto, spatio [23] Sarmatarum fines nosci [24] intelligo. Et alioquin quantum esse debet, quod innumerabiles gentes subinde sedem mutantes capiat? Unde ulteriorem mensuram [25] inhabitabilis plagæ multo esse majorem arbitror. Nam et a Germania immensas insulas [26] non pridem compertas, cognitum habeo.

8 De longitudine ac latitudine hæc sunt, quæ digna memoratu putem. Universum [1] autem hunc circuitum Eratosthenes, in omnium quidem litterarum subtilitate, et in hac utique præter cæteros solers, quem [2] cunctis probari video, ducentorum quinquaginta duorum millium stadiûm
9 prodidit. Quæ mensura [3] Romana computatione efficit tre-

geographicas efficiunt 659, quæ fere vera est distantia sive ad septemtrionale Scandiæ promontorium *le Cap Nord;* sive ad insulam hodie dictam *l'Islande,* quæ Thule vocatur ab imperitis. Sed quum insulam Thulen unam esse ex Orcadibus, vel ad summum *Schetland* aut *Feroe* insulas, inter doctos hodie constet, nec tam longinquus sit magisque ad orientem pronus illarum insularum situs quam ut Isidori rationibus convenire possit, Broterio assentiendum, qui Thulen et Scandiam unam eamdemque regionem Isidoro fuisse credit: quanquam non sic visum Plinio, et illum ad Britannicam potius Thulen quam ad Scandinavicam respexisse arbitror, quandoquidem illas, ut ait, immensas insulas nuper a Germania compertas ipsam esse Scandiam quum ex hoc loco, tum ex sup. cap. 67, Tacitique et cæteris ibi allatis testimoniis manifestum est. Ed.

22. *Thulen.* De Thule vide notam proxime præcedentem, et cap. 77, not. 14. Ed.

23. *Spatio.* Latitudine a meridie in septemtrionem. Ed.

24. *Nosci intelligo.* Viatoribus innotuisse compertum habeo. Ed.

25. *Ulteriorem mensuram.* Si tantum spatii a Sarmatis occupari necesse est, additis ultra habitabilibus terris quanta, inquit, efficietur mensura! Ed.

26. *Insulas.* Supra not. 23. Ed.

1. *Universum autem.* Hæc Martianus, lib. VI, pag. 194; Strabo, lib. II; Vitruvius lib. I, cap. 6; Macrobius, lib. II, in Somn. Scip. cap. 20; Censorinus, cap. 13, aliique. Hard.

2. *Quem.* Dalec. *quam.* Chiffl. Elzev. et Hard. cum nobis, *quem.* Ed.

3. *Quæ mensura.* Ita Martianus, lib. VI, cap. de circuitu terræ, pag. 198. Et verum id quidem. Nam

centies quindecies centena millia pass. Improbum ausum: verum ita subtili argumentatione[4] comprehensum, ut pudeat non credere. Hipparchus[5] et in coarguendo eo, et in reliqua omni diligentia mirus, adjicit stadiorum paulo minus xxv millia.

(CIX.) Alia[6] Dionysodoro[7] fides: neque enim subtraham exemplum vanitatis Græcæ maximum. Melius[8] hic fuit, Geometrica scientia nobilis. Senecta diem obiit in patria. Funus duxere ei propinquæ, ad quas pertinebat hæreditas. Eæ, quum secutis diebus justa peragerent, invenisse dicuntur in sepulcro epistolam Dionysodori nomine ad superos scriptam: « Pervenisse eum a sepulcro ad infimam terram, esseque eo stadiorum quadraginta duo[9] millia. » Nec defuere Geometræ, qui interpretarentur, significare epistolam, a medio terrarum orbe missam, quo deorsum ab summo longissimum esset spatium, et idem pilæ[10] me-

stadium cxxv passibus constat. Proinde si 252,000 per 125 multiplices, fient 31,500,000 pass. Sed Eratosthenis errorem detegit Ricciolus, tomo I. Almag. p. 61. H.

4. *Argumentatione*. Dalec. et Elz. *computatione*. Ed.

5. *Hipparchus*. Ejus sententiam de terræ ambitu multis explicat Strabo, lib. II, pæne toto. Hard.

6. *Alia*. Aliter, inquit, et cautius multo Dionysodorus est audiendus, qui miraculo solo nititur, quam Hipparchus et Eratosthenes, qui geometricis nituntur principiis. H. — Non discessit ab Eratosthenis opinione Dionysodorus, sed vanissimo superstitionis argumento illam post mortem suam effulciri vivus curavit. Ed.

7. *Dionysodoro*. Laudatur Διονυσόδωρος ab Hesychio, verbo Γλαύκου τέχνη. Hujus inventum esse genus quoddam horologii, quod *Conum* vocabant, auctor est Vitruvius, l. IX, cap. 9. Amisenum Mathematicum hunc fuisse auctor est Strabo, lib. XII, pag. 548, et alterum ejusdem nominis Geometram exstitisse. Hard.

8. *Melius*. Ita Reg. 1. 2. etc. Ex insula Melo, de qua lib. IV, cap. 24. Hard. — Vet. apud Dalec. *Chius*. Alii *Cydius*. Alii *Cydnius*. Melos, nunc *Milo*, una Cycladum. Brot. — Sive Melius, sive Cydnius fuit, manifesto differt ab illo Amiseno, quem ex Strabone citat Harduinus, nota priore. Amisos enim urbs Paphlagoniæ est, ad *Amisenum sinum*: Plin. VI, 2. Ed.

9. *Stadiorum XLII. M.* Sive passuum quinquagies bis centena quinquaginta millia. Hard. — Leucas geographicas 1740. Ed.

10. *Pilæ medium*. Atque adeo di-

dium. Ex quo consecuta computatio est, ut circuitu esse ducenta quinquaginta[11] duo millia stadiorum pronunciarent.

1 CXIII. Harmonica[1] ratio, quæ cogit rerum naturam sibi ipsam congruere, addit huic mensuræ stadia XII millia[2]: terramque nonagesimam[3] sextam totius mundi partem facit.

metientis dimidia pars, quam semidiametrum vocant. Diametrus igitur fuerit 84 millium stadiorum, seu 10,500,000 pass. Hard.

11. *Quinquaginta duo.* Ita Chiffl. codex, quum alii habeant CCLV, ut editi. Quod si a pilæ medio, quæ est dimetientis dimidia pars, colliguntur XLII millia stadiorum, dimetiens erit LXXXIV mill. qui numerus si triplicetur (neglecta enim videtur septima dimetientis pars, quam Plinius mox addendam esse admonebit), exsistet prædictus numerus CCLII mill. stad. quam mensuram paulo antea Eratosthenes assignavit. Hard. — Erunt scilicet 10443 leucæ geographicæ, pro 9000, quæ hodie computantur. Erratum fuerit 1443 leucis, id est circiter sexta totius parte. Quod si addatur septima pars diametri, invenietur summa 10942 leucarum, quæ paulo minus duobus leucarum millibus a vero distat. Ed.

CXIII. 1. *Harmanica.* Ratio naturæ nihil nisi apte, nihil nisi perfectum absolutumque molientis. Hard.

2. *XII millia.* Ita vetus codex Dalecampii, quum in cæteris perperam legatur *VII millia*, ut vidit ante nos Pintianus. Hard. — Recte XII *millia*, quæ septima pars est diametri LXXXIV *millia* æquantis. Sed hæc septima pars, ut terræ circuitus haberetur, tribus diametris, non uni addenda erat; et sic CCLXIV, non XCVI invenisset Plinius: nec tamen hoc quidquam ad *totius mundi* mensuram pertineret. Absurdissima ergo sunt quæ sequuntur. Ed.

3. *Nonagesimam.* Ergo ambitus terræ, quantus quantus est, multiplicetur per 96; quæ inde summa colligetur, prodet ambitum cæli. Terræ porro circuitus constat, ut diximus, 264000 stadiis. Igitur cæli circuitus erit stadiorum 25,344,000 quæ Romana computatione passuum efficiunt 3,168,000 millia. Hard. — Inventis telescopiis, tanta aperta est cæli vastitas, ut nulla assignari possit terram inter totumque mundum ratio. Nam quum stellæ quæ terris sunt proximæ ne minuti secundi temporis, *une seconde*, parallaxim habeant, earum distantiam a terra esse leucarum amplius 6,771,770,000,000 constat. Vide clarissimum Delalande, Astron. t. III, p. 169. Inde patet quanta sit mundi magnitudo, quam exiguum vero punctum sit terra. Brot.

DE VARIIS APUD ANTIQUOS
VENTORUM DIVISIONIBUS
DISSERTATIO,

E GALLICO EXCURSU

D. GOSSELLIN, ACADEM. INSCRIPT. ET LITT.

IN LATINUM VERSA

AD PLINII LIB. II, CAP. 46 ET SEQ.

Ut bene intelligamus quæ de ventis dicta sunt ab antiquis, meminisse nos oportet eos *rosam*, quam vocamus, *ventorum* sexies ut minimum mutasse; sive ad numerosiorem, sive ad diversam prorsus rationem ventos distribuere voluerint. Quæ mutatio nominum præcipuas horizontis partes designantium, quosdam ex Veteribus in errorem induxit, tum etiam ex recentioribus nonnullos, qui non satis diligenter explorassent quodnam ad tempus, quam ad *rosam* pertinerent ea quæ passim indicata in antiquorum scriptis invenerant.

Non abs re igitur fuerit accuratius exponere varias, apud antiquos, *rosarum* distributiones, cum *rosa*, quæ nunc est in usu, collatas. Si quid in illustrationibus hisce meis lectori moram faciat, ad effigiem sive synopsim omnium ventorum, quam exsculptam in fine dissertationis exhibemus, utiliter respicietur.

Rosa *duorum Ventorum*.

Veteres Græci, ut horizontem in duas regiones dividebant, sic duplex tantum genus ventorum noverant [1] : nempe Borearum, a zona brumali flantium, id est, ab eo semicirculo, qui occasum inter et ortum æquinoctialem per CLXXX gradus patet; et Notorum, a zona australi, per dimidiam alteram horizontis partem spirantium.

1. Thrasyalces apud Strab. lib. I, pag. 29.

ROSA *quatuor Ventorum.*

Postea Græci ventos, qui a præcipuis quatuor cæli plagis oriebantur, ita discrevere, ut, horizonte in totidem partes æquabiliter diviso, quarum singulæ xc gradus comprehenderent, bis vulgo nominibus uterentur:

BOREÆ vocati sunt, qui a septemtrione,
EURI seu APELIOTÆ, qui ab ortu,
NOTI, qui a meridie,
ZEPHYRI, qui ab occasu solis spirabant.

ROSA *octo Ventorum, ex Homero.*

Ante natum Christum decem amplius sæculis, jam quatuor secundarii venti superioribus sic adjecti erant, ut inter singulos medii nomina haberent ex iis, qui viciniores erant, composita.

Scilicet Boreas inter et Euros, BOREÆ-EURI; Notos inter et Euros, quos et Apeliotas vocabant, NOTI-APELIOTÆ; Notos inter et Zephyros, qui et Argestæ dicebantur, ARGESTÆ-NOTI; Zephyros inter et Boreas, ZEPHYRI-BOREÆ, interjecti.

Hæc est illa *rosa* in homericis poematibus usurpata. Poeta enim quatuor horizontis partes, quarum singularum media regio ad præcipuas quatuor cæli plagas spectat, Boreæ, Euri, Noti Zephyrique nominibus designat [1]; immo duos e secundariis ventos nominatim appellat [2], nempe Argestem-Notum, quem Posidonius eumdem esse ait [3] ac Leuco-Notum in *rosa* Alexandrina, de qua infra, mox recensendum; et vehementem Zephyrum, in septemtrionem deflexum, seu Zephyro-Boream, quem Posidonius ad Argesten *rosæ* Alexandrinæ, id est, ad occasum æstivum refert.

Ille autem Posidonii locus eo Casaubonum induxit [4], ut crederet Homerum quatuor secundarios ventos ortibus occasibusque solstitialibus assignasse; qui usus, non nisi multo post Homericam ætatem invaluit. Nec etiam sensit vir clarus Posidonium, si tam arcto sensu verba auctoris interpretanda essent, hoc in loco ne sibi quidem constare. Etenim quum antiqui singulas sibi ex adverso respondentes horizontis regiones æqualiter dividere solerent, ex eo quod Zephyro-Boreas ille Homericus idem erat atque Argestes Alexandrinus, sequebatur necessario Argesten-Notum Homericum ad Liba Alexandrinum, id est, ad occasum brumalem pertinere, non ad Leuco-Notum, ut aiebat Posidonius.

Quare si congruere velis ea quæ in Posidonio pugnare secum videntur, secundarios ventos aliter atque Casaubono placuit, ita distribuere oportet, ut singulorum, octavam horizontis partem obtinentium, media regio ad quadragesimum quintum latitudinis gradum spectet, et Zephy-

1. Homer. Odyss. lib. V, vers. 295—296.
2. Homer. Iliad. lib. XI, vers. 305—306; lib. XXI, vers 334.
3. Posidonius, apud Strab. lib. I, pag. 29.
4. Casaub. Not. in Strab. lib. II, pag. 29.

ro-Boreas, in *rosa* qua Posidonius utebatur, maximam Argestæ partem, Argestes-Notus vero maximam partem Leuco-Noti complectatur.

Cæterum quum ventos sic discernerent antiqui, respexisse illos constat ad superioris *rosæ* rationem, quæ præcipuis quatuor ventis præcipuas totidem cæli plagas adscripserat. Verum in ea, de qua nunc agitur, *rosa*, Zephyri, Boreæ, Euri et Noti, quanquam in secundarias partes dividebantur, sua tamen per spatium xc graduum nomina servabant. Quippe Boreæ, vergentes ad occasum, usque ad quadragesimum quintum latitudinis gradum, Boreæ-Zephyri; Zephyri vero, in septemtrionem deflexi, in tantum quantum priores spatium, Zephyro-Boreæ appellabantur.

Quæ omnia lucem haud dubiam allatura sunt Homeri loco, quem temere ab Eratosthene impugnatum vix atque ægre Strabo defendit [1]. Ait nimirum Poeta in Trojanas oras Zephyrum Boreamque simul a Thracia spirare [2]. Quod ut probetur, satis erit si meminerimus, Homerus dum viveret, nondum Macedoniæ nomen exstare, et tunc Thraciæ cognomine designari solitas omnes regiones, quæ Propontidem inter et Adriatici Maris ostium patent. Quum autem earum regionum australes plagæ Troadisque oræ eodem fere latitudinis gradu jacerent, Zephyri apud Trojanos vocabantur venti, qui ab occasu, id est, ab occidentali Thraciæ parte ad quadragesimum quintum septemtrionalis latitudinis gradum flabant, dum ii qui a septemtrione usque ad eumdem latitudinis gradum in occasum deflectebantur, Thracia orientali trajecta, Boreæ nominarentur. Unde patet Zephyrum Boreamque simul in Hellespontum a Thracia spirare posse. Hæc una est, mea quidem sententia, Homeri illustrandi ratio, qui, quum Troadem ipse perlustrasset, ibi multa de situ finitimarum regionum audivit, quæ Strabonem locorum prorsus imperitum fefellerunt, ita ut, Homeri explicandi gratia, occidentales Thraciæ partes multo australiores, quam reipsa sunt, fecerit.

Eratosthenes vero poetam ob id castigavit quod Homerica ventorum nomina ad *rosam* duodenariam referret, cujus usus apud Alexandrinos, Philadelpho regnante, frequentior fuit. In ea autem *rosa* multo arctius, quam antea, spatium obtinebant Zephyri et Aparctiæ, qui Homericos Boreas exceperant; adeo ut duo illi venti, olim inter se proximi, tunc LX graduum intervallo distarent, Argestis Thrasciisque medium spatium occupantibus.

ROSA *octo Ventorum, ex Aristotele.*

Quinto aut sexto ante natum Christum sæculo, venti secundarii ortibus occasibusque solstitialibus assignati fuere, et pleraque nominum mutata, aut alio ordine disposita.

Hinc a Septemtrione, APARCTIAS: ab Oriente æstivo, CÆCIAS; ab æquinoctiali, APELIOTES; ab hiberno, EURUS: a meridie, NOTUS: ab occasu hiberno, LIBS; ab æquinoctiali, ZEPHYRUS; ab æstivo, ARGESTES.

1. Strab. lib. I, pag. 28.
2. Homer. Iliad. lib. IX, vers. 4—6.

Media autem ventorum secundariorum regione ad ortus occasusque solstitiales relata, oportuit *rosæ* divisiones fieri impares, pro impari singulorum circuli meridiani graduum seu occidua, seu ortiva amplitudine; ita ut, quo magis ad meridiem procedebatur, eo arctiori regione vel ab oriente vel ab occidente venti flarent, dum contra vel a meridie vel a septemtrione spirantibus cresceret spatium : ad septemtrionem progrediendo, omnia prorsus contraria eveniebant.

Vitruvius ait [1] turrim octogonam ab Andronico Cyrreste, Athenis, exstructam fuisse, cujus lateribus nomina ventorum ad quos singula spectabant, inscripta fuere. Hujus monumenti, etiamnunc exstantis descriptionem videre est apud Spon [2], Wheler [3], Pockocke [4], et inprimis apud Stuart [5] et Leroy [6]. Turrim eam, propter formam, ad *rosam* de qua nunc agimus, plerique referunt, quod certo negant anguli ad normam geometricam exacti; in quibus secundarii venti, quatuor præcipuis interjecti, vix designari potuissent. Quippe in hoc antiqui consentiunt Athenas non elatiores esse [7] quam $37^{\circ}\ 15'$, Eclipticæ vero declinationem $23^{\circ}\ 51'\ 20''$; ex quibus constat amplitudinem ortivam, ipsa solstitii die, $30^{\circ}\ 32'\ 10''$ Athenis esse [8]. Ergo turri octogonæ Andronici, dummodo ad rationem Græcorum exstructa fuisset, latera tum ad meridiem, tum ad septemtrionem spectantia, duplo et semisse longiora, quam cætera sex esse debuerant. Unde facile collegeris ædificium illud non tam vetus esse quam nonnulli credidere, quod quidem testatur ipsius regularis forma; et uno ante natum Christum sæculo fuisse constructum, post Græciam a Romanis subactam, quum usus ventos ex amplitudinibus distribuendi jam prorsus obsoleverat.

Rosa *duodecim Ventorum, ex Timosthene.*

Regnante Alexandro, Græci ventos quatuor *rosæ* addiderunt; et spatia quæ prius Aparctiæ Notique obtinebant, in tres regiones partiti sunt, eodem quo antea modo Zephyros Eurosque diviserant : ut jam duodecim ventos numerarent.

Hujus antem *rosæ*, quæ ortus occasusque solstitiales servaverat, usus tum apud Græcos, tum etiam apud Romanos diutissime viguit. Quum vero remotissimæ Mediterranei Maris plagæ quindecim latitudinis gradibus a se invicem distarent, ne quis error consequeretur ex collatione et usu *rosarum* populis quibusque peculiarium, omnes uno consensu debuerunt ad certum latitudinis gradum, inter cæteros medium, lineas ventorum indices referre. Equidem, maximi momenti rationibus inductus, tricesimum sextum ob eam rem electum fuisse arbitror.

1. Vitruv. de Architect. lib. I, pag. 41.
2. Spon, Voyage, tom. II, pag. 102—104.
3. Wheler, Voyage, tom. II, pag. 181—185.
4. Pockocke, Voyage, tom. VI, pag. 147—149.
5. Stuart, the Antiquities of Athens, chap. III, pag. 13.
6. Le Roy, Ruines des plus beaux monuments de la Grèce, Ire partie, chap. XIV, pag. 26.
7. Ptolem. Geogr. lib. III, cap. 15, pag. 98.
8. Ptolem. Almagest. lib. I, cap. 9, pag. 20.

Rosam superiorem, Aristotelicam nempe, pro pari latitudine descriptam fuisse verisimile est, quanquam certis id argumentis probari nequit; nullus vero dubio locus esse potest, quin *rosa*, de qua nunc agitur, hanc ad rationem composita fuerit, ut patet ex Agathemeri [1] loco, in quo Timosthenem ait, maritimæ rei a Philadelpho præfectum, quum variarum regionum situm ad ventorum *rosam* componeret, Herculeas Columnas, id est, Fretum Gaditanum, ad occidentem recta linea retulisse.

Erravit igitur Tennulius [2], qui *rosam* Alexandrinam credidit a Græcis pro latitudine Alexandriæ descriptam fuisse, quum jamdiu urbem illam Freto Gaditano multo australiorem esse constaret.

Nec jam in incerto est duodecim ventorum *rosam* compositam esse pro tricesimo sexto latitudinis gradu, qui ad Rhodum simul et ad Fretum Gaditanum pertinet. Idem viris astronomiæ vel geographiæ peritis adeo notus erat, ut ad eum referenda sint omnia, quæ ante fundatam Alexandriæ scholam observata notavere. Dicæarchus eum *diaphragma* vocabat [3] quod ab ipso tota Mediterranei Maris et Asiæ longitudo in ambas partes divideretur. Per quinque vero sæculorum seriem, tam illo gradu parallelo, quam linea Rhodi meridiana usi sunt quicumque mappas composuere, ut ex Strabone, Ptolemæo aliisque patet. Hinc minime mirum videbitur quod navigantes, unanimi consensu, *rosarum* centrum in illo potissimum puncto posuerint, quo duæ supra dictæ lineæ se invicem secarent.

Huic autem ventorum distributioni majus quoddam inerat commodum, in alia quavis desiderandum. Scilicet eo, de quo loquimur, tempore, amplitudines, seu ortivæ, seu occiduæ, ad tricesimum latitudinis gradum, ipsa solstitii æstivi die, 29° 59′ 40″, aut ad summum triginta graduum erant; unde fiebat ut horizontis circulus in duodecim partes æquas tricenorum graduum divideretur, et quam maxima esset *rosarum* describendarum facilitas.

Duodecim ventorum hæc fuere, primum apud Græcos, deinde apud Romanos, nomina [4]:

Aparctias,	seu	Septemtrio.
Borras,		Aquilo.
Cæcias,		Cæcias, oriens solstitialis.
Apeliotes,		Subsolanus, oriens æquinoctialis.
Eurus,		Vulturnus, oriens brumalis.
Euro-Notus,	seu	Phœnicias.
Notus,		Auster, meridies.
Leuco-Notus,	seu	Libo-Notus.
Libs,		Africus, occidens brumalis.

1. Agathem. Compendiar. Geograph. Exposit. lib. 1, cap. 2, pag. 5, inter Geograph. minores Græcos, tom. II.

2. Tennul. Not. in Agathemer. pag. 5, not. b.

3. Dicæarch. apud Agathemer. lib. 1, cap. 1, pag. 4.

4. Aristot. de Mundo, tom. 1, pag 606. — Timosthen. apud Agathemer. lib. 1, cap. 2; lib. II, cap. 12. — Senec. Natur. Quæst. lib. V, cap. 16. — Plin. Nat. Hist. II, cap. 46.

ZEPHYRUS,	FAVONIUS, occidens æquinoctialis.
ARGESTES,	CORUS, occidens solstitialis.
THRASCIAS,	CIRCIUS.

Nec operæ pretium deerit notare, quum ventorum ratio numerosior fieret, secundarios ita interjectos fuisse, ut ad quatuor præcipuos antiquæ *rosæ* ventos pertinerent, quorum singuli xc horizontis gradus complectebantur. Itaque nnmerabantur inter septemtrionales:

Thrascias,	APARCTIAS, seu polaris,	Boreas;

inter orientales:

Cæcias,	APELIOTES,	Eurus;

inter meridionales:

Euro-Notus,	NOTUS,	Leuco-Notus;

inter occidentales:

Libs,	ZEPHYRUS,	Argestes [1].

ROSA *quatuor et viginti Ventorum, ex Vitruvio.*

Posquam Romani, Augusto principe, in Germania usque ad Albim flumen circa qninquagesimum quartum latitudinis gradum, in Ægypto usque ad tropicum fines protulissent, sensere demum quantulæ ntilitatis essent *rosæ* ex occasibus ortibusque solstitialibus descriptæ. Etenim quum in tanto regionum intervallo amplitudines etiam 43° 30′, discreparent, venti orientales occidentalesque adeo late spatiabantur, ut a septemtrionalibus meridionalibusque discerni non possent. Quæ causa fuit cur, neglecta ea, qua solnm in Mediterraneo Mari nti poterant, ventorum distributione, nullaque habita occasunm ortuumve solstitialium ratione, *rosam* in quatnor et viginti partes æquas, quindecim graduum singulas dividerent, quibus sequentia nomina sunt assignata [2]:

SEPTEMTRIO,	vulgo	*Nord.*
Gallicus.		
Supernas.		
AQUILO,	vulgo	*Nord-Est.*
Boreas.		
Carbas.		
SOLANUS	vulgo	*Est.*
Ornithiæ.		
Cæcias.		
EURUS,	vulgo	*Sud-Est.*

1. Aristot. de Mundo, tom. I, pag. 606.
2. Vitruv. de Architect. lib. I, cap. 6, pag. 41, 44.

Vulturnus.		
Euro-Notus.		
AUSTER,	vulgo	*Sud.*
Altanus.		
Libo-Notus.		
AFRICUS,	vulgo	*Sud-Ouest.*
Subvesperus.		
Argestes.		
FAVONIUS,	vulgo	*Ouest.*
Etesiæ.		
Circius.		
CAURUS,	vulgo	*Nord-Ouest.*
Corus.		
Thrascias.		

Ea est *rosarum*, quas nobis antiqui tradiderunt, ultima; his autem omnibus quas supra memoravi, in una eademque figura *rosam* conjunxi qua utuntur recentiores, cum superioribus, prout libuerit, conferendam; item gradus in exteriore circulo accuratius notandos curavi, ut horizontis partes singulæ perspicerentur, ad quas spectat uniuscujusque venti, tum apud Veteres, tum etiam apud recentiores, media regio: in tabella etiam quam his illustrationibus subjunxi nomina singula diligenter exponenda censui: ita errores omnes quos admissos a plerisque ad hunc diem animadverti, vitari demum posse ratum habeo. E dictis patet, apud Græcos, post Homericam ætatem, ventum ex secundariis tertiariisve nullum; apud Latinos quatuor præcipuos tantum ventos, totidemque secundarios, ad *rosam* recentiorum referri posse: alios esse secundarios tertiariosque *rosæ* Timostheneæ ventos, alios Vitruvianæ; nomina a principio, certis assignata ventis, ad alios postea translata fuisse, eosque multum sæpe distantes a plagis quibus primum adscripti fuerant.

Eurus, verbi gratia, cujus, auctore Homero [1], media regio ad septemtrionales ventos pertinebat, quos brumalis semicirculus horizontis complectebatur, totus postea inter meridionales relatus est. Item Argestes, quem Poeta inter ventos meridionales sedem habere ait, iis primum qui a zona brumali; deinde iis qui a zona meridionali flabant, iterum a Romanis adscriptus fuit.

Sic et media Boreæ regio, quæ, Homeri ætate, septemtrionem designaverat, Timosthenis tempore triginta, sub Augusto sexaginta gradibus ad orientem vergebat. Media quoque Cæciæ regio a polo brumali sexaginta gradibus apud Græcos semper deflexa, apud Romanos viginti et centum gradibus a septemtrione distabat, ita ut ab oriente æstivo transtulerint eam ad orientem brumalem, sicut et Homericum Argesten ab occasu brumali ad occasum æstivum transtulerant.

1. Strab. lib. I, pag. 29.

Hæc et cætera quæ facile subjiciet exempla quisquis nostram inspexerit tabnlam, aperte monstrant quanti momenti sit, dum consuluntur antiqui, tempora recte discernere, et quam potissimum ad *rosam* referri debeant venti ab illis memorati.

Appendix de variis, apud quosdam ex antiquis populis, Ventorum nominibus.

Quamvis snperiora ventorum nomina plerique navigantium usurparent, ea tamen quibusdam in reginnibus immntata fuisse constat, ubi frequentiores venti designabantur nominibus cognominibusve petitis, ut plurimum, a civitatibus, plagis, fluviis aut montibus unde oriri videbantur. Neque ista synonyma *rosæ* tabellisque inscribenda curavi; sed præcipua ex Aristotele, Strabone et Plinio, qui cum *rosa* dnodecim ventorum ea conferunt, hic subjeci, paucis adjunctis adnotationibus.

Boreas appellabatnr etiam

Pogræus, Malli, in Cilicia, qnod a Pagricis montibus flare videbatur.

Meses, Cauni, in Caria multisque aliis locis. Agathemerus tamen ait Mesen inter Thrascias ventos, contraria in cæli parte, sedem habere.

Caunias, Rhodi, quod a Cauno urbe, de qua supra, spirabat.

Gaureus, Olbiæ, in Pamphylia, quod a parva Gauride insula emittebatur.

Cæcias vocabatur

Hellespontias, apnd eos Græciæ popnlos quibus ab Hellesponto spirare videbatur.

Thebanas, in Lesbo insula, quod, ut eo perveniret, Thebes Mysiæ solum trajiciebat.

Æcaunias, . . . Hic nonnulls apnd Aristotelem desiderantur.

Fnere etiam qui Cæciam a Borea non discernerent, et iuprimis Lyrnessenses, in Pampbylia, qui Cæciam, ut videtur, ad Homericam *Rosam* referebant, in qua Boreas-Eurus Cæciæ locum obtinet.

Apeliotes vocabatur

Potameus, Tripolide, in Phœnice.

Syriandus, ad Issicum Sinnm quia spirabat a fancibus, quas Syrias-Pylas vocabant.

Marsæus, in sinu Tripolitano, a Marso vico.

Vidimus supra Apelioten, Tripolide, in Phœnice, *Potameum* dictum fuisse; nec verisimile est ibidem uni vento duo diversa fuisse nomina; quare agi videtur de alia Tripolide, quam equidem inter omnes civitates ejusdem nominis discernere nequeo.

Hellespontias, in Proconeso, Teo, Creta Enbœaque insulis, inprimis ad Caphareum promontorium; Cyrene, in Africa, et præsertim in portu Apolloniæ. Verum enimvero in nullum e supra dictis locum Apeliotes, seu ab oriente æquinoctiali ventus, ab Hellesponto emitti poterat; etenim qui spirasset ab eo freto, Proconeso occidentalis visus esset, Teo septemtrionalis, Enbœæ vero Cretæ Cyrenensibusque Septemtrionem inter et Orientem fere medius. Quare nomen illud ab Hellesponto du-

ctum et jam, ut supra vidimus, Cæciæ adscriptum, errore quodam librarii, pro alio nomine mihi prorsus ignoto hic insertum esse suspicor.

Berecynthias, a Sinopensibus, quia a monte Berecynthio, in Phrygia, oriebatur. Et hic aliquem subesse errorem puto; etenim quum Sinope multo magis quam tota Phrygia ad septemtrionem orientemque vergeret, *Berecynthias* ille nullus omnino, nisi ventus meridiem inter et occasum medius esse poterat.

Cataporthmias, in Sicilia; hic agitur tantum de urbe Messana; *Cataporthmias* enim, seu spirans a freto ventus, plagis Siciliæ orientalibus fere septemtrionalis fuisset.

Alii etiam Apelioten Cæciæ Thebanæque nomine designabant, ut qui eum ad *rosam* quatuor ventorum referrent, in qua Eurus, dictus quoque Apeliotes, xc horizontis gradus, ideoque Cæciam *rosarum* posteriorum complectebatur.

Eurus appellabatur

Scopelæus, ad Ægas, in Cilicia, quod a scopulis, Rhoso, in Syria, proximis, oriebatur.

Carbas, circa Cyrenen, in Libya, quod a Carbis, in Phœnice, emitti videbatur; unde et Phœniciam illum nonnulli vocabant. Quum vero Phœnices meridionalis plagæ non sint elatiores quam ipsa Cyrene, ventus ab oris Phœnices in littus Cyrenense nullus australior flare poterat, quam qui ab oriente recta ortus esset. Carbæ igitur non in *rosa* duodecim ventorum, sed in quadripartita locus, id est, in Euro, de quo supra, Homerico; quod Vitruvii comprobat auctoritas, Carbas oriente æquinoctiali elatiores faciens, non australiores. Erravit ergo ille Pseudo-Aristoteles qui Carbam a Phœnicia non discrevit; ii enim venti, ambo quanquam a Phœnice oriundi, ex diversissimis tamen plagis emittebantur; nempe prior a regione vulgo dicta *Est-Nord-Est* in Cyreneuses; posterior vero a regione quam vocamus *Sud-Est* et *Sud-Sud-Est*, in Græcos Asiæ minoris, Cypri insulæ, etc., spirabat. Eurum partem esse Apeliotæ multi quoque credidere; quippe qui *rosam* quadripartitam ab octonaria *rosa*, vel duodenaria, non bene discernerent.

Euro-Notus, aliis *Amneus*, aliis *Eurus* fuit, In *rosa* autem *Vitruviana* vidimus dimidiam Euri et Euro-Noti partem ad Euro-Notum *rosæ* duodenariæ referri debere.

Leuco-Notus, seu Libo-Notus, dicebatur et *Libo-Phœnix*, in iis locis ubi a plagis Carthaginiensium oriri videbatur, vel in urbibus quas ad fretum usque Gaditanum Phœnices condiderant; hæ autem coloniæ vulgo Libo-Phœnices appellatæ.

Libs nomen inde habuit, quod a Libya, seu Africa spirabat.

Zephyrus vocabatur quibusdam in regionibus, tanquam numero plures, *Ornithiæ*, id est *Aviarii*, quia peregrinas aves secum reducebat; apud Romanos vero, *Ornithiæ* ex orientalibus ventis fuerunt. Item *Chelidoniæ*, quum hirundines reducerent.

Argestes vocabatur

Iapyx, in occidentali Græcia, quia spirabat ab Iapygia.

Scyletinus, Tarenti; *Scylacinus*, Dorylæi, in Phrygia.

Pharangites, a valle ejusdem nominis, in monte Pegæo.

Thrascias vocabatur

Strymonias, in quibusdam Thraciæ partibus, a Strymone fluvio.

Sciron, apud Athenienses Megarensesque, a Scironiis saxis, ad isthmum Corinthiacum.

Circas, vel potius *Circius*, in iis Italiæ Siciliæque partibus, ubi videbatur a promontorio Circeiis oriri; a regione autem vulgo dicta *Ouest-Nord-Ouest* in Campaniam spirabat, et hanc illi sedem Vitruvius assignat; in Siciliam vero, ab ea plaga quam dicimus *Nord-Nord-Ouest*, et ille est Thrascias Vitruvianus.

Olympias, in Lesbo et Eubœa insulis, a monte Olympo. Agathemerus autem Olympiam Argestis adnumerat, potiori, ut puto, quod ad Lesbum pertinet, ratione. Illum et Cæciam nonnulli dixere; quod quidem nomen ad ortum æstivum apud Græcos, ad ortum vero brumalem apud Romanos, in *rosa* quatuor et viginti ventorum, relatum est.

Etesias Græci generatim vocabant ventos omnes septemtrionali horizontis semicirculo comprehensos, qui certo temporis spatio quotannis flabant. Etesiarum media regio a Romanis ad decimum quintum latitudinis septemtrionalis gradum relata.

Ornithiæ quoque, quibusdam in regionibus, magnam horizontis partem ad meridiem complectebantur, pro variis locis a quibus, veris initio, dum peregrinæ redirent aves, spirabant. Media eorum regio, apud Romanos, ad decimum quintum meridionalis latitudinis gradum spectabat.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS PRIMI VOLUMINIS.